619

BIBLIOTHECA IURIDICA MEDII AEVI

COLLEGIT ATQUE EDIDIT

AUGUSTUS GAUDENTIUS

SCRIPTA ANECDOTA

ANTIQUISSIMORUM GLOSSATORUM

IN LUCEM PRODEUNT CURANTE

JOHANNE BAPTISTA PALMERIO

UGONIS SUMMULA DE PUGNA

ROGERII SUMMA CODICIS

QUAESTIONES DOMINORUM BONONIENSIUM

YRNERII FORMULARIUM TABELLIONUM

SAECULO XIII INEUNTE IN NOVAM FORMAM REDACTUM

BONONIAE

IN AEDIBUS SOCIETATIS AZZOGUIDIANAE

ANNO MDCCCLXXXVIII

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

619

Source : BIU Cujas

BIBLIOTHECA IURIDICA MEDII AEVI

EDIDIT

AUGUSTUS GAUDENTIUS

SCRIPTA ANECDOTA GLOSSATORUM

VOLUMEN I.

BONONIAE
IN AEDIBUS SOCIETATIS AZZOGUIDIANAE
ANNO MDCCCLXXXVIII

Source : BIU Cujas

UGONIS SUMMULA DE PUGNA

ROGERII SUMMA CODICIS p. 7

QUAESTIONES DOMINORUM BONONIENSIUM p. 175

YRNERII FORMULARIUM TABELLIONUM p. 199

SAECULO XIII INEUNTE IN NOVAM FORMAM REDACTUM

PRODEUNT CURANTE

JOHANNE BAPTISTA PALMERIO

BONONIAE
IN AEDIBUS SOCIETATIS AZZOGUIDIANAE
ANNO MDCCCLXXXVIII

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

ORDINI IURISPERITORUM

UNIVERSITATIS BONONIENSIS

PRIDIE IDUS JUNIAS MDCCCLXXXVIII

QUO DIE SOLEMNIA SAECULARIA

STUDII BONONIAE EXORTI CELEBRATA SUNT

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

PROOEMIUM TOTIUS OPERIS

Augustus Gaudentius lectori salutem.

IAMDUDUM *mihi in animo erat novam bibliothecam iuridicam medii aevi edere: quum magnum numerum operum iurisconsultorum illius aetatis in codicibus manuscriptis tantum extare viderem; atque ea quae viri docti de iisdem scripsissent aut non satis esse ad eorum cognitionem aut erroribus scatere experiendo cognovissem. Horum autem anecdotorum longe maximam partem vel ad ius romanum, vel ad ius langobardicum sive feudale, vel ad ius canonicum pertinentem, glossatores nobis reliquerunt. Illud etiam nemo ignorat, plerasque collectiones iuris canonici ante Gratianum compositas nondum editas esse, quae non solum historiae iuris ecclesiastici verum etiam romani utilitatis plurimum afferre possint; et reliquias non paucas superesse iurisprudentiae romanae ante Yrnerium, quae nondum in lucem prodierint. Hanc igitur meam bibliothecam in tres partes digerere volebam: scripta anecdota glossatorum, collectiones iuris canonici veteres, reliquias romanae iurisprudentiae antiquioris medii aevi. Omnia eiusmodi scripta edi posse putare non solum inscitiae, verum etiam amentiae fuisset. Sed ne delectum quidem horum iamiam in lucem mihi proferre licere sperabam, quum honestissima societas Azzoguidiana, primum volumen meae bibliothecae in octavis saecularibus studii bononiensis typis suis vulgare sese paratam esse professa est: quod et ipse iam diu exoptaveram.*

Hoc tamen opus discipulo meo mandare quam ipse suscipere malui, ut veterem magistrorum et auditorum huius universitatis coniunctionem ac consuetudinem quodammodo renovarem, atque ut adolescentium animi ad huiusmodi labores subeundos hoc exemplo accenderentur.

In hoc volumine, praeter Ugonis summulam de pugna, Rogerii summam Codicis, et quaestionum collectionem parisiensem, etiam collectionem gratianopolitanam, atque Ugonis sive potius Alberici distinctiones edere cogitaveram. Sed codicis manuscripti gratianopolitani adhuc copiam mihi habere non licuit. Et distinctionum Ugonis editionem, cum interea earum tres novos codices manuscriptos Victorius Scialoia repperisset, in aliud tempus differendam putavi. Sed horum loco praestantissimum et vetustissimum formularium, ab Yrneriano certe profectum, atque a Palmerio meo repertum, subtexere placuit.

His utere docte lector, quae si tibi, quemadmodum spero, probata videro, alia deinceps volumina propediem expedire non dubitabo.

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

PRAEFATIO HUIUS VOLUMINIS

LIBENS sed certe trepidus hoc opus, quod suavissimus atque doctissimus magister meus Augustus Gaudentius mihi commisit, suscepi; et iure trepidus, nam imperitiae meae non ignarus, valde dubitavi tantum opus me satis bene ad exitum posse perducere. Sed cum neque consilium, neque doctrina magistri mei, quem verius amicum et patrem appellare licet, unquam me defecissent, aliquid utile et doctis gratum me offerre posse speravi. Qui si reputaverint quanto labore, quantaque cura in huiusmodi rebus opus sit, certe benigne hoc volumen respicient, et quod feci gratum habebunt, neque si quid est minus bene factum, mihi vitio vertent. Temporis angustiis pressus, quippe qui brevissimo tempore longum iter per Italiam, Germaniam et Galliam facere coactus sim, plus aequo properavi; quod si mihi veniam non parat, certe parabit indulgentiam.

Hanc vero rationem in editione huius voluminis secutus sum, ut quam possem fidelissimam codicum manuscriptorum imaginem exhiberem, tum in orthographia, quam ad instar codicum ipsorum ad litteram expressi, tum etiam quia, cum in quibusdam locis librariorum inscitia corruptis non satis perspicua esset sententia, eos lectori corrigendos relinquere malui, quam ipsemet meo arbitrio mutare.

Sed de his satis: nunc de codicibus manuscriptis quibus usus sum aliquid dicendum est.

Summula de pugna Ugonis de porta Ravennate extat in codice manuscripto bibliothecae parmensis Palatinae HH. I. 11, n.° 1227; quem codicem primus invenit et cognovit Merkel. Qui codex, duplici columna exaratus saeculo XIII., constat 167 membranis formae maxime, in 11 quaterniones distributis; quibus comprehenduntur scripta glossatorum, quorum maxima pars ad ius feudale et langobardicum spectat.

Rogerii summam Codicis ex duobus codicibus manuscriptis desumpsi, quorum alter Florentiae extat in bibliotheca Laurentiana, Plut. V. sin. Cod. X.; alter, quo potissimum usus sum, in bibliotheca publica Tubingensi, M. c. 14 signatus, saeculo XIII. conscriptus duplici columna, 101 membranis a II. usque ad CII^{am} computatis, constans. Quaedam in hoc codice inveniuntur nova scriptura, veteribus litteris deletis, exarata, quae omnia in hoc libro cursivis litteris imprimenda curavi.

Source : BIU Cujas

Quaestiones dominorum bononiensium, sicuti Alberici tempore appellabantur, ex codice manuscripto bibliothecae nationalis parisiensis n. 4306 edidi. Qui codex miscellaneus, multa glossatorum antiquissimorum scripta continens, saeculo XIII exeunte a diversis librariis conscriptus, 181 membranis constat.

Formularium tabellionum, quod Yrnerii opus esse censeo, inveni Florentiae in codice manuscripto bibliothecae Magliabecchianae XXIX. 206 signato. Hic codex lectu difficillimus, in extrema parte mutilus, saeculo XIII ineunte conscriptus, 40 membranis continetur. Argumenta quibus Yrnerii hoc formularium esse probatur longum est hoc loco enumerare, quae omnia propediem alibi exponam. Nunc igitur, ut ipse Yrnerius dicit, *provideat quisque qui ad huius libri notitiam pervenire anelat, ut sit discretus ac bone opinionis.*

Dabam Bononia, pridie idus Iunias anno MDCCCLXXXVIII.

J. B. PALMERIUS

Source : BIU Cujas

SCRIPTA ANECDOTA

GLOSSATORUM

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

UGONIS DE PORTA RAVENNATA

SUMMULA DE PUGNA

(Ex codice manuscripto bibliothecae parmensis palatinae. HH. I. 11 N. 1227)

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas



Incipit summula de pugna et modis purgationum eius qui criminatur composita a domino Ugone de Porta Ravennata

SATIS unicuique peritissimo credimus esse cognitum periuria tam divinarum legum doctrina quam etiam iuris civilis disciplina fore inhibita, nec non et degerantibus ab ipsis legibus maximam penam esse impositam. Qui ergo, utrarumque legum auctoritate contempta, contraria sacramenta in pugnis admittendo viam eis aperit, debet haberi stultus atque insipiens. Ne ergo dicamur, legibus concordemur et viam periuriis non aperiamus, nec non contraria sacramenta in pugnis nec alio modo admitamus, nisi specialiter in legibus dicatur, ut in Lomb. de testibus., l. si quis cum altero. et l. decernimus.

Sed postquam mentionem de pugna habuimus, videamus in quibus casibus pugna fieri debeat, et quomodo Mantuanus cum suis sequacibus sic non dicendo in pugnis viam periuriis aperit, ut de certo suum errorem dimittat et legibus ambulare discat.

Si ergo quis de crimine maiestatis accusatus fuerit et negaverit, si presens est accusator, per pugnam se deffendat, sacramentis contrariis in hac pugna penitus non prestandis. Nec acusator sacramentum de astu prebeat, cum ipse tantum ex necessitate iudicis officio et legis auctoritate pugnet. Sed si sua voluntate, idest sponte, se ad pugnam ingerat iuditiali auctoritate non precedente, tunc iudex inspitiat si talis causa sit unde pugna fieri debeat. Si talis est, approbet vel laudet: pugna vero approbata sive laudata, actor sacramentum de astu prebeat; et hoc dico verum esse sive principaliter sit actor sive secundario, sive suo nomine sive alterius intendat, ut innuit quedam lex in Lomb. qualiter quis se defendere debet., l. si quis alium astu. Sileat ergo Mantuanus cum suis sequacibus qui dicit actorem iurare sic esse, reum sic non esse, cum nulla lex hoc precipiat nisi in testibus. Qui (1) hoc facit, cum omnium legum penitus careat auctoritate nisi in predicto casu, forte ideo facit quia putat Deum aliter non posse facere (2) cognoscere veritatem nisi periurium perpetretur. Si ideo facit, oberrat, cum Dei potentia semper equalis existat.

Et si talis persona fuerit accusata que prohibeatur c. 53, d.
pugnare propter sexum forte, vel etatem, aut conditionem, vel reverenciam, vel honorem, aut per se vel per alium purificabitur: per se, cum servus sit mittatur ad iuditium aque ferventis, ut in Lomb. de homicidiis., l. de homicidiis in ecclesiis. (3); vel purificabitur a domino sacramento aut in pugna, quod mihi non placet: per alium, ut mulier que mundualdi sacramento sive pugna purificabitur; minor XIIII. annorum per patrem sive eius tutorem; clericus per advocatum. Forte propter honorem idem dicatur in comite, nisi in crimine maiestatis; in aliis vero causis procul dubio verum est.

Si autem maritus dicat uxorem mortem suam esse consiliatam, et negaverit, sacramento aut pugna, ut maritus elegerit, a parentibus purificetur, ut in Lomb. de consilio mortis., l. si mulier. Et si in pugna debeat purificari, maritus solus prius de astu iurat. Sed si sacramento, sic non esse, prestito, purificetur, maritus cum

(1) *Cod.* quia.
(2) *Cod. om.* facere.
(3) *Scil.* l. si quis ex levi causa.

Source : BIU Cujas

XII. de astu se idoneum reddat, si parentes eum postea convenerint; et iurare de astu speciale hoc in casu esse dicitur. Idem dicitur si eam adulteram dixerit, ut in Lomb. qualiter quis se defendere debet., l. si quis uxorem., maxime cum sacramento purificetur. Sed si in pugna, nullum sacramentum hinc in contrarium prestetur, nisi tantum de astu maritus iurat.

Si vero extraneus uxorem alterius sive puellam fornicariam aut stricam clamaverit et perseveraverit, per pugnam veritas decernatur, ut in Lomb. de iniuriis mulierum.; sacramento tamen sic esse, vel sic non esse, non prestando, nisi de astu.

Sed et si quis alium argam vocaverit et perseveraverit, et perseverando se ad pugnam ingerat sententia iudiciali non precedente, per pugnam veritas decernatur, ut in Lomb. de convitiis., l. I., sacramentis contrariis non prestandis, nisi tantum de astu prestando ab eo qui se ad pugnam predicto modo retulit. Quod Mantuanus in contrarium precipit; unde valde est reprehendendus, cum hoc totum contra omnium legum auctoritatem de pugna loquentium fieri precipiat, et precipue contra legem in Lomb. qualiter quis se defendere debet., l. mentio enim., nisi in testibus. Ergo Mantuanus suum errorem dimittat, et contraria sacramenta in pugnis fieri minime precipiat, sacramento de astu ab actore semper prestando, cum ipse predicto modo ad pugnam se ingerat sive sit actor principaliter, sive secundario; sive suo nomine, sive alterius intendat: a reo hoc sacramento de astu non prestando, nisi talis sit causa, in qua uterque actor, uterque reus deprehenditur, veluti cum uterque se possidere contendat; tunc forte uterque de astu iurabit, maxime cum uterque ad pugnam vicissim se sine auctoritate iudiciali provocent; in eo casu hoc sacramento, sic non esse, a nemine eorum prestando. Quod Mantuanus in contrarium precipit.

Preterea qui incriminatur homicidium fecisse intra treuguam vel post pacem et negaverit, per pugnam se purificet, si actor voluerit, ut in Lomb. de homicidiis; quo vero sacramento de astu predicto modo prestando, alio sacramento, idest sic non esse, a reo non prestando quia per pugnam veritas declaratur.

Item si incriminetur quis de homicidio in absconso et negaverit, per pugnam se deffendat, si actor voluerit, ut in predicto tit., l. recolimus., et l. quicumque.; nec huic obloquitur in Lomb. qualiter quis se defendere debet., l. si fuerit suspicio., que precipit non fieri pugnam de homicidio perpetrato in absconso veneno, vel alio modo furtive mortis: illa enim loquitur cum in dubium revocatur, vel hec corrigit illam.

Si autem quis incriminetur se occidisse patrem vel quemlibet suum propinquum propter rerum cupiditatem, et negaverit, per se pugnam fatiat nisi iusta causa eum pugnare prohibeat, ut in Lomb. de parricidiis., sacramento de astu prestando, a reo autem hoc sacramento, idest sic non esse, non prestando.

Item si quis alium incriminetur cum uxore sua fuisse fornicatum aut turpiter conversatum, per pugnam convincat, si voluerit, ut in Lomb. de adulteriis., l. si quis alii., et tit. qualiter quis se defendere debet., l. si quis ammodo., adhibita predicta sacramenti distintione.

Sed si quis rem interciaverit et eam, post prestitum sacramentum a reo, idest se non esse furem vel eius collegam, dicendo eum degerasse et ita furtum conmisisse, sine furti pena recipere noluerit (1), campo contendat, ut in Lomb. de rebus interciatis., l. si res., sacramento de astu ab actore prestando.

Item si quis conveniatur quod malo ordine rem mobilem sive immobilem possideat, et negaverit, per pugnam infra XXX. annos se deffendat, si actor voluerit, ut in Lomb. de prescriptionibus., l. si quis alium., sacramento de astu ab actore prestito, a reo sacramento, idest sic non esse, nullo modo exacto. Post vero XXX. annos de malo ordine pugna non fiet, nisi forte de falso instrumento controversia fiat: tunc enim fit pugna de malo ordine, ut quidam dicunt.

Sed si aldius aut servus incriminetur, per pugnam a c. 54, a.
domino vel a patrono purificetur, si actor voluerit, ut in Lomb. de hiis qui aldiones defendere debent., l. I., in Lomb. de furtis., l. si servus dum in fuga.; vel melius mittatur ad iuditium aque ferventis, ut in Lomb. de homicidiis liberorum., l. de homicidiis in ecclesiis.

Preterea si testes dissenserint, interrogentur si velint pugnare: si velint, eligantur ex ipsis, idest ex utraque parte unus, et per pugnam suum comprobent testimonium, contrariis sacramentis in hoc casu prestandis, quod speciale in testibus dicitur, ut in Lomb. de testibus., l. si quis cum altero. (2) et l. decernimus. (3) precipiunt.

Item si quis ex possessione servitutis proclamet in libertatem, si intra XXX. annos fatiat hoc, si velit, per pugnam audiatur, ut intellectus cuiusdam legis indicat, idest Lomb. de prescriptionibus., l. si servus., et tit. de offitio iudicis., l. volumus ut de hiis.; sacramento de astu ab actore prestito, a reo hoc sacramento, idest sic non esse, non exigendo.

Sed si per XXX. annos in libertate moretur, per pugnam in servitutem non provocetur, sed sacramentum de malo ordine prebeat, ut in eod. tit., l. de liberis hominibus.

Si vero filius conveniatur de debito paterno et negaverit, per pugnam se deffendat, si actor voluerit, ut in Lomb. qualiter quis se defendere debet., l. si quis post., sacramento de astu predicto modo prestito. Reus vero hoc sacramentum, idest sic non esse, nullo modo prebeat; ergo stultus est qui hoc statuit, cum lex sub alternatione loquatur.

Sed si quis de incendio, furto aut scaco conveniatur, et negaverit, si furtum aut scacum fiat ultra VI. solidos, per pugnam se reddat idoneum, si actor elegerit, ut in Lomb. qualiter quis se defendere debet., l. si quis alium astu.,

(1) *Cod.* si non furti pena recipere voluerit.
(2) *Cod. ad:* et l. si quis.
(3) *Cod. ad:* et l.

Source : BIU Cujas

et l. de furto aut scaco.; sacramentum de astu actor prebeat, si se ad pugnam predicto modo ingerat.

Item cum duo contendunt, et contendendo contraria sacramenta prestare velint, quoniam palam est aliquem eorum deierare, melius est ut in campo in comitis presentia cum scutis et fustibus contendant, ut in Lomb. qualiter quis se defendere debet., l. mentio enim.; forte sacramento de astu ab utroque prestito, ut Mantuanus precipit. Sed melius videtur ut nullus eorum sacramentum de astu prebeat, nisi unus alterum vicissim sententia non precedente ad pugnam compellaverit: sacramento secundum qualitatem cause et sic non esse a nemine eorum prestando, quoniam per pugnam veritas decernitur. Quod Mantuanus in contrarium precipit; unde est reprehendendus cum lex in contrarium iubeat, ut in Lomb. qualiter quis se defendere debet., l. mentio. et l. si de preda. Suum ergo errorem dimittat, nec sacramentum contra leges fieri precipiat.

Item si quis alium dicat deierasse sacramento ex quacumque causa prestito, ex qua etiam pugna posset fieri, et sine sacramento dicat illum se sciente deierasse, non tamen (1) sacramento affirmet, sed sacramentum de astu, si predicto modo se ad pugnam ingesserit, ita vero prebeat, quod non eum asto animo per pugnam fatigare querit, nisi quia ita putat et credit verum esse, sive ad ipsum principaliter (2) causa pertineat, sive nomine alterius intendat; hoc sacramento, quod se sciente non degerasset, a reo non prestando, quia per pugnam veritas cognoscitur.

Sed si duo de predio contendunt et unus adversus alterum cartam ostenderit, si falsa dicatur, per pugnam veritas decernatur, si actor voluerit, ut in Lomb. qualiter quis se defendere debet., l. de prediis.; hoc sacramento, idest quod in hoc nihil aliud querat se sciente nisi veram et iustam racionem, ab actore prestando; a reo autem hoc, scilicet veram et ydoneam esse, nullo modo exigendo, cum per pugnam veritas determinetur. Et hic Mantuani sentencie contradicitur, cum lex secundum priora capitula determinari precipiat si actor pugnare voluerit; si ergo reus pugnabit, nullum sacramentum prestabit.

Item si quis cum ecclesia vel cum aliquo privato de rebus ecclesiasticis controversiam habet, et inde carta ostendatur, si falsa dicatur, ut supra dicitur, sacramento aut pugna purificetur per ipsius ecclesie advocatos, ut in predicto tit., l. de ecclesiarum.

Preterea si duo contendunt de investitura predii, idest de possessione, si unus dicat se prius investitum, idest in possessionem missum fuisse, et ab ipsa decidisse forte illa ratione quia expulsus est; alter autem dicat se iure possidere, unde uterque actor uterque reus deprehenditur; veritas, si aliter non inveniatur, per pugnam terminetur; hoc scilicet sacramento, idest sic esse vel non esse, a nemine eorum prestando, ut in eod. tit., l. de investitura predii.; vel dic de investitura predii, idest proprietate, quod melius dicitur.

Sed si depositi quis conveniatur et negaverit, si XXX. solidorum fuerit, per pugnam veritas decernatur, ut in predicto tit., l. si quis per se.; verumtamen sacramentum de astu predicto modo per actorem (1) prestetur.

Item si quis dicat cartam venditionis vel alicuius contractus per vim alicui se fecisse, si aliter probare non poterit, per pugnam convincat, si voluerit, ut in predicto tit., l. si quis dixerit.

Item si dicatur fidelitas rupta seu sacramentum illius qui ad mortem iudicatus est et postea ei fuerit vita concessa, veritas dirimatur per pugnam factam cum armis, c. 54, b.
idest scutis, lanceis, loricis et ensibus, ut in Lomb. qualiter quis se defendere debet., l. quibuscumque., et tit. de his hominibus qui ad mortem iudicati sunt., l. un.; verumtamen ibi arma possunt intelligi scuta et fustes cum armorum appellatione scuta et fustes contineantur.

Preterea sciendum est ubicumque pugna debet fieri, esse in ellectione actoris utrum velit purificari, nisi reus afferrat iustas probationes. Tunc enim reus suis probationibus audiri debet et non actor pugnare volens, quia pugna odiosa est, nisi actor ipsas probationes suspectas habet: tunc forte poterit pugnare, si velit. Et a iudice sive ab arbitro debet interrogari si velit pugnare: si consentiat, laudet arbiter et approbet pugnam inde fieri; et pugna laudata ab arbitro sive approbata statim in eius presentia fiat wadiata, deinde remittat eos in comitis presentiam, ante quem vel eius missum pugnam fieri debere lex precipit. Et in eius presentia dextrent aut sacramentum prebeant quod nichil supra se habent quod ad maleficium pertineat, nisi arma eis competentia, et postea firmiter contendant, ut in Lomb. qualiter quis se defendere debet., l. nullius causa.; sed hodie in sacramento consuetudo optinet.

Sed si scutum vel fustis alicui eorum deficiat, comes aliam vel aliud forte usque ad secundam vicem dari precipiat; quia leges « cum scutis et fustibus » locuntur, ut in Lomb. de testibus., l. si duo., et l. siquis cum altero., et tit. qualiter quis se defendere debet., l. mentio., et l. quibuscumque.

Preterea scire debemus pugnam tantum in Longobardis locum habere nisi ex imperiali auctoritate descendat: tunc enim in omnibus optinet.

Item pugna non iudicetur nisi a lege precipiatur, ut in Lomb., tit. qualiter quis se defendere debet, l. quibuscumque.

Preterea sciendum est unumquemque per se debere pugnam facere, nisi iuvenilis aut decrepita etas seu infirmitas ipsum pugnare prohibeat, ut in Lomb., de parricidiis., l. ult.; tunc enim licebit pro se camphionem ponere et alteri licebit idem facere, ut in Lomb., qualiter quis se defendere (2) debet., l. quacumque lege., nisi cum

(1) *Cod.* tamen ut.
(2) *Cod.* principalem.

(1) *Cod.* sactorem.
(2) *Cod. om.* defendere

Source : BIU Cujas

privilegiato contendat, idest cum clerico, vel comite: tunc enim hoc ei non conceditur cum isti suo privilegio hoc fatiant (1) ut predicto tit., l. ult. precipit. Sed hodie consuetudo in contrarium dictat: unicuique enim pro se camphionem ponere permittitur.

Hec ideo de pugna diximus ut unusquisque bonus lector sacramenta, idest sic esse et non esse, vel sic esse tantum aut sic non esse tantum, facere inhibeat, ut de certo qui per pugnam convincitur tantum de uno, idest de eo de quo convictus est per pugnam, dampnetur et non de duobus, idest de periurio et de crimine vel de alio de quo convenitur, ut olim fiebat, nisi specialiter in legibus dicatur, ut de testibus, et nisi plus diligat consuetudinem quam legem; quod cum sacramentum legem offendit tum nulla consuetudo legi contraria superponatur ei, ut in Lomb. qualiter iudices iudicare debent., l. placuit.

Adhuc scire debemus quasdam leges loquentes de pugnis Gualcosianas esse, quas didicimus nullas habere vires, quarum una est in Lomb. qualiter quis se defendere debet., l. de furtis, et alia est in tit. de furtis., l. si quis liber homo de furto.

Qualiter reus per pugnam se defendere debeat, dictum est nunc; qualiter se reddat ydoneum testibus aut sacramento sive iudicio ignis per se aut per alium dicendum est. Sicut ex ordine verum est actorem suam fundare intentionem, ita verum est reum eius quod negat compelli subire deffensionem, alioquin condempnabitur. Si ergo quis conveniatur se fecisse homicidium super alium, et ille dixerit se defendendo fecisse, ubicumque sit factum, hoc tribus testibus, si potest, approbet: vel cum testibus careat, cum duodecim legittimis iuratoribus se defendendo fecisse homicidium iuramentum prebeat, et non moriatur vel non ammittat proprium, ut in Lomb. de homicidiis., l. de homicidiis in ecclesiis., et l. de homicidio unde lex., et hoc iusiurandum non ex iudicis offitio sed ab imperiali clementia descendit. Ita est de libero in legittima etate constituto. Sed si fuerit minor decem et octo annis, pater aut tutor in anima sua et non minoris pro eo sacramentum prebeat, ut videtur innuere quedam lex in Lomb. qualiter quis se defendere debet., l. statuimus. Et quod dico de minore idem dico de servo et muliere. Verumtamen equius videtur servum mitti ad iudicium aque ferventis, quam dominus pro eo sacramentum subeat. Si vero alicui moveatur status controversia, et hoc timore ne in servitutem cadat dicatur aliquem suum propinquum servientem interfecisse, si negaverit, ad novem vomeres ignitos se reddat ydoneum, ut in Lomb. de parricidiis., l. si quis de libertate.

Preterea scire debemus quod quis iurat quandoque solus, quandoque secundum qualitatem cause. Solus semper quis iurat de astu, ut in Lomb. qualiter quis se defendere debet., l. si quis alium astu.: et hoc idem dicitur in aliis quam pluribus legibus insertis in volumine legum Lombardorum, nisi cum maritus criminatur uxorem: tunc enim iurat cum XII. quod (1) quidem specialiter dicitur, ut in Lomb., ne ad regem venientibus., l. si quis liber (2) super, et qualiter quis se defendere debet., (3) l. si quis uxorem.

Item cum quis iurat de conscientia sive de auditu, semper iurat solus, ut in Lomb., qualiter quis se defendere debet., l. si quis comparaverit, et tit. de furtis., l. si quis portunarius.; nisi quis conveniatur se dedisse mansionem latroni, et nisi dicatur venisse super missum dominicum cum c. 54, c.
collecta et armis, et negaverit: cum XII. tunc se purificet, ut eod. tit., l. quicumque post.

Secundum vero qualitatem cause quis iurat cum negat de re principali simpliciter, ut in Lomb., qualiter quis se defendere debet., l. si qualiscumque causa inter homines., nisi in exercitu fuerit: tunc enim sine cause distinctione iurabit solus, ut in Lomb., de exercitalibus., l. si que. Sed si fiat negatio de re accessoria, cum a lege non exprimatur qualiter sacramentum fieri debeat, ut in Lomb. de convitiis., l. I., et tit. de damno iniuria., et aliis variis legibus dicitur; tunc solus se purificet et cause distinctio, ut quidam dicunt, adhibeatur.

Item si causa XX. soldorum fuerit aut criminis falsi, cum XII. legittimis iuratoribus reus sacramentum prebeat, idest cum sex suis parentibus et ipse sit septimus et cum quinque aliis quos voluerit, liberis tamen, ut in Lomb., qualiter quis se defendere debet., l. si qualiscumque causa, et l. de cartis.; nisi sit in aliena patria: tunc enim iurabit cum talibus quales habere potest, ut in Lomb. qualiter iudices iudicare debent., l. ult.

Sed si causa regis minor XX. solidorum fuerit, et pars curtis regis sacramenta subire debeat, actor cum obscurioribus sacramentum prestare debeat; si maior, actor cum aliis actoribus hoc fatiat, ut in Lomb., qualiter quis se defendere debet., l. si quis cum curte.

Et quandocumque reus sacramento se debet purificare actor sacramentum callumnie prius cogatur prestare et iuret ita, scilicet quod non iniuste se sciente eum interpellasset, ut in Lomb., de exercitalibus., l. si quelibet. Reus vero de callumnia non iurat, quia facit quod maius est cum iuret precise, scilicet sic non esse.

In summa sciendum est lege Longobardorum sacramentum semper esse dandum neganti nisi in quatuor casibus, quorum unus est in Lomb., de damno iniuria., l. I.; alius est in Lomb., de furtis., l. si portunarius mancipium.; tercius est in Lomb., de donationibus que cum tingatione fiunt., l. si quis res suas cuicumque.; quartus est in Lomb., qualiter quis se defendere debet., l. omnibus enim.

Explicit summula de pugna et modis purgationum criminati, composita a domino Ugone de Porta Ravennata bononiensi, iuris civilis professore.

(1) *Cod.* fatiunt.

(1) *Cod. om.* quod.
(2) *In Cod. deest* liber.
(3) *Deest in codice:* qualiter quis se defendere debet.

Source : BIU Cujas

ROGERII

SUMMA CODICIS

(Ex codice manuscripto bibliothecae publicae tubingensis M. c. 14)

LIBER PRIMUS

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas



I. Incipiunt summe Frogerii iuris periti.

CUM multe essent partes iuris civilis que confuse et per diversa volumina posite fuerant, Iustinianus volens eas in unum congregare et sacratissimum templum iustitie condere, quia earum partium imperialis dispositio dignior habebatur, iussit quibusdam sapientibus ut ab imperiali dispositione inciperent et librum imperialium constitutionum conderent, qui liber Codex domini Iustiniani nuncupatur hodie, quia cum ceteri libri hoc nomine significarentur, iste liber per excellentiam hoc nomine significatur. Cuius libri materia, intentio, utilitas, finalis causa inspicienda est. Sed quia habet specialem materiam, et communem materiam et intentionem et utilitatem vel finem cum omnibus tractatibus de iure; videamus ergo primum de communi omnium materia et intentione et utilitate vel fine, postea de speciali. Est autem communis materia omnium de iure tractantium equitas rudis, vel iustitia, vel ius, vel id quod pro lege et iure servatur. Quid circa rudem equitatem intendant videamus. Circa rudem equitatem hoc intendunt: scilicet eam eruere, erutam in preceptis redigere, redactam in preceptis subditis conservandam iniungere, et sub idoneis titulis collocare. Circa ius intendunt interpretari, addere, corrigere veluti in senatusconsulto Macedoniano contingit. Interpretantur senatusconsultum veluti, cum senatus loqueretur solummodo de peccunia ne quis crederet filiofamilias dicunt: nec aliud in fraudem pecunie. Interpretantur etiam retinendo in statum senatusconsultum veluti, cum senatus prohibuit dari mutuo pecuniam filio familias, dicunt: senatum loqui de naturali mutuo et non de civili. Addere intelligunt, veluti, cum senatus loqueretur solummodo de filio primi gradus, extendunt hoc ad nepotem et pronepotem et deinceps. Corrigunt ut, cum senatus precise prohibuit dari, imperatores permittunt interdum, veluti, cum alibi causa studiorum degit, et ubicumque paterna pietas non recusaret. Circa id quod pro lege et iure servatur, veluti in ultimis voluntatibus et pactis contrahentium, hoc intendunt, ut voluntates defunctorum que neque verbo neque re esse credebantur, sua interpretatione exsistere reipsa interdum credantur, ut de matre dicitur que in puerperio decessit: C. de inofficioso testamento., l. si mater. Quandoque hoc intendunt ut institutio vel legatum que re vera esse credebantur, deficere credantur, ut in C. de heredibus instituendis., l. si pater. Quandoque conditionem appositam que non extiterat extitisse interpretantur, ut C. de institutionibus. l. 1. Quandoque interpretantur conditionem esse appositam, que apposita non fuerat. Quandoque interpretantur abesse que apposita c. 2, b.
fuerant, ut in C. de institutionibus, l. generaliter., ubi dicit: si rogatus est filius restituere hereditatem post mortem, ita demum cogitur restituere si filios non habuit. Sic conditio adesse interpretatur que apposita non fuerat. Item contra, si rogatus esset restituere si filios non haberet vel sine testamento decederet vel si sine uxore, ita demum cogitur restituere, si nichil ex his fuerit subsecutum: et sic interpretantur abesse que apposita fuerant. Circa pacta contrahentium hoc intendunt, vel circa legitimas voluntates, ut sua interpretatione pactum esse presumatur, ut contingit in tacitis pactis que vel odio litis vel equitate rei esse presumuntur vel custodiuntur, ut C. de pactis, l. postquam., ubi dicitur de creditore hereditatis, si conveniat emtorem hereditatis, tacite videtur pactus ne a venditore petat. Quandoque apposita pacta abesse intelliguntur, ut contingit si pacta sunt iniqua vel supervacua. Iniqua ex parte creditoris dicuntur: iniquum est si quod bona fide semel remisit, dolo conatur destruere; iniquum est ex parte debitoris ut

Source : BIU Cujas

verba exceptionis veluti si debitor meus dolo induxit me ut pepigerem ne peterem. Supervacua, veluti si postea pepigi ut petere mihi liceret, quod cum iure replicationis doli poteram suam exceptionem pacti repellere, superfluo pepigi ut mihi petere liceret. Quandoque pacta adesse interpretantur, veluti si stipulatus sim dari mihi dotem ut tunc demum possim petere cum matrimonium secutum fuerit, quia tacita conditio inesse creditur. Quandoque abesse interpretantur, veluti si principali pacto aliquid turpe vel inhonestum additum sit. Sed cum principes et alii de iure tractantes circa equitatem et iustitiam intendant constituere, hoc faciunt vel referendo se ad illam primam partem iustitie in qua iustitia, ratione naturali dictante, primum debuit officium suum exercere, ut Deum revereri, parentes liberos alere; aut referunt se ad illam secundam partem que cum sit in se visa iniustitia, tamen ex comparatione alterius iniustitie visa est iustitia, ut percussum repercutere; quia hoc est in officio iustitie ne alium violes nisi lacessitus iniuria; aut referunt se ad eam partem iuris que circa ius contemptionum expediendarum regendarum versatur; aut referunt se ad illam partem que vertitur circa ius interpretandum, condendum, observandum. Que interpretatio contingit sive oriatur dubium inter equitatem et ius, sive de solis verbis oriatur dubium, sive inter scriptum et sententiam oriatur dubitatio, sive oriatur dubitatio cuius autoritatis et potestatis sit lex, utrum producatur ad similia vel non. Cum questio vertitur inter
c. 2, c. equitatem et ius, soli principi relinquitur dirimendum, vel ei cuiprinceps concessit. Cum de solis verbis oritur neque lege decisum invenitur, ut dicitur in ambigua voce legis. Cum inter scriptum et sententiam, interpretatione consuetudinis deciditur. Cum de auctoritate et potestate legis queritur, lege ipsa a principe solo dirimendum dicitur. Unde fit talis divisio: quod questio que in iure fit alia dicitur boni et equi, alia ipsius iuris. Sed et alie questiones que quamvis principaliter iuris esse non dicantur tamen per consequentiam iuris dici possunt, eo quia iure espediuntur, sicuti questio facti, quoniam cum de facto queritur iure qualiter sit probandum exponitur. Similiter cum de nomine queritur utrum furtum sit vel non, quo nomine debeat significari iure describitur. Cum vero de actione queritur, idest quo loco, quo tempore, apud quem iudicem conveniendus sit, iure esse expeditum dicitur. Sic omnis questio que in iure fit aut boni et equi, aut iuris est. Visa materia et intentione omnium, superest ut de finali causa et utilitate videamus. Sed quia finalis causa et utilitas omnium communis est, ergo superest ut de speciali materia et intentione huius libri dicamus. Specialis autem materia huius libri sunt constitutiones posite in tribus Gregoriano, Teodosiano, Hermogeniano et alie devagantes extra. Intentio Iustiniani est in hoc opere omnes constitutiones in unum colligere, et quicquid est omnium optimum inde decerpere, demptis superfluitatibus, contrarietatibus et similitudinibus, et sacratissimum templum iustitie sub suo felici nomine condere. Finalis causa eadem est cum omnibus tractantibus de iure, scilicet ut ignorantes doceantur, dissimulantes coerceantur et sic dupliciter studeant omnes homines fieri bonos, tum exhortatione premiorum, tum metu penarum. Utilitas maxima est quia his constitutionibus debemus decidere negotia et non ex aliis.

Explicitis omnibus supradictis accedit ad materiam suam tractandam et premittit constitutiones, more aliorum auctorum, que vim prologi seu proëmii obtinent, in quibus captat benevolentiam, reddit dociles et attentos, et vim constitutionum obtinent eo quod precipiunt ex alio codice constitutiones imperiales non esse legendas; in quibus etiam materiam de qua tractaturus est ostendit. Perlectis constitutionibus ille exponit iura propria Romani imperii. Sed quia ius dicitur aliud divinum aliud humanum, precipua autem sunt iura divina quam humana, tractat primum de divino iure. Quia autem divini iuris precipua causa habetur summe Trinitatis et catholice fidei, tractat de ea custodienda et inviolabiliter observanda, imponendo premium observatoribus fidei, penam vero imponendo teme- c. 2, d.
ratoribus secundum qualitatem et condicionem personarum. Inserit etiam capitulum ut nemo de ea publice audeat disputare, imponendo penam disputatoribus secundum conditiones personarum.

II. De sacrosanctis ecclesiis.

Quia ecclesia dicitur mater fidei et religionis, tractat de sacrosanctis ecclesiis. Quia res sunt necessarie usui et cultui divino, ponit de rebus. Quia ecclesia habet privilegium circa se et circa res proprias ideo subiunxit de (1) privilegiis earum. Unde videndum est quid sit ecclesia. Ecclesia dicitur convocatio fidelium, vel traslata significatione etiam locus in quo conditur sacrum ministerium Dei vocatur ecclesia. Videndum est etiam que privilegia sint tributa ecclesiis circa se et circa res proprias. Circa se habet hoc privilegium quod nemo de ecclesia invitus debet extrahi; item quia neque potest vendi neque alienari, neque humana corpora ibi debent sepeliri (2), et nec hospites ibi recipi, nec diminutionem lucrativorum, si a curiali liberalitate aliquid ei donatum sit, pati: et hoc verum est, si accipiatur in ea significatione que dicitur locus. Si vero ecclesia pro conventione vel congregatione fidelium accipiatur, habet hoc privilegium ecclesia ut in testamento ei relinqui possit, quamvis hoc collegio relinqui non poterat, tamen venerabili cuilibet collegio relinqui poterat. In acquirendo etiam fungitur ecclesia privilegio, quia cum privatus emptione, donatione, nisi res tradita sit, dominium non adquirit, tamen si ecclesia emerit, si ei donatum sit, nulla precedente traditione dominium acquirit. Etiam ypothecariam habet, et hoc aliud, scilicet quod usque ad quingentos solidos possit ecclesie donari sine insinuatione, quod privato non potest nisi usque ad trescentos solidos lege antiqua.

(1) *Cod.* et.
(2) *Cod.* sepelligri.

Source : BIU Cujas

In retinendo res proprias habet etiam ecclesia privilegium: retinet etiam res immunes ab extraordinariis et sordidis muneribus Unde facienda est talis divisio munerum, quod munus aliud dicitur personale, aliud patrimoniale, aliud mixtum: personale, ut angaria que in operis manuum tantum costant; patrimoniale, ut quod consistit in prestatione peccunie, ut sunt vectigalia tributa, etiam cum negotiatores vocantur ad aliquam competentem prestationem et extraordinariam; mixtum, ut sunt parangaria que in operis (1) prestatione et peccunie consistunt. Munus in genere acceptum aliud ordinarium, ut sunt canonice illationes, ut tributa et vectigalia, aliud extraordinarium, ut sunt collationes que fiunt ad instructiones viarum seu
c. 3, a. pontium. Extraordinarium aliud honestum, aliud sordidum: honestum aliud respicit ad pietatem, ut collatio viarum seu pontium, aliud ad publicam utilitatem, ut si felix embola poposscerit navigium ecclesie, vel cuiuslibet privati, vel si necessario nos in presens hinc profecturi erimus; quia sive privatus, sive ecclesia sit, cogitur nobis prestare angaria, parangaria et plaustra. Unde colligitur quod ecclesia omnia ordinaria cogitur subire; ab extraordinariis vero et sordidis muneribus omnimodo est immunis. Extraordinaria vero et honesta, si ad pietatem respiciant, omnimodo cogitur subire; sin autem ad publicam utilitatem, duo solummodo cogitur subire, scilicet felicem embolam et repentinam sarcinam.

In admittendo habet privilegium, quia non quemadodum (2) predia privatorum transferuntur in publicum si non solvant canones per biennium. Ita ecclesia habet et aliud privilegium, quia ubi privatus excluditur prescriptione X., vel XX., vel XXX., vel quinquennii, vel alia minori, ecclesia solummodo XL. annis excluditur, sola ecclesia Romana gaudente spatio C. annorum. Habet privilegium circa res proprias alienandas; in ecclesia enim Constantinopolitana constitutum fuerat ut non posset alienare nisi forma a lege Leonis data, scilicet ut temporalem usumfructum rei sue prestaret et aliam invicem acciperet et utraque, finito tempore, in dominio et potestate ecclesie rediret. Et si quis contra hanc formam acciperet, omne quod dedit amittat et rem cum fructibus yconomo seu aliis clericis vendicantibus nomine ecclesie restituat. Yconomus qui hoc fecerit de proprio, siquidem dampnum ecclesie contingit, resarciat; tabellio qui instrumenta conscripsit, penam ex illis paciatur; iudex qui acta apud se confici passus est, dignitatem amittat et bonis spolietur; quod novum ius porrectum est ad omnem locum venerabilem ut nec alienare nec obligare possit preterquam supradicta forma et preterquam causa redemptionis captivorum, excepto si debitum urgens imminet religiose domui quod ex mobilibus solvi non possit: tunc enim, iurantibus qui assistunt loco venerabili coram ordinatore loci quod aliunde solvi non possit, res immobilis detur pignori, vel vendatur XX. diebus subastatione facta vel non invento emptore ipsi creditori, vel in solutum detur addita in pretio decima parte pretii. Item predium inutile propter honus fiscale (1) eadem forma alienetur. Sed et permutare principi et cum alia ecclesia possunt. In emphiteusim etiam dare possunt, iurantibus iis (2) quorum interest ex eo contractu nil ad lesionem divine domus effici, non diminuendo solitam pensionem nisi in sextam partem, re existente integra: re vero diminuta, extante c. 3, b.
nunc pensione, detur in emphiteosim. Quod si res pretiosa est, parum autem aut nichil prestet, iusta pensio prestetur. Si domus est que ruinam passa est, emphiteota non reedificante in tertiam partem pensio minuatur: eo reedificante ex additis illic pensionibus per estimationem medietas detur. Qui vero res iam dictas contra (3) formam legis accipit, quod dedit amittat et rem cum fructibus restituat; si nichil dedit, rem cum fructibus restituat et aliud tantundem ei de suo pretio. Si in emphiteusim accepit, rem restituat et quod dedit amittat. Si secundum formam legum in emphiteosim acceperit, eo non solvente cautionem per biennium, vel faciente rem deteriorem, rem amittat et dampnum resarciat. Quomodo conceditur alienare extraneis, ita interdicitur certis personis veluti yconomo et eius cognatis. Et hec omnia de iure ecclesiarum exposita invenies.

III. De episcopis et clericis et orphanotrophiis etc.

Explicito tractatu sacrosanctarum ecclesiarum, que dicuntur habere privilegium circa se et circa res proprias, quia clerici suppeditant usui et cultui divino, et ratione officii cui imminent (4) privilegium habere dicuntur, eo specialiter subiungit de episcopis et clericis. Sed quia inter clericos maior persona seu privilegiata dicitur episcopus, eo in principio ponit de episcopis, in sequenti de reliquis clericis. Quia et alii qui locis venerabilibus presunt privilegia habere dicuntur, ideo subiungit et de aliis. Quia omnes quedam privilegia communia habere dicuntur, ideoque dixit et de privilegiis eorum. Quia sunt et qui quasi castrense peculium habere dicuntur (5), subiunxit et de castrense peculio. Quia sunt quedam capitula que specialiter spectant ed episcopum, ut redemptio captivorum, subiungit et de redimendis captivis. Quia non omnes ducere uxorem possunt, dicit de nuptiis clericorum vetitis seu permissis. Quia persona episcopi dicitur dignior, tractat ergo primum de episcopis dicendo quid sit episcopus, que habet propria, que communia cum aliis clericis et reliquis. Episcopus dicitur superevidens. Quia tuitio et correptio

(1) *Cod.* opere.
(2) *Cod.* nunquam ad modum.

(1) *Cod.* fiscalium.
(2) *Cod.* his.
(3) *Cod.* cifra.
(4) *Cod.* et cultui divino ratione officii qui imminet.
(5) *Cod. om.* ideoque dixit... dicuntur, *quae verba ex codice ms. Laurentiano supplevi.*

Source : BIU Cujas

omnium clericorum et assistentium locis venerabilibus spectare ad eum dicitur, proprium est episcopi quod nec honore nec legibus causa dicendi testimonii ad iudicium venire cogitur, sed iudex mittat ad eum officiales suos, ut propositis sacrosanctis evangeliis dicat que noverit. Reliqui vero clerici debent venire et iurare, excepta persona sacerdotis que, etsi venerit, iurare tamen non cogitur. Salva tamen erit accusatio litigatoribus, si presbiter sive diaconus falsa presumpserint, et puniendi erunt secundum
c. 3, c. tenorem nove constitutionis. Proprium est episcopi etiam ut, si quis postulaverit exhibitionem episcopi ut accusaturus per calumpniam, XXX. pondo auri debet condempnari Si aliud postulaverit ex Turpiliano S. C. extra ordinem debet condempnari. Etiam episcopi proprium dicitur ut ipsa creatione episcopali liberetur a patria potestate et a servili conditione et ascripticia. Circa res adquirendas aliqua dicenda sunt in episcopo que in reliquis clericis non observantur. Dixit enim quod episcopus habet ius et facultatem rerum que pervenerunt ad eum ante episcopatum alienandi; si autem tempore episcopatus, omnimodo cogitur conservare ecclesie, vel in pias causas expendere, preter quam si ad eum pervenit ex cognatione sibi coniuncta usque ad quartum gradum. Idem etiam in ceteris quibus data est amministratio locorum venerabilium. In ceteris autem clericis hoc distinguitur. Quod clerici autem acquirunt ex rebus ecclesiasticis, et hoc totum coguntur relinquere in usum pauperum aut egentium, aut occasione officii. Quod in munere (1) acquirunt (et hoc appellatur quasi castrense peculium) de eo habent facultatem alienandi et testandi etiam si in potestate parentum sint, nec testamenta eorum subiaciunt querele de inofficioso testamento. Si ab intestato decesserint, agnatis vel cognatis defitientibus, ecclesia succedit, fisco escluso. Sed monachus ipsa ingressione se et sua dedicat Deo; nec ergo testamentum facere potest. Totum ergo acquisitum ecclesie dicitur, nec ecclesia patitur aliquam diminutionem, nisi filios habeat: qui si non habent salvam Falcidie legitimam, omnimodo cogitur reliquere. Si non relinquit, auferendum ecclesie est et supplenda est legitima filiis. Si autem omnia bona ad monasterium contulerit, et postea inter filios dividere voluerit, sua persona filiis connumerata, partem accipiat que monasterio competere debeat.

Habent etiam episcopi hoc commune cum yconomo, quod si relictum est aliquid piis causis, veluti in redemptione captivorum et alimentis pauperum, eorum est exactio et distributio. Sunt alia capitula que ad pietatem respiciunt, provisio quorum ad episcopum solummodo pertinet, veluti ut provideat ne negociatores excedant usum negociandi, et ne subtrahantur alimonie positis in carceribus; et reliqua capitula que in sacris constitutionibus continentur. Habent hoc commune episcopi cum reliquis assistentibus locis venerabilibus, quod omnimodo sunt immunes ab extraordinariis muneribus et sordidis. Si vero honesta sunt et respiciant ad pietatem, vel ad publicam utilitatem, scilicet que ab ecclesia suscipiuntur, et clerici subire coguntur. Clerici tamen translationem suorum prediorum timent nisi solverint canonem per biennium, c. 3, d.
quamvis ecclesia hoc non timeat. Sunt etiam quedam communia clericorum, scilicet quod omnes prestant humaniores vel pauciores sportulas quam privati. Sunt quedam propria aliquorum et non omnium, veluti ut sint immunes a iure tutele vel cure; nam obsecundantes sacris ministeriis et non devagantes habent hoc privilegium. Similiter qui obsecundant locis quibus habitant, exire causa iudicii non coguntur nec in iudicio sisti sive obsecundent sacris ministeriis sive non. Sunt etiam quidam clerici qui possunt ducere uxores, nam lectores et cantores ducere possunt. Si lector post primam uxorem duxerit uxorem secundam, aut primam sed viduam aut separatam a viro aut legibus vel sacris canonibus interdictam, nequaquam ad alium ecclesiasticum ordinem promoveatur. Si vero diaconus aut subdiaconus aut presbiter post ordinationem uxorem duxerit, expellatur a clero, et curie illius civitatis in qua clericus erat cum propriis rebus tradatur. Si vero ante ordinationem legitimam uxorem habuerit, et promiserit se caste vivere, hoc modo ad ordinem poterit accedere. Sed si postquam accesserit, ad secularem conversationem remeaverit, bona eius domini ecclesie vendicentur.

IIII. De audientia episcopali.

Explicito tractatu omnium clericorum et ceterorum qui assistunt locis venerabilibus, quia sunt quedam que specialiter spectant ad episcopum, inducit aliquid speciale de episcopis, dicendo de audientia ipsius episcopi, idest a quibus debeant audiri, et de capitulis pertinentibus ad curam pontificalem. Videndum est igitur a quibus necessario debeat audiri, a quibus voluntarie: voluntarie, veluti si duo laici voluerunt se committere eius arbitrio, vel si clericus conveniat laicum et laicus committat se eius arbitrio; nam experientur eius iuditio in ore residentis arbitri. Nam si duo clerici inter se agant, et causa talis sit que per episcopum expediri possit, ante eum necessario debet expediri; vel si laicus conveniat clericum, ante episcopum debet decidi, premissa tamen divisione cause. Hec scilicet causa alia civilis, alia criminalis. Civilis alia potest expediri per episcopum, alia non: que non potest expediri, sive quia impossibilis ei videtur, sive quia natura cause ita se habet quod per episcopum non sit expedienda, alias decidenda; veluti causa ingenuitatis et libertatis et si que alie inveniuntur, per civilem iudicem sunt finiende. Que vero per episcopum sunt finiende, si ab episcopo sententia dirimantur, quamvis eius sententia visa fuerit iniqua, ab ea tamen non est appellandum, sed adeatur civilis iudex ut cognoscat utrum sit equa vel c. 4. a.
iniqua; si equa mandet eam executioni; si iniqua, ex integro cognoscat ac si non esset decisa.

(1) *Cod.* Imminet.

Source : BIU Cujas

Criminalis questio alia forensis alia ecclesiastica. Si criminalis et forensis est, adeatur civilis iudex ut inter duos menses causa omnimodo decidatur, et si rei inventi fuerint, denudati ac depositi ab officio, prius a suo episcopo condempnentur. Si ecclesiastica est questio, ab episcopo tantum est dirimenda, ut secundum canonicas dispositiones condempnet vel absolvat. Quia sunt capitula que specialiter spectant ad episcopum, dicendum est aliquid de ipsis capitulis. Nam episcopus, inspecta religione, et timore officii et honoris quod sibi est iniunctum divino et humano iure, capitula que ad pietatem respiciunt debet curare ut adimpleantur, sicut in hoc libro est expositum.

V. De Hereticis et Manicheis.

Tractavit de fide catholica et sancta Trinitate inviolabiliter et tenenda et observanda, et privilegiis prestitis hominibus ac locis in quibus fides catholica et sancta Trinitas observanda idest illuminanda predicatur. Quia fidei ac religioni est consentaneum heresim de civitate expellere, tractat de ea repellenda; sed quia inter species heresis maxima est Manicheorum et Samaritanorum, ponit de Hereticis et Manicheis et Samaritis, corrigendo eorum vanam superstitionem, prohibendo etiam doctrinam malam eorum doceri vel disci, imponendo penam docentibus et discentibus, prohibendo etiam ne habeant locum conveniendi, interdicendo eis factionem testamenti vel alicuius ultime voluntatis, idest ne possint testari et ne possint aliquid capere. Nec inter vivos ex aliena liberalitate lucrari possunt nec ad alios transferre. Si tamen habuerint liberos orthodoxe fidei, eis possunt relinquere; filiis non extantibus, qualitercumque decedant sive testati sive intestati, si clerici sunt, ecclesia vendicet bona infra annum, post annum fiscus. Si vero voluerunt, loco venerabili vel filiis orthodoxe fidei possunt relinquere. Dotem et donationem propter nuptias filio prestare cogitur. Mater vero, etsi heretica sit, omnimodo cogitur filiam dotare. Privilegium vero quo mulieres utuntur in dotibus exigendis et in tacitis ypothecis omnimodo denegatur Hereticis et Manicheis.

Preterea coguntur alere filios sive velint sive nolint. Pubblica officia interdicta sunt his qui non partecipant catholicam communionem. Est tamen quoddam publicum officium a quo non omnimodo removentur, veluti a testi-
c. 4, b. monio. Inter se enim admittuntur et contra se pro orthodoxo: contra Christianos vero non admittuntur, nisi in testamentis et contractibus.

VI. Ne sacrum baptisma iteretur.

Quia species est heresis iterare sacrum baptisma, prohibet ne iteretur, privando episcopum a sacerdotio; si alius, a suo officio; si alterius conditionis ille est (1) qui hoc fecit et qui passus est fieri, ultimo supplicio subiacebit, si capax doli est.

(1) *Cod. om.* est.

VII. Nemini licere signum Salvatoris.

Signum crucis ab omnibus est venerandum, et ideo nec in silice nec in alia materia humi posita debet sculpi aut pingi.

VIII. De Iudeis et Celicolis.

Quia omnium est religionem tueri, et aliqui sunt qui occasione semiplene religionis in religionem committunt, ut Iudei et Celicole, ponit de Iudeis et Celicolis. Tractat hoc modo de his: auferendo vetera privilegia, post denegando nova, pollicendo eis premium si ad veram fidem perveniant. Tamen non patitur sinagogas veteres destruere, novas autem non concedit incohare. Addit etiam, ut sub magistratibus, sive conveniantur sive non conveniantur, non debeant exercere causas; item ne Iudei possideant Christianum mancipium vel circumcidant.

VIIII. De sacrifitiis paganorum.

Paganorum vana est superstitio, et ideo prohibitum est eorum sacrificia fieri et templa condi. Si quis contra fecerit, et proscriptionem bonorum patietur et capitis supplitio dampnabitur. Item templa que apperiuntur iuribus fisci vendicabuntur. Si in alieno fundo aut domo, domino sciente et non contradicente, sacrificia facta fuerint, predium publicabitur et dominus, si miles sit, cingulo spoliabitur; si vero plebeius est, capite punietur.

X. De his qui ad ecclesias confugiunt.

De privilegiis sacrosanctarum ecclesiarum convenienter expositum est. Quia privilegium dicitur ecclesiarum ne fugientes ad ecclesiam extrahantur de ecclesia, ponit de his qui confugiunt ad ecclesias. Quia interdum antequam suscipiantur exclamant, subdit « vel ibi exclamant ». Quia qui exclamant quandoque sunt Christiani, quandoque sunt Iudei, videndum ergo si sunt Iudei quid faciendum sit. Iudei enim non sunt recipiendi, nisi prius a mole debiti sint exhonerati, vel a crimine innocentia purgati.

Christiani quidam sunt servi, quidam liberi. Servi nullo modo debent suscipi nisi propter domini duritiam vel intollerabilem iniuriam confugerint. Hac causa cessante non sunt suscipiendi. Set si inopinate in ecclesia inventi fuerint, mox ab yconomis et aliis clericis dominis sunt reddendi, sacramento tamen prestito quod nullam patiantur iniuriam a dominis propter hanc offensam. Si vero etiam hac caucione prestita noluerint ad dominum redire, manu mox iniecta revocentur; et si contigerit confligi in ipsa concertatione, dominus nullam penam pacietur. Christiani et liberi quidam sunt condictionibus suppositi, ut ascriptitii c. 4, c.
et liberti. Ascriptitii non sunt suscipiendi contra voluntatem dominorum, liberti suscipiendi sunt. Sed tamen si inveniantur in ecclesia, sive ascriptitii sive liberti, mox debent

Source : BIU Cujas

reddi dominis seu patronis, prestito tamen supradicto sacramento. Quidam sunt absoluti: absoluti omnimodo debent suscipi, nec inviti debent extrahi sive expelli; et si quis contra fecerit, crimine majestatis tenetur. Sed si creditores petant eum conveniendum, et publice appareat, ammoneatur et ante iudicem conveniatur. Si non appareat, ammoneatur ab yconomo uti se representet, vel per se vel per procuratorem in civili iuditio respondeat. Yconomi nunquam pro his conveniantur. Alioquin solitus ordo iudiciorum exerceatur contra eos qui solet exerceri contra indefensos, ut primum res mobiles pignori capiantur et distrahantur, deinceps immobiles, postea ad incorporalia manus extendantur subtili inquisitione omnium, rerum a iudice facta.

VI. De his qui in ecclesiis manumittuntur.

Quia ecclesie privilegium dicitur ut servi manumittantur, subiungit de his qui in ecclesia manumittuntur. Cuius manumissionis talis est solempnitas. Quis volens manumittere in ecclesia, manumittat hoc modo: episcopo assistente et imponente scripturam vice actorum; et sic contingat libertatem. Si clericus vult manumittere, ex die publicate voluntatis ipso iure competit libertas.

VII. De legibus, et constitucionibus.

Ius aliud divinum, aliud humanum. Exposito et pertractato iure divino, incipit de humano. Sed quia inter humana iura precipua causa habetur ipsarum legum, idcirco ponit specialiter in titulo de legibus ipsis. Posito generali nomine legum, quia sunt quedam leges que gaudent privilegio, ut constitutiones imperiales, subiunxit de constitutionibus. Quia constitutionum quedam sunt que inducunt ius speciale et vocantur solummodo constitutiones, quedam sunt que introducunt ius commune et vocantur edicta, ideo primum de constitutionibus postea de edictis. Vel hoc modo possumus descendere ad litteram: iura quedam sunt divina, quedam humana: tractavit de divinis sacris, tractat de humanis. Quia inter humana sacra precipue habentur leges, ponit de legibus et constitutionibus. Questio: quare prius de legibus quam constitutionibus et edictis (1) cum constitutiones et edicta sunt digniora eis quia procedunt a voce principali. Solutio: ideo primum posuit de legibus quam constitutionibus, quia primum condite fuerunt leges a populo quam ab imperatore, cum dictum sit quod populus transtulit ei et in eum potestatem omnem: sic ergo inspexit ad originem potius quam ad dignitatem.
c. 4, d. Introducitur alia questio: cum in toto hoc volumine tractataturus sit de constitutionibus, quare hic specialiter ponit de constitutionibus. Infra enim tractaturus est de constitutionibus secundum hoc quod accomodantur ad ipsa negocia decidenda, vel finienda; hic autem tractat de legibus condendis, intelligendis, interpretandis. In condendis legibus inspicitur qua de causa sint condende, qua (1) in re sint condende, et qualiter sint condende, in qua vi et potestate sint condende.

Causa: veluti si novum negotium emergat, quod non sit lege decisum: quam olim populus habuit potestatem vel cui populus concedebat, nunc solus imperator vel cui imperator concedit.

Qua in re: in his enim negotiis que frequenter, non que perraro accidunt.

Qualiter: sicut constitutio Theodosii et Valentiniani (2) exprimit: sibi enim imponit formam costituendi. Iis (3) autem quibus imperator dat potestatem constituendi, non imponit formam; sed sicuti sententie eorum et oppiniones ante tempora Theodosii vocabantur leges, ita et nunc vocentur.

In qua vi sunt: in hac vi sunt condende, ut vel imperent vel vetent vel puniant vel permittant; unde dicitur: virtus legis hec est: imperare, vetare, punire, permittere.

Legibus conditis, necessario debent intelligi: sic tractat de legibus (4) intelligendis. Nam intelligende sunt ab omnibus, ut prohibita declinent et permissa sectentur, et eo modo sunt intelligende ut mens earum servetur, nec a iure scripto discedatur. Nam leges begnignius sunt intelligende. Sic in intelligendis legibus inspicitur quis debeat intelligere, et qualiter debeant intelligi.

Quia circa intelligentiam necessaria est interpretatio, subiungit de interpretandis. Videndum est ergo que sit causa interpretandi, quis habet potestatem interpretandi. Causa interpretandi est dubitatio que oritur ex lege, vel verbis legis tantum, vel ex verbis et sententia, vel cum queritur de auctoritate et potestate legis, vel si ius scriptum discedat ab equitate, vel quia verba iuris latius patent quam equitas; vel e converso, quia equitas latius patet quam ius scriptum; verbi gratia: nichil est tam conveniens naturali equitati quam voluntas domini, voluntas, ius suum in agendis transaccionibus ratum haberi; sed pupilli voluntas non est rata habenda. Et sic per interpretationem restringitur ius, quando latius patebat: verbi gratia: soli domino competit accio in rem, et sic ius strictius dictat, sed equitas latius patet per interpretationem ut detur emphiteoticario et superfitiario et multis aliis. (5)

Cum ex verbis legis sumitur dubium, sic invenitur decisum: in ambigua voce legis ea significatio accipienda est que vitio caret, veluti stipulaturus sum ut soluto matrimonio res dotis me sequentur; nam ita hec verba in- c. 5, a.
telligenda sunt ut stipulatio valeat, idest ut sibi restituantur. Cum ex verbis et sententia, iudicis necessaria est interpretatio, et quod in uno aliquo negotio interpretatus fuerit necessario tenendum erit in ipso negotio. Sic eius

(1) *Suppl.* posuit.

(1) *Cod.* quia.
(2) *Cod.* Valentini.
(3) *Cod.* is.
(4) *Cod. om.* legibus.
(5) *In cod. laur. desunt verba:* nichil... multis aliis.

Source : BIU Cujas

interpretatio erit necessaria, sed in specie. Si vero ex consuetudine sic erit iudicatum, tunc consuetudo erit optima legis interpres: sic talis interpretatio erit necessaria et generalis. Si ab imperatore vel ab eo cui imperator concesserit fiat interpretatio, similiter erit necessaria et generalis. Cum oritur dubium cuius autoritatis sit et potestatis, ex verbis ipsius legis intelligitur utrum eius auctoritas teneat omnes an aliquos: si aliquos (1), tamen non est eius potestatis ut ad similitudinem protrahatur; si omnes, quia generalis est, ad simitudinem producitur. Cum dubitatio oritur inter ius scriptum et equitatem, idest queritur an ius scriptum sit equum, solius principis est interpretatio, vel cui princeps concessit: et tum erit necessaria et generalis.

Conditis et intellectis legibus, (2) necessario debent observari. Nam observande sunt leges, ne quid fiat contra legem vel in fraudem legis, quia ea que lege fieri prohibentur non solum inutilia sed pro infectis habeantur, et quod subsecutum ex eo vel ob id quod interdicente lege factum est cassum atque inutile est, veluti si quis scienti rem sacram vel liberum hominem vendidit. Nam huiusmodi venditio non valet, et traditio que sequitur ex ea non valet, et si pignora ob implendam venditionem data essent, nec ea valerent. Sed huic regule in primo capite et secundo et III. opponitur. In primo hoc modo: cum lex dicit ipsum quod contra legem factum est plane inutile et pro infecto haberi, regula est que dicit: quod factum est nulla iuris constitutione mutari potest quin sit. Ideo ita est intelligendum: quod lex dicit pro infecto quantum ad ius intelligendum est, idest quod ius ita constituat ac si non esset factum, duplici verbo scilicet inutile et pro infecto ita opponitur: est enim aliquid quod est contra legem, et utile et pro facto habetur, veluti si quis faciat furtum contra legem, utile mihi est cui fit furtum, quia consequor penam et pro facto habetur. Regula ita determinatur: regula loquitur de his que capiunt substantiam et effectum a iure, ut pacta, conventiones, contractus et ultime voluntates. Secundo verbo veluti « ex eo » ita obicitur: est
c. 5, b. aliquid quod contra legem est; quamvis ipsum non valeat, tamen quod sequitur ex eo valet; veluti pactus sum tibi ut dem decem, ut reddas animalia mea; hoc pactum contra legem est, tamen quod sequitur ex eo valet, ut, si sequatur traditio, transfertur dominium; et hoc videri potest ideo quia condictionem habet ad repetendum, quod condicere non posset, si eius mansisset. Cum regula sit que dicat neminem posse condicere rem suam nisi a fure, ita solvitur: cum lex dicit « cassum atque inutile » hec traditio dicitur inutilis eo quia per actionem revocatur, cum id inutiliter dicitur esse apud me quod ita est ut retinere non possim. Sic ergo quod sequitur ex eo aut est cassum ideo ipso iure non valet, aut inutile constituitur per accionem. Si opponatur de eo quod dedit ob turpem causam, cum turpitudo versatur ex parte eius qui dedit, idem dicendum est, quia pertinet ad odium dantis. Vel sic determinari potest: aliud est enim id ipsum quod est contra legem esse, aliud est id ipsum quod est honestum esse sed turpem causam secum iniunctam habere, ut dicitur hic: bonum est enim x. dare et animalia reddere, sed ob x. tamen reddere turpe est. Merito ergo aliud est esse contra legem, aliud secundum legem sed turpem causam secum iniunctam habere; cum, si sit contra legem, neque id ipsum valet neque quod sequitur ex eo valet; cum non sit contra legem sed habet turpem causam adnexam, quamvis id ipsum non valet tamen quod sequitur ex eo valet, quia merito traditio valuit. Si opponitur de eo qui dedit ob turpem causam quia non repetit, ita solvitur: hoc fit odio dantis ut in odium eius puniatur.

In tercio capite sic opponitur, quod sequitur ob id, ut ecce: venditio predii minoris non valet neque traditio, tamen quod sequitur ob id valet, veluti si pignora obligantur a tutoribus vel curatoribus pro venditione predii minoris. Ita solvitur: aliud est esse contra legem, aliud contra formam legis; sed alienatio predii minoris non est contra legem sed contra formam legis. Senatus enim dat certam formam quomodo possit alienari, contra quam si fiat, valet quod sequitur ob id (et hoc secundum Garnerium). (1) Vel aliter potestis determinare. Regula que dicit: Quod factum contra legem et constitutiones loquitur de his que habent perpetuam causam prohibitionis: sed alienatio predii minoris non habet perpetuam, sed temporalem et hoc secundum Yrnerium. Si opponitur illud quod dicitur de preside, si contraxerit matrimonium cum provinciali, quod durante offitio non valet matrimonium, deposito confirmatur similiter, ut supra determinatur. Sed hic opponitur: ecce soror adoptiva; quamdiu durat adoptio tibi nubere non potest; dissoluta adoptione potest; tamen matrimonium non valet, neque quod sequitur ex eo valet, ut dotis datio; neque quod sequitur ob id valet, veluti pignoris datio, et sacramentum; et tamen non habet perpetuam causam prohibitionis. Et ideo ita distinguendum est: que habent
temporalem causam prohibitionis, quedam habent ab initio c. 5, c.
turpem, quedam sunt que non turpem habent sed solummodo legibus interdictam. Que habent temporalem et turpem omnimodo nec ipsa nec quod sequitur ex eo vel ob id valet, ut contingit in sorore adoptiva. Ideoque regula: quod contra legem factum est nec ipsum, neque quod sequitur ex eo, vel ob id valet, sic breviter determinanda est: quod factum contra legem est, si ipsum habet substantiam et effectum a iure, id si fiat, inutile est ac (2) pro infecto habetur, at quod sequitur ex eo vel ob id, si habet perpetuam causam prohibitionis vel temporalem sed ab initio turpem, nec ipsum nec quod sequitur ex eo vel ob id valet (3).

(1) *Cod. om.* si aliquos.
(2) *Cod. om.* legibus.

(1) *Cod.* Garn.
(2) *Cod.* hac.
(3) *Cod.* valet vel ob id.

Source : BIU Cujas

XIII. De iure enuclando et auctoritate iuris prudentium.

Leges sacratissime ab omnibus debent sciri ut prohibita declinent et permissa serventur. Sed ne dubietas oriatur, ex quibus voluminibus leges sint accipiende atque observande, ideo in titulo specialiter de iure enucleando, idest apperiendo, subiunxit et auctoritate eorum que refferuntur in Dig., ostendendo per suam constitutionem que primum leges fuerunt a compositoribus, quibus mandatum imposuit congregandi leges, nobis tradite et aperte, formam etiam inserendo scripture ne fiat per captiones signorum et ne commenta addantur, nisi forsitan quedam preparatoria ab aliquo sapiente conficiantur, que facilius lectorem ad intelligentiam iuris perducant.

Precipit etiam in sua constitutione, ius seu leges ita in unum congregari ut nec aliquid imperfectum relinquatur, idest nec idem vel simile inveniatur nec contrarium: simile vel idem, nisi ad pleniorem indaginem vel ad divisionem faciendam; non contrarium, nisi inter antiquas et novas. Et merito: nam dictum esse invenitur priores ad posteriores esse trahendas: si sunt contrarie; si non sunt contrarie, posteriores determinantur per priores. Quod ergo dicitur precise in hac constitutione nichil contrarium intelligendum est de eo quod additum est a compositoribus, quia in suis interpretationibus et in suis additionibus, correptionibus, nichil debet inveniri contrarium. Si obiciatur huic quod dictum est nove leges sunt contrarie prioribus et quod idem imperator contrarius sibi ipsi dicitur, quia ipse facit suas leges veteres et novas, cum dicit merito « omnia nostra facimus cum a nobis omnis impertitur auctoritas » ita solvendum est: imperator enim cum dat autoritatem novis legibus, duplicem auctoritatem prestare dicitur, idest ut narrentur a iurisconsulto, et in iuditiis observentur; veteribus autem et contrariis ut narrantibus, non
c. 5, d. ut confirmentur. Et sic quid novum, quid vetus sit (1) cognoscatur, sicuti in libro. Institutionum dictum esse titulo de testamentis invenitur, cum dicit: Ne penitus antiquitatem ignorare videamus dicamus quid novum, quid vetus intelligatur. Sic ergo non est inconveniens ut imperator aliud dicat confirmando, aliud sollummodo narrando.

XIIII. De iuris et facti ignorantia.

De legibus, et ex quibus voluminibus scientia legum sit accipienda, compendiose est expositum. Quia quandoque aliqui laborant ignorantia iuris in qua iuditiis subveniri desiderant, ideo subiungit de ignorantia iuris. Quia ignoratur non solum ius, sed etiam factum, ponit de ignorantia facti. Videndum est ergo quid sit ius ignorare, quid factum.

Ius quis dicitur ignorare sive erret in iure, veluti si possidebam rem ex testamento condito duobus testibus quod credebam sollempniter factum, ut ff. de petitione hereditatis., l. sed., et sive penitus nesciat.

(1) *Cod. tub.* esse., *law.* sit.

Factum dicitur ignorare sive erret in facto, ut dicitur de eo qui mente titubante solvit quod putabat se accepisse, ut C. de conditione indebiti., l. ult., sive penitus factum ignoret.

Cause ex quibus pretendit quis iuris vel facti ignoratiam, et per quas vidende sunt. Cause ex quibus pretendit hec sunt: quia fecit quod non fecisset, aut omisit quod omissurus non esset si ius vel factum scisset. Propter has causas pretendit quis iuris ignorantiam ut aut servetur illesus, aut sibi lapso subveniatur.

Visis atque discertis causis ex quibus et propter quas pretendat quis ignorantiam iuris vel facti, videndum est qua ignorantia quis desideret sibi subveniri. Primum ergo facienda est divisio ignorantie. Que ignorantia sic dividitur: ignorantia alia iuris, alia facti. Item ignorantia iuris alia naturalis, alia civilis. Ignorantia iuris naturalis nemini subvenitur; nam nemini permissum est ignorare ius naturale, sicut dicitur de liberto qui vocavit patronum in ius, non venia Edicti petita. Nam etsi pretendat ignoratiam naturalis iuris, non subvenitur ei quin incidat in Edictum, ut C. de in ius vocando., l. II.

Ignorantia iuris civilis alia sacrarum constitutionum, alia ceterarum partium iuris. Cum ignoratur ius sacrarum constitutionum, aut commune aut speciale: cum ignoratur ius commune, veluti si cum putarem testamentum in scriptis posse valere etsi nullam subscriptionem testium habet, ideoque passus sum coheredes dividere datos mihi in testamento, mihi subvenitur si divisio facta fuerit hac ignorantia. Cum ius speciale ignoratur, illud ius speciale inventum est favore aut odio. Si est ius speciale et favore inventum, nemini permissum est ignorare, veluti favore ecclesie inventum ne possit alienare nisi predicta forma adiecta: unde si quis emit ab ecclesia putans ecclesiam posse vendere vel alienare, tamen rem cum fructibus debet restituere et pretium amittere, quamvis ius sacra- c. 6, a.
rum constitutionum ignoraverit. Si est ius sacrarum constitutionum inventum odio, ei cuius hodio inventum est non est permissum ignorare, veluti, mulierum odio nubentium infra tempus luctus dictum est quod, si nupserit infra annum est infamis et aliis penis subicitur; similiter et qui duxerit eam est infamis, si scivit eam infra annum nubere, quamvis putabat iure nubere posse. Concluditur ergo quod ius speciale non est permissum ignorare. Sed et ius commune potest quis ignorare excepto eo quod sit ius commune sacre constitutionis proditum ad rigorem iuris conservandum, quod nulli permissum est ignorare, veluti, communiter statutum est ne quis rem suam sine iudice poscat (1); quam si sua auctoritate invaserit, putans sibi licere invadere, amittit eam rem quamvis sacras costitutiones ignoraverit.

Cum ignoratur ius ceterarum partium, similiter aut commune aut speciale.

(1) *Cod.* poposcat.

Source : BIU Cujas

Ius commune permissum est ignorare, veluti venditionem rei mee putavi valere sine precio, et ideo tradidi: subvenitur mihi in hac ignorantia ut possim repetere. Si est ius speciale, aut est inventum favore, aut odio: favore, ut in senatusconsulto Velleiano quod inventum est favore mulierum; unde si ipsa mulier, ignorans se tutam esse exceptione, solverit, subvenitur ei ignorantia istius iuris: ei autem qui accepit, etsi putavit mulierem posse intercedere et sic posse solvere, non subvenitur ignorantia istius iuris. Si est inventum odio, ei cuius odio est inventum non subvenitur, veluti odio creditoris inventum est ne credat mutuam peccuniam filiisfamilias, quamvis putabat filiumfamilias posse accipere, et sic se obligare; ei autem filio, si solverit, quamvis ignorabat se tutum esse, non subvenitur, quia non est inventum eius favore. Hoc idem distinguitur et ceteris partibus iuris. His ergo distinctionibus visis et cognitis, intelligendum est ex ignorantia cuius iuris civilis nobis subveniatur.

Est et alia ignorantia que facti dicitur, que similiter dividitur, scilicet quod alia dicitur crassa et supina, alia dicitur probabilis. Si est crassa et supina, nemini ignoranti subvenitur, ea veluti decesserat agnatus tibi quem tu ignorabas decessisse, cum omnes qui in civitate essent sciebant; ex hac ignorantia non subvenitur tibi ut possis
c. 6, b. amplecti eius hereditatem finito tempore.

Est alia ignorantia facti que probabilis est, veluti errare in facto alieno; et ex tali ignorantia subvenitur.

Sic discertis omnibus ignorantiis, videamus igitur in quid differat ignorantia iuris ab ignorantia facti. Nam ignorantia facti subvenitur mihi tam in dampno evitando quam in lucro captando, nisi res obstet que gaudeat privilegio, veluti res iudicata, transaccio, vel iusiurandum et causa que crescit per infitiationem. Nam ex his causis solutum, etsi velim evitare dampnum per ignorantiam facti, tamen mihi non subvenitur. Interdum etiam persona hoc idem facit, veluti quod non debebam solvi minori, qui minor scorto pecuniam dedit vel alias pecuniam male consumpsit; inibetur mihi repetitio, quamvis pretendam ignorantiam facti. In lucro subvenitur mihi ignorantia facti, veluti in usucapionibus quia ignorans rem alienam possum usucapere, et in aliis quam pluribus exemplis. Sed ignorantia iuris in dampnis evitandis prodest, veluti si is qui obnoxius creditoribus fuerat, in suo testamento reliquid legata et fideicommissa, heres adivit hereditatem et legata solvit, deinde se abstinuit, creditores (1) non inveniunt in bonis unde satisfieri sibi possit; habent conditionem ad repetendum. Idem est si passi sunt legatarios ignorantia iuris primum sibi solvere. Sed in lucro ignorantia iuris nemini subvenitur, veluti si poterat amplecti possessionem bonorum infra dies C., ignorantia iuris non putabat sibi currere tempus, non subvenitur ei nisi sit minor vel rusticus vel miles; et interdum mulieri, veluti si debeat exigere idoneas satisdationes, nec exegit iuris ignorantia, tunc subvenitur ei. Sed quod dictum est « ignorantia iuris in dampno prodest » ita accipiendum est, si neque per se instructus erat, neque copiam iurisconsulti habebat.

(1) *Cod. conditores.*

Visis differentiis utriusque ignorantie, videndum est quando omnis sciens conveniat cum omni ignorante, quando differat ab omni, et quando a quodam et non ab omni.

Omnis ignorantis et scientis par habetur conditio, vel ad hoc ut equaliter prematur, vel ut immunis apud iudicem conservetur. Premitur, veluti si quis sciens vendiderit rem alienam vel ignorans, re evicta, omnimodo tenetur; vel si quis vendiderit animal morbosum vel viciosum, eque tenetur de morbis et vitiis. Sed de interesse extra rem non equaliter tenentur; nam sciens tenetur, ignorans vero non tenetur. Immunis omnis ignorans et sciens conservatur, veluti si id quod paternum erat, respondi (1) esse maternum. Nam sola responsio nichil ei nocet. Et hoc contingit aut propter rem, aut propter personam: propter c. 6, c.
rem, veluti si id quod erat paternum, et contra; propter personam, veluti si minor est; nam equaliter, sive ignoret sive sciat, subvenitur, preterquam si delictum obstet; nam si ignorans delinquit, ei subvenitur; si sciens, non subvenitur.

Quandoque sciens differt ab omni ignorante, veluti quod nullo iure debebam vel iure tantum civili et non naturali solvi; si sciens, non repeto; si vero ignorans sive ius sive factum, repeto.

Quandoque a quodam differt et non ab omni, veluti quod naturaliter tantum debebam, si sciens ius vel factum vel ignorans ius solvi, non repeto; ignorans factum repeto, sicut dicitur de eo qui putabat, ignorantia facti, plus esse in bonis quam esset, et ideo solvit ampliora legata; repetere potest. Si opponatur id quod in lege dicitur « si putavi testamentum ratione iuris stare posse et ideo passus sum hereditatem dividere, quod possum repetere, quamvis naturaliter debeatur » dicendum est tamen ibi nullam esse naturalem obligationem quia nec alter debitor, et alter creditor dicitur; sic quod nullo iure debetur ignorantia iuris repetetur, quia dando coheredem non obligat heredem, sed relinquendo ab herede, heredem obligat.

Studiose et subtiliter omnibus perscrutatis, videndum est quam rem desidero, utrum dampnum velim evitare an lucrum capere. Nam levius subvenitur volenti dampnum evitare quam volenti lucrum capere, veluti si creditor de bonis debitoris primum sibi satisfieri velit quam legatariis; nam creditor de dampno evitando contendit, legatarius de lucro captando. Inspiciendum est similiter quid sit quod impugnare intendit, utrum rem gaudentem privilegio, veluti rem iudicatam et transaccionem et minoris personam, et que cause faciunt pro eo, que contra eum, et quis modus petendi sit, utrum accionem an defensionem. His omnibus inspectis, iudici liquidum erit utrum ignorantia debeat subvenire an auxilium denegare.

(1) *Cod.* respondi.

Source : BIU Cujas

XV. De precibus imperatori offerendis.

Tractavit de legibus que a personis conduntur, interpretantur, observantur: merito de personis regentibus iura subiungit. Sed quia inter personas dignior est persona imperatoris, adiunxit de imperatore. Sed quia imperator non ita de facili adeundus est, nisi precibus porrectis, dicit de precibus imperatori offerendis. Quia non ex omni causa licet supplicare, dicit de quibus rebus supplicare liceat, vel non. Ubi videndum est que persone non possint preces porrigere, ut sic cognoscamus que possint offerre. Ecce
c. 6, d. servus non habet facultatem porrigendi preces, nisi in his casibus ubi delatio criminis conceditur, veluti in vindicanda (1) nece (2) domini, et in crimine maiestatis et quibusdam aliis. Similiter filii eorum qui sunt condempnati crimine maiestatis non possunt porrigere preces.

De his rebus supplicare licet in quibus crimen supplicanti indulgetur, vel supplicanti prosit et alium penitus non ledat, veluti si petat moratoriam prescriptionem. Nam si alias contra ius vel utilitatem publicam rescriptum impetratum sit, ab omnibus iudicibus refutari, et nisi sit rescriptum indulgens aliquod simile his rescriptis que posita sunt in libro imperialium constitutionum vel nisi evidens sit ratio quare a iure scripto recedatur; nam si rescripta inveniantur devagantia tempore istius legis, vel post hanc legem inveniantur impetrata contra ius publicum vel utilitatem vel non consentanea iuri, sed per mendatium, carere effectu non dubitatur; vel si preces porrecte sint ante sententiam, post sententiam vero datum sit rescriptum, non valet; vel si post provocationem impetratum sit, non valet nisi denegatur ei copia actorum. (3)

XVI. Quando libellus principi datus litem contestatam faciat.

Preces porriguntur imperatori ut rescriptum impetretur. Quia quandoque porriguntur ut querimoniam faciant et acciones perpetuentur, dicit quando libellus porrectus pro contestatione habetur. Et dicendum est quod si annales sunt acciones et pretorie, porrectione libelli perpetuantur, et heredibus et in heredes dantur. Si vero sunt perpetue, non perpetuantur, nec tempus interrumpitur, nisi, alegato sacro rescripto fuerit per executorem secuta conventio.

(1) *Cod. add.* vel.
(2) *Cod. add.* de.
(3) *Cod.* auctorum.

XVII. De personis iura regentium.

De persona imperatoris congruenter expositum est: de reliquis personis regentibus iura constat esse exponendum. Quia expositio congrue perpenditur per divisionem, itaque dividamus et singulis propria officia accomodemus. Quarum personarum fit talis divisio, scilicet quod alie sunt illustres, que sunt in superiori gradu, alie spectabiles, alie sunt clarissime. Illustrium quedam in civitate sunt, quedam extra civitatem sunt. Tractat primum de his que extra civitatem sunt, et in diocesim eorum secundum locum obtinent ab imperatore; et sic tractat de officio prefecti Orientis, seu Illirici, et reliquis habentibus illustrem dignitatem, ostendendo etiam quod salarium possint percipere hii qui militant circa eos, sive gerant armatam miliciam sive inhermem. Similiter de officiis spectabilium seu clarissimorum et eorum qui gerunt officia circa eos tractat, sive in civitate sint, sive extra. Subiungit etiam titulum communem omnium iudicum tam civilium quam militarium, ut post amministrationem depositam per L. c. 7, a.
dies in civitatibus maneant, vel in certis locis: qui si non steterint, crimine maiestatis plectantur, et L. libras auri publicis calculis inferant. Tractat et specialius de officialibus iudicum, et de assessoribus, et domesticis et cancellariis, ostendendo quod assessores non debent subscribere libellis nobis inconsultis, et si fecerint, exilio puniantur. Nec in sua provincia ultra IIII. menses debent assidere, alioquin proscriptionem bonorum paciantur et publico iudicio accusentur, nisi per oraculum celeste vel tue amplissime sedis preceptione se defendant; dicendo etiam quod idem non debet esse assessor diversorum iuditiorum, (1) nec debet esse advocatus et assessor in eodem iuditio; quod si fecerit, de officio deponendus erit et mulctam X. librarum substinere debet. Ponit specialiter de contractibus iudicum inhybendis, et donationibus factis in eos vel eorum qui gerunt officia circa eos, nisi causa exculenti vel potulenti contraxerit, vel nisi (2) post depositum officium ratum a contrahentibus fuerit, vel quinquennale tempus preteriit. Quia eorum qui gerunt officia quidam habent maiorem dignitatem, quidam autem inferiorem, et secundum diversitatem officiorum possunt imponere penas extraordinarias, ideo tractat de mulctis, idest penis extraordinariis, dicendo: sicuti habent maiorem dignitatem, ita possunt infligere maiores penas.

(1) *Cod. laur.* iudicum.
(2) *In codice tubingensi, scriptura sublata, his verbis* vel nisi *quae in codice laurentiano extant, postea substitutum est verbum* licet.

Source : BIU Cujas

LIBER SECUNDUS

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas



I. De edendo.

TRACTATUS personarum regentium iura commode explicitus est. Quia iura regi et observari non possunt nisi in iudicio, accedit ad ipsa iuditia explicanda. Sed quia sunt quedam que faciunt preparationem ad ipsa iuditia ut edictiones accionum seu vocationes in ius, ideo ponit de edendo seu de in ius vocando: et primum dicit de edendo accionem, naturali ratione inspecta. Ubi videndum est quid sit edere accionem, que sit causa edictionis.

Edere accionem est speciem future litis demonstrare, idest ostendere quid dicturus sit; quam emendare vel mutare licet, prout ammonet auctoritas perpetui edicti, vel ut decernit equitas reddentis ius. Auctoritas seu equitas ita ammonet ut causa edictionis salva sit.

Causa edictionis est hec: ut per editionem adversarius sit instructus utrum malit cedere an contendere.

Sumpta occasione ab edictione accionis, tractat de edictione instrumenti; unde quid sit edere instrumentum, quis edere cogatur, et que sit causa editionis videndum est.

Edere est facere copiam describendi et legendi.

c. 7, b. Quis cogatur: actor reo cogitur edere instrumenta quibus velit suam exceptionem probare. Reus autem actori volenti suam intentionem probare edere non cogitur nisi ex causa, veluti si aliquis scripsit se suscepissse rem a me, amisi instrumentum incendio vel alio fortuito casu, et simile instrumentum extat apud eum, officio iudicis cogitur ipsum exhibere. Sed si velit adiuvare intentionem per replicationem, in probanda replicatione actori reus cogitur exhibere. Causa editionis est probatio seu defensio. Sunt alii qui gerunt pubblicum officium veluti argentarii, numularii qui conscribunt rationes de acceptis et datis, qui ex Edicto actione in factum coguntur edere. Consocius sive procurator, curator, negotiorum gestor, quia tenentur privata actione, neque ex officio iudicis neque ex Edicto coguntur edere.

II. De in ius vocando.

Edita accione, quia adversarius neque vult cedere, neque contendere, et ideo necessaria est vocatio in ius, tractat de in ius vocando. Quid sit in ius vocare et que persone prohibite sunt vocari videndum est, ut ex contrario intelligamus que possunt vocari.

In ius vocare est iuris experiendi causa vocare.

Persone prohibentur in ius vocari variis ex causis: aut humano iure aut divino: divino, ut pontificem dum sacra facit; humano, aut publico aut privato: publico, ut consules, pretores et ceteros qui imperium habent; privato: aut ratione necessitatis, aut private utilitatis, ant ratione pietatis, aut ratione obsequii. Ratione necessitatis, ut dum persequitur cadaver, iuxtave mortuos iter facit; utilitatis, ut dum uxorem ducit, nuptias facit; aut ratione pietatis, veluti prohibiti sumus patrem naturalem et iustum vocare in ius. Nam si vulgo concepti sumus, matrem non vocabimus; talem vero patrem qui nec pater dici debet impune vocabimus. Si vero pater certus est, et servitus sola erat impedimento ut in ius non vocaretur, talem patrem non inpune vocabimus. Similiter adoptivus pater non impune vocabitur iure magis patrie potestatis quam edicto pretoris; sicut naturales filii et iusti qui ratione potestatis patrem vocare non possunt, nisi habeant castrense pecculium. Nam venia Edicti petita, tunc cum habent castrense peculium, possunt vocare. Aut ratione obsequii prohibentur vocari, ut puta patronum, patronam, parentes et filios patroni, nisi aliquibus rationibus amisis-

Source : BIU Cujas

set ius patronatus, veluti si patronus coëgit libertum ne uxorem duceret vel libertam ne nuberet: tunc enim impune vocabitur; et ceteris similibus; et generaliter quibuscumque personis debemus reverentiam, eas sine iussu pretoris in ius vocare non possumus. Sed si vocaverimus, causa cognita, pretor dat accionem in factum. In cause
c. 7. c. cognitione hoc vertitur, quia interdum moderanda est iuris dictio, veluti si peniteat et accionem remittat is qui vocavit in ius vel si is qui vocatus est, non veniat, aut si sponte veniat: tunc pretor penam remittat. Alioquin etiam accio in factum in L. aureos datur in eos: que accio nec heredi nec in heredem, nec ultra annum extenditur. Quod si omnes penam impositam non possunt solvere, a prefecto sunt castigandi, si inopia dignoscantur laborare. In summa intelligendum est, omnes qui non possunt vocari ratione Edicti, venia petita possunt vocari, dum tamen inviti de domo non extrahantur, quia domus est tutissimum receptaculum uniuscuiusque.

III. De pactis.

De iudiciis (1) tractaturus, preposuit preparatoria ipsorum iuditiorum scilicet de edendo et (2) in ius vocando; accedit nunc ad ipsa iuditia constituenda et pertractanda. Sed quia pacta et transacciones preveniunt ipsa iudicia, tractat primum de pactis et transactionibus. Quia vero pactum est generale, transactio est specialis, primum de generali, postea de speciali: vel quia in pactis naturalis equitas vertitur, in transactionibus vero iniquitas versatur sed odio litis toleratur, idcirco primum tractat de pactis dicendo quid sit pactum secundum nomen, quid sit secundum significationem, et que ammoneant nos ad observationem pacti, et que persone admittantur ad paciscendum, et que possunt prodesse sibi et nocere et aliis prodesse et preiudicare, et de qua re liceat pacisci. Distinguit etiam alternationem rerum et personarum, idest in hac re cum hac persona que in pactis inserta est pacisci (3) liceat. Ostendit etiam effectus pactorum, idest an pacta valeant ad agendum vel defendendum, an sint utilia vel inutilia.

Pactum diffinitur secundum nomen: pactum a pactione dicitur; inde etiam nomen pacis appellatum est: vel a percussione, eo quod palmis antiqui (4) se percutiebant cum paciscebantur. pactum diffinitur secundum significationem hoc modo: pactum est consensus duorum vel plurium in idem dandum vel faciendum, quod alter spe seu acceptione admittit. Consensum vocat per similitudinem, nam sicut convenire dicuntur qui ex diversis locis in unum colliguntur, ita qui ex diversis motibus animi in (5) unam sententiam concurrunt consentire dicuntur. Sed quia possunt consentire in idem et non esset pactum, ut sedere vel ambulare, ideo subiunxit « in idem dandum seu faciendum »; et quia duo possunt consentire in idem dandum seu faciendum, et non esset pactum, veluti si nos duo consentiamus c. 7. d.
ut ecclesie demus X., seu faciamus domum vel alicui extraneo eo absente, et tamen non est pactum inter nos, ideo subiunxit « quod alter spe seu acceptione admittit »: spe, veluti in pactis que nulla re secuta consistere dicuntur, ut in emptionibus et ceteris; acceptione, veluti in his que consistere non dicuntur nisi factum vel datio precedat. Que ammonent nos ad observationem pacti: nam tria sunt que inducunt et ammonent nos, veluti fides, arbitrium, auctoritas. Fides custodienda est in pactis; unde fides sic describitur: fides est conventorum pactorum veritas et iustitia, ex quibus duabus contingit ne confidentes in nos decipiantur; unde sic fides describitur: fides est quod ab uno promittitur, ab altero speratur. Arbitrium ammonet cui non est resistendum. Nam varii et incostantis hominis est proprio arbitrio non (1) resistere; nam quod semel placuit, postea displicere non debuit. Auctoritas: nam pretor ait: Pacta servabo que neque dolo ect..

Persone etiam distinguende sunt que admittuntur ad paciscendum. Nam ea persona est admittenda cui non est prohibita administratio suarum rerum. Nam quedam prohibentur natura, quedam iure prohibentur: natura, ut infantes, furiosi, mentecapti, et omnes quibus naturalis sensus deest; iure prohibentur ut pupilli, prodigi, quibus administratio bonorum interdicta est, et servi. Sunt et alii qui alicubi admittuntur, in quodam casu prohibentur, ut fiiliifamilias, mulieres; nam pupilli, prodigi paciscendo se aliis non possunt obligare, vel suam intentionem exceptione elidere; alios vero sibi possunt obligare et eorum intentiones exceptione elidere. Sed si pupillus accipiat mutuam pecuniam etiam sine tutoris auctoritate, si locupletior inveniatur, quamvis rigore iuris non obligatur, tamen interpretatione iurisconsulti accio in eum dari invenitur. Idem est in omnibus contractibus qui re contrahuntur, ut in Dig. de auctoritate tutorum., l. pupillus., et in ff. commodati., l. sed mihi. Idem et in prodigis, ut in Dig. si certum petatur., l. certi. Servi, omni distinctione semota, nec obligant sibi, nec obligantur aliis iure civili. Sic ergo pactum eorum nec sibi valet, nec contra eos (2) valet, ut in Dig. de peculio., l. nec. Filiifamilias mutuam pecuniam accipiendo inutili pacto non obligantur, alias omnino tenentur. Mulieres intercedendo non obligantur: alias obligantur.

Quarum personarum quedam sunt que sibi suo pacto c. 8. a.
non possunt prodesse vel nocere, tamen aliis prodesse possunt et nocere: distinguamus que persone suo pacto aliis prodesse possunt et nocere. Ecce servus paciscendo meliorem domini sui conditionem facere potest, vel stipulando, vel per traditionem accipiendo, vel etiam paciscendo

(1) *Cod.* divitiis.
(2) *Cod. om.* et.
(3) *Cod.* pascisci.
(4) Antiqui *ex cod. ms. laurentiano supplevi.*
(5) *Cod. om.* in.

(1) *Cod. om.* non.
(2) *Cod.* eum.

Source : BIU Cujas

ne a domino petatur; exceptionem enim pacti querit domino. Sic ergo servus suo pacto domino potest prodesse, sed ei non potest nocere. Sed hoc distinguendum est cum servus paciscitur: aut in re dominica aut in re pecculiari. Cum in re dominica: aut adquirenda, aut acquisita: in adquirenda conditionem domini (1) meliorem et deteriorem facere potest; in adquisita meliorem facere potest, deteriorem minime. Idem est si bona fide servierit, vel si in his habet usumfructum In re igitur pecculiari deteriorem facere possunt nisi animo donandi faciant, veluti si habent liberam amministrationem, ut in ff. de iureiurando., l. servus., et C. quod cum eo., l. si liberam.

Similiter filius paciscendo in re patris nichil detrahit obligationi patris, sed patri suo pacto in melius reformare potest accionem. Si preterea paciscatur ne a patre petatur, exceptionem patri acquirit. Si vero in causa peculiari paciscatur, idest ne pecuniam quam crediderant petatur, patri vel domino obstat exceptio. Hoc verum est si habuerit liberam aministrationem; hoc ita verum est si non animo donandi pacti sunt. Nam donandi causa pacisci non possunt nisi consequantur tantumdem vel plus. Si vero filius paciscatur ne a se petatur, si in personam pactus est, filio vivente nec pater nec filius heres patris conveniri potest; si in rem pactus est, nec vivente filio nec mortuo pater conveniri potest. Si vero servus paciscatur ne a se petatur; si in rem, domino pacti exceptio datur; si in personam, tunc domino superest doli exceptio, ut in Dig. tit. eod., l. si tibi., et in sequentibus legibus. Nos autem paciscendo, his qui in nostra potestate sunt prodesse possumus; sed si conveniamur nomine eorum nobis prodesse per exceptionem pacti possumus, ipsis autem prodesse per exceptionem doli. Et ideo sic distinguendum est. Cum pater paciscitur filio, aut filio ut filio, et tunc acquirit exceptionem doli, ut in Dig. eod., l. et heredi., aut utilem actionem, veluti si stipulatus est dari filio, ut C. de pactis dotalibus (2) l. pater.; aut pactus est filio ut extraneo.; tunc neque exceptionem pacti, ut ff. eod., l. si tibi., neque accionem acquirit; aut pactus est filio ut heredi: tunc filio acquirit exceptionem pacti, ut. Dig. de iure dotium, l. avus., sed actionem non acquirit nisi utilem,
c. 8, b. ut in Dig. de iure dotium., l. si itaque. Sunt alii qui suo pacto nobis prosunt et nocent, veluti si procurator pactus sit ne a me peccunia petatur; tunc acquirit exceptionem doli. Similiter si stipulatus est, mihi utilem accionem acquirit ex stipulatu, ut Dig. de procuratoribus., l. procurator; similiter utilem ex empto et alias quamplures, ut in ff. de actionibus empti., l. Iulianus. Si paciscatur ut ego petam, removendus sum exceptione doli, ut in Dig. tit. eod., l. nam., sive mandavi ut paciscatur, sive omnium mearum rerum procurator fuerit. Item magistri societatum pactum nocet, prodest, ut Dig. eod. Pactum tutoris prodest pupillo, sed nocere non potest, ut C. tit. eod., l. pactum., nisi alias habet vires quam solius pacti, veluti transaccio et iurisiurandi delatio. Transaccio enim facta cum tutore nocet pupillo, ut Dig. de furtis., l. si pignore., et l. interdum. Pactum rei principalis fideiussori prodest utique si in rem est; si autem in personam, non prodest fideiussori post mortem rei principalis, ut ff. tit. eod., l. et heredi. Pactum vero fideiussoris non prodest reo per exceptionem pacti, sed per exceptionem doli utique si in rem est, ut in Dig., tit. eod., l. idem. Idem est in duobus cumfideiussoribus, ut pactum unius alii prosit, si in rem est, quod cedit loco solutionis. Si vero duo rei promittendi, vel duo argentarii sotii sunt, pactum unius alteri prodest; sed si sunt duo rei stipulandi, pactum unius alteri non nocet, nisi tale pactum vim solutionis obtineat, ut acceptilatio. Nam acceptilatio unius alteri nocet, etsi hoc agatur ut prior obligatio perimatur, ut ff. de acceptilatione., l. ius. Delatio sacramenti unius alteri similiter nocet, ut ff. de iureiurando., l. duo.

Visis atque distinctis personis que admittuntur in pactis, res distinguende sunt de quibus pacisci liceat. Nam res tales esse debent quas neque natura, neque ius impediat quominus de his pacisci liceat: natura, veluti ircocervum vel hominem mortuum dari; ius, veluti si res tales sint de quibus leges, plebiscita, senatusconsulta decreta pretoris, principum placita prohibent ne de his paciscatur: leges, ut pactum de alienatione predii dotalis factum; plebiscito, veluti si quis donum vel munus dedit presidi non causa esculenti vel potulenti: senatusconsulta, veluti de prediis minorum non alienandis, veluti si quis crediderit pecuniam filiofamilias; principum placita, veluti pactum de re litigiosa factum, vel si quis dimidiam partem litis pactus fuerit ob patrocinium prestandum, ut Dig. eod., l. sumptus.; decreta pretoris, ut si res prohibita sit deduci in pactionem propter qualitatem cause, non propter metum vel dolum. Sunt alie de quibus pacisci prohibiti sumus iure civili, ut de re hereditaria amota controversia, vel quia boni mores prohibent pacisci, ut de futura hereditate sine voluntate eius de cuius hereditate agitur. Restat igitur quod contra rationem iuris c. 8, c.
intelliguntur esse pacta aut propter personam aut propter rem. Sunt alia pacta que non sunt contra rationem iuris, tamen alia ratione intelliguntur inutilia, veluti quod ius non assistit illis pactis, veluti si aliquis promisit alium daturum vel facturum, inutile est hoc pactum. Sed hec pacta que inutilia sunt hac ratione quod ius non assistit illis, aut ius non assistit favore inspecto, aut odio. Favore, veluti si quis promisit se aliquam ducturum uxorem, alioquin penam; favore matrimonii dictum est, quia libera debent esse matrimonia in contrahendo et disolvendo: nec valet promissio, nec pene peticio; similiter si promisisset ne duceret, ut C. de inutilibus stipulationibus, l. libera. et ff. de verborum obligationibus, l. Titia. Odio, veluti si quis convenit ne furtum faceret, et si faceret penam; nec valet conventio nec promissio; et si aliquid promisisset ob hoc ne faceret, nulla est promissio, ut ff. de

(1) *Cod. om.* conditionem domini.
(2) *Scil.* de pactis conventis tam super dote etc.

Source : BIU Cujas

pactis, l. iuris gentium. Si vero sunt inutilia, hac (1) sola ratione quia ius non assistit, nullo inspecto favore aut odio, veluti si convenit alium daturum vel facturum, alioquin penam, quamvis non valeat conventio, tamen valet pene petitio, ut Instit., de stipulationibus. Alia vero pacta que sunt inutilia quia sunt contra rationem iuris, nec ipsa valent, nec quod sequitur ex eo vel ob id valet, premissis tamen distinctionibus que alias in titulo de legibus, et constitutionibus congruenter exposite sunt. Sunt tamen quedam pacta que contra leges videntur, tamen quia non sunt contra rationem iuris valent, veluti si mulier intercedendo renuntiat Velleiano, vel si quis cum haberet prescriptionem fori pepigit ne uteretur ea: quamvis pactum contra legem videtur, tamen valet, quod regula iuris dictum est, quod unicuique licet renuntiare his que pro se indulta sunt.

Alternatio personarum et rerum distinguitur, veluti an hec persona cum hac persona in hac re admittenda sit; quia quamvis persona talis sit cum qua pacisci liceat, et res talis sit de qua pacisci liceat, tamen in hac re cum hac persona pacisci non licet, veluti duo debitores unius creditoris pacti sunt ad invicem ne ambo debeant, sed unus solummodo: hoc pactum non valet, quia non est factum cum ea persona que potestatem remittendi habet, ut C. tit. eod., l. debitorum. Vel si quis pactus est cum aliquo ut in flumine publico facere aliquid liceret, hec pactio non valet nisi a principe habuit licentiam vel ab eo qui potestatem concedendi habuit impetratum sit, ut in Dig. ne quid in loco publico., l. pretor.; et hoc est quod dicitur: « pactis privatorum non leditur ius commune. » Nam quociens pactum est a re privata remotum, non valet, ut Dig. de pactis., l. ius publicum, l. genera et C. de iu-
c. 8, d. reiurando propter., l. II.

Effectus pactorum videndus est. Sed ut effectus videri possit, premittende sunt alique divisione. Nam pacta quedam sunt expressa, quedam sunt tacita; tacita quandoque equitate rei presumuntur et custodiuntur, ut dicitur de creditore qui convenit emptorem hereditatis, tacite videtur convenisse ne conveniat venditorem, ut Cod. tit. eod., l. II.; quedam quandoque odio litis presumuntur et custodiuntur, ut dicitur de eo qui movit litem de predio, ita tacuit per totum tempus iuditii, tacite renuntiasse videtur, ut C. eod., l. postquam. Expressa, quedam sunt publica, quedam privata: privata quedam expressa, quedam tacita: privata quedam legitima, quedam iuris gentium: iuris gentium quedam sunt principalia, quedam sunt accessoria: principalia, quedam stant in generali nomine, quedam transeunt in speciali. Quedam constant in generali nomine aut viribus solius pacti censentur, aut sunt subnixa datione vel facto, ut in contractibus innominatis, sunt obligatoria; que non adiuvantur datione vel facto non sunt obligatoria, et hoc est quod dicitur: « ex nudo pacto non oritur accio ». Quedam transeunt in speciali, ut emptio, locatio et conductio que transeunt in speciali. Quedam contrahuntur re, quedam verbis, quedam litteris, quedam consensu. Accessoria: quedam sunt de substantia contractus, quedam de natura, quedam extra naturam. Que sunt de substantia aut informant, aut renovant: informant, veluti contingit in venditionibus, si pactus sum de augendo precio vel diminuendo, et hoc agatur ne a priori contractu recedatur; si autem hoc agatur ut a priori contractu discedatur, renovatur contractus, quod agi semper intelligitur nisi in contrarium agatur, ut in Dig. de rescindenda venditione., l. si quam rem. Sed in his que sunt de substantia non distinguitur utrum incontinenti, an ex intervallo fiant, ut ff. eod., l. iuris. In his autem intelligendum quod veterem accionem informant aut renovant, novam autem prescriptis verbis numquam pariunt. Que sunt de natura vel extra naturam quedam fiunt incontinenti, quedam ex intervallo: que fiunt incontinenti, pariunt novam, et veterem informant accionem; sive de natura, veluti ut caveatur de evictione cum fideiussore, ut in Dig. de contrahenda emptione., l. pacta.; sive extra naturam, veluti vendidi domum hac lege ut habitare liceret: (1) pariunt accionem novam prescriptis verbis et veterem informant. Si ex intervallo, accionem non pariunt, sed defensionem parant, veluti si esset in domo, se tueri posset exceptione pacti. Sed si fideiussor vel pignus datum esset, retineri posset. Et hoc est quod dictum est, quod pariunt accionem et veterem informant. Verum est si in contractibus bone fidei fiant; sin autem in contractibus stricti iuris, novam solummodo
c. 9, a. pariunt, veterem nunquam informant, cum incontinenti facta sunt, nec potest distingui quod supra dictum est in bone fidei contractibus.

Item pacta que valent ad agendum vel ad defendendum, quedam habent certa verba, quedam ambigua. Si verba ambigua posita sunt in principalibus pactis, veluti si quis promisit se daturum Stichum, cum duos haberet Stichos, vel promisit hominem Cartagini, cum essent due Cartagines, ita interpretandum est, ut res de qua agitur in tuto sit, ut Dig. de rebus dubiis., l. ult. Si in accessione pacti ambiguitas inciderit, contra eum interpretandum est qui habuit potestatem apertius dicendi legem: Dig. tit. eod., l. veteribus., veluti cum vendidit, et ita dixit: « servitutes uti nunc sunt ut ita sint », contra eum interpretandum est qui legem inposuit, idest ut domus sit libera ab omnibus servitutibus, ut ff. de contrahenda emptione., l. cum in lege.

Dictum est quod pacta quedam sunt que valent ad agendum, quedam ad defendendum; quedam tollunt accionem ipso iure, ut si pactus sim ne agam furti, vel iniuriarum; quedam sunt que tolluntur per exceptionem, veluti si cum mihi debentur C., pepigi ne peterem. Si agam, quia naturalis obligatio sublata est ipso iure per pactum, civilis petitio eliditur per exceptionem. Unde quesitum fuit ubi locum haberet id quod dicitur « novissima pacta observari oportere », an in his accionibus locum habet

(1) *Cod.* ac.

(1) *Cod. laur.* si incontinenti, pariunt etc.

Source : BIU Cujas

que ipso iure per pactum tolluntur, veluti si pepigi ne agerem furti, vi bonorum raptorum, iniuriarium; et quod consensu contractum est, si contrario consensu sublatum sit, si postea paciscar ut petere liceat, an agere possis; et dicendum est non posse agere, quia accio que ipso iure per pactum sublata est, posteriori pacto non integratur. Restat igitur novissima pacta servari oportere, nisi tale pactum antecedat, quod ipso iure tollat priorem obligationem, ut solutio, acceptilatio et delegatio que vim solutionis optinent.

Item que pariunt exceptionem quedam sunt personalia, quedam in rem: quedam ex utroque latere personalia, veluti si ego pactus sim ne specialiter a te petam, solummodo ego non a te, sed ab herede tuo petere potero, heres meus a te et ab herede tuo petere poterit; quandoque ex alio latere tantum in personam, ex altero in rem, veluti si pactus sim ne petam, ego petere non potero, nec a te nec a tuo herede, sed heres meus petere potest a te et ab herede tuo; quandoque ex utroque latere in rem, veluti si ego pactus sim ne petam, nec ego
c. 9, b. nec meus heres, nec a te nec a tuo herede petere poterimus.

Item pacta que videntur valere ad agendum vel defendendum quedam fiunt pure, quedam in diem, quedam sub conditione. Que pure: ex his statim agi vel defendi potest; que in diem, die eveniente agi potest; que sub conditione fiunt, tunc demum ex his agi vel defendi potest cum conditio evenerit. Unde facienda est talis divisio conditionis, quod condicio que apponitur in pactis seu stipulationibus, alia pendet ex insidiis fortune, et tunc demum petere potest cum conditio evenerit, quia in his tantum spes est debitum iri; alia ex facto promittentis: que ex facto promittentis, alia incipit a conditione, alia a precedenti paccione, veluti si decem non dederis, promittis dare XX.; statim peti potest, sed expectabitur quoad dari possit, nec enim cum saculo paratus venire debuit, ut Dig. de verborum obligationibus., l. si ita.; cum a precedenti paccione: pactio que precedit aut est obligatoria aut non: pactio non obligatoria, veluti pactus sum me dare Stichum et, si non darem, promisi penam, hic agi potest contra me ex quo fui in mora dandi Stichum, sed antequam lis contestetur adversus me in penali accione, possum purgare moram dando Stichum; sed post litem contestatam precise teneor in penam, nec licet mihi purgare moram, ut C. tit. eod., l. si pacto.; et cum incipit a precedenti pactione obligatoria, veluti promisi me daturum Stichum, et si non darem, penam; lite contestata, in priori committitur sequens penalis, et prima confunditur in sequentem iure novationis si actum est, ut ff. de actionibus et obligationibus., l. obligationum. Alia pendet ex utroque et dicitur mixta, veluti si Affricam non navigaveris promittis C.: hec tunc demum committitur cum condictio evenerit: conditio evenisse intelligitur cum certum fuerit non posse eum navigare Affricam, vel causa finita fuerat propter moram ipsius qui volebat navigare: Dig. de verborum obligationibus., l. ita. In summa sciendum est quod pacta nec heredem faciunt, nec dominium transferunt in aliquem preterquam in ecclesiam; nam si ecclesie vendatur, donetur, etiam sine tradictione habet vendicationem, ut C. de sacrosanctis ecclesiis., l. ult.

IIII. De transactionibus.

Iura circa pacta vertentia congruenter sunt exposita. Quia in pactis equitas desideratur, in transaccionibus iniquitas fovetur, sed odio litis tolleratur, idcirco quostquam tractavit de equis pactis, tractat de iniquis, idest de transaccionibus: vel aliter: superius tractavit de gratuitis pactis nunc vult tractare de non gratuitis, hoc scilicet c. 9, c.
modo, dicendo quid sit transaccio secundum nomen et secundum significationem, et que persone admittantur ad transigendum, de qua re transigi liceat, et quis sit effectus transaccionis.

Transaccio secundum nomen sic describitur: transaccio est litis transicio. Secundum significationem sic describitur: transaccio est pactum; que fit de re dubia et lite incerta nec dum finita sententia vel amicali pacto, aliquo dato vel retento seu promisso. Rem dubiam accipit id ipsum quod in questione vertitur, idest: oportet te dare vel facere?, vel cum dico rem meam esse et tu infitiaris: quamvis id ipsum quod petitur plerumque certum sit, tamen an te dare vel restituere oporteat incertum est. Incertum dico lite, non iure; nam ius fere semper certum est utrum oporteat dare vel non, ut in secunda l. C. dicitur; et si nulla fuisset questio in iure, tamen res fuerat dubia lite, et ideo valet transaccio.

Persone distinguntur que admittuntur ad transigendum. Nam persona talis debet esse que neque natura, neque iure expellatur: natura, ut omnes illi quibus naturalis sensus deest; iure, ut pupilli, prodigi quibus interdicta est amministratio, et servi. Sunt tamen quedam persone que transigendo possunt remittere, tamen simplici pacto remittere non possunt, ut tutores, curatores, ut Dig. de furtis, l. si pignore., l. si tutor., et l. interdum. Est alia persona que paciscendo et nocere et iuvare potest, ut procurator qui habet generalem administrationem: Dig., tit. de pactis., l. rescriptum., tamen transigere non potest; nam in generali mandato non continetur ut transigere possit, ut Dig. de procuratoribus., l. mandato.

Res distinguenda est de qua transigere liceat. Res talis debet esse que neque natura prohibita sit deduci in questionem dandi, ut ircocervus, neque iure prohibitum sit de ea pacisci, ut de crimine quod non ingerat penam sanguinis, excepto crimine falsi. De crimine capitali licet transigere, excepto adulterio; nam unicuique licet redimere sanguinem suum. Similiter de alimentis transigi non licet. Nec obloquitur quod dictum est: interest rei publice ut maleficia puniantur. Multo namque commodius est homines iure servari quam capite detruncari, cum alias prohibitum sit ne quid fiat in flumine publice, tamen si uti-

Source : BIU Cujas

litas privata inveniatur quandoque preponderare utilitati rei publice, permissum est aliquid fieri, ut Dig. ne quid in flumine publice., l. I., § sunt qui. Similiter non obloquitur quod dictum est: «pactis privatorum non leditur ius commune vel ceterorum », sicut hic fit; nam cum transactum est cum quolibet ex populo, ceteri, si velint accusare,
c. 9, a. removentur exceptione transaccionis. Hec enim regula tunc locum habet cum interest rei publice ut a privato pecuniariter ne fiat transaccio. Sed si opponatur quod interest rei publice pecuniariter ne fia transaccio de his criminibus ex quibus bona in publicum devolvuntur, ut est de crimine maiestastis, supradicta distinctione determinari potest, idest si utilitas privata preponderaret utilitati rei publice (1). Sed alimenta quedam sunt data: de datis transigi licet. Quedam sunt relicta. Relicta quedam sunt preterita, quedam futura: de preteritis transigi licet; de futuris transigi non licet, nisi pretore auctore: pretor enim interponere se (2) debet causa cognita. In cause cognitione vertitur modus, tempus, et locus et persona. Item de controversiis que oriuntur ex ultimis voluntatibus non licet transigi, nisi inspitiantur verba testamentis. Item super re iudicata transigi non licet, nisi hoc ipsum sit in questione, an iudicatum sit bene, ut Dig. de conditione indebiti. l. eleganter., § si post rem.; vel nisi sententia suspensa sit appellatione vel restitutione: tunc alias si supra sententiam transactum sit, id quod datum est relevat rem iudicatam, ut ff. de conditione indebiti., l. eleganter., § si post.; nisi transaccio confecta sit vinculo aquiliane stipulationis et acceptilationis, ut C. tit. eod. His causis cessantibus, constat de reliquis posse transigi. Nam constat nostro arbitrio, auctoritate nostra a lite posse discedere; a qua si discederemus, amplius ad eam redire non possumus, nisi etas, vel metus, vel vis, vel dolus malus hoc fecerit. Nam transaccionem (3) que per calumpniam extorta est, dicimus nullius esse momenti, inmoque quod datum est ob transaccionem repetitur, ut Dig., de conditione indebiti., l. in summa. Item si timore falsi instrumenti transaccio inita sit, et ea rescinditur odio falsi instrumenti, ut C. eod., l. si ex falsis., rebus et causis cessantibus que ab initio faciunt inutilem transaccionem, vel ex post facto rescinditur transaccio cum (4) constat trasaccionem effectum habere.

Effectus transaccionis talis est quia parit sollummodo defensionem et non accionem; quamvis enim sit « tibi facio ut des », quia a lite discedo ut des x., si inde videtur oriri accio, tamen, quia non est certum aliquid tibi ex meo facto vel adesse vel abesse, dicitur: neque civilis prescriptis verbis, neque pretoria de dolo oriri debet. Excipitur, si mater super querelam inofficiosi transegit, ut
c. 10, a. dimidiam partem hereditatis acciperet, eaque decessit antequam aliquid acciperet. Si filius petat, et heres scriptus non vult adimplere quod convenit, filio succedenti matri competit accio prescriptis verbis; que accio non competeret matri si ipsa viveret, quia regressum ad querelam haberet, et eam per replicationem doli iuvaret, ut ff. de inofficioso testamento. l. si instituta. Sed heres querelam, cum sit omissa, non potest intendere. Minus ergo iuris transferimus ad heredes quam ipsi nos habeamus, et hoc odio querele.

Quare sicut hoc speciale invenitur contra heredes odio querele, ita hoc aliud speciale invenitur pro eis ut habeant prescriptis verbis accionem, sicut alias contingit quod ex uno speciali sequitur aliud speciale, veluti si favore libertatis dictum est: si quis petat libertatem ex testamento quod dicitur inofficiosum, si iuditium durat per annum, favore libertatis eripitur in libertatem. Merito et aliud contra eos inducitur, scilicet ut ex ante gesto teneantur, ut C. de petitione hereditatis., l. ult. Item contingit alias ut propter transaccionem inveniatur dari accio, veluti cum convenit dari liberum predium ob transactionem; dedit et apparet pro parte alienum: dabitur accio prescriptis verbis; non enim hoc ipso pacto se obligavit tantum, sed ipsa datione pactum obligatorium fecit. Quod generale est in omnibus transaccionibus ubi aliquid datur: his rationibus cessantibus, ex pacto transaccionis dabitur exceptio. Sed si non adimpleatur quod convenit, exceptio transaccionis replicatione doli vel in factum tollitur, nisi prior transaccio sublata sit aquiliana stipulatione et acceptilatione: tunc enim, eo non implente quod convenit infra concessa tempora, dabitur de dolo. In quibus transaccionibus inspicitur utrum generales an speciales sint; si specialis sit petitio et generalis est trasaccio, tamen restringitur circa specialem petitionem; si generalis petitio et generalis transaccio, pretextu rei post reperte apud eundem non rescinditur. Sed si fuerat apud alium tempore transaccionis, error habitus circa proprietatem nichil nocet tue petitioni quandoque vendicanti. Sed si est specialis petitio et generalis transaccio, peticioni non nocet: multo minus nocet si est generalis petitio et specialis transaccio.

V. De postulando.

Expositurus iudicia preposuit de edendo et de in ius vocando. Quia pacta et transacciones preveniunt iudicia, interseruit de pactis et transaccionibus. Rediit ad materiam suam. Set quia in iure vocatis, cum non paciscantur neque c. 10, b.
transigant necessari sunt postulatores qui exponant desideria eorum in iuditiis, ponit de postulatoribus. Unde videndum est quid sit postulare. Postulare est desiderium suum vel amici apud eum qui iurisdictioni preest in iure exponere, vel alterius desiderio contradicere. Qui prohibiti sunt a postulatione: nam prohibentur aliqui iure pretorio, alii iure constitutionum, alii sententia. Iure pretorio quidam in totum prohibentur ut minores X. et VII. annis, et surdus qui penitus non audit. Nam in primo ordine excipit etatem et casum. Quosdam etiam prohibet ne po-

(1) *Cod. laur.* Similiter de alimentis transigere non licet.
(2) *Cod. om.* se.
(3) *Cod.* transaccio.
(4) *Cod. om.* cum.

Source : BIU Cujas

stulent pro aliis, sed pro se admittit, ut mulieres et ceteros qui patiuntur muliebria sui corporis. Nam in primo et secundo ordine excipit sexum, casum, et personas in turpitudine positas. Quidam prohibet ne postulent nisi pro se et certis personis, veluti infames. In tertio ordine solummodo excipiuntur infames; iure constitutionum, ut qui redemptores litis existunt et qui non sunt imbuti catholica fide; sententia, veluti si a prefecto Egipti prohibitus es causas orare vel ab alio iudice.

VI. De errore advocatorum et ut que....

Sed quia in postulationibus faciendis error invenitur, dicit de errore advocatorum seu concipientium libellos vel preces. Nam errorem eorum permissum est nobis corrigere infra triduum proximum. Nam iudici non est permissum hoc facere; nam de facto neque debet respondere neque supplere, sed de iure respondere debet et supplere, si quid minus a litigatoribus vel a partibus fuerit dictum.

VII. Ex quibus causis infamia irrogatur.

Postulatorum tractatus espositus est; qui ob infamiam removentur a postulatione: hac ratione subiungit de infamia. Dicendum igitur quid sit infamia et que sint cause que irrogant infamiam. Fama seu estimatio est illese dignitatis status, moribus ac legibus comprobatus, nec in aliquo diminutus, qui ex delicto nostro auctoritate legum aut minuitur aut consumitur.

Visa deffinitione fame, per contrarium intelligitur quid sit infamia: infamia est privatio fame.

Auctoritate legum minuitur fama, aut ipso iure, aut per sententiam genere pene non inspecto, aut sententia genere pene inspecto.

Ipso iure, veluti si aliqua nupsit infra tempus luctus, ea est infamis, et is qui sciens eam duxit est infamis, preterquam si ea infra tempus luctus partum deposuit et
c. 10, c. ad secunda vota migravit cum prior vir lugendus non erat vel si aliqua in adulterio deprehensa erit; vel spectaculum sui causa ludicre artis populo fecisset: hec causa exempli.

Ex sententia non inspecto genere pene irrogatur infamia tam in delictis quam in contractibus vel quasi contractibus. In delictis, veluti si condempnatus est furti, et in similibus; et non solum condempnati sunt infames, sed etiam si depecti, idest turpiter pacti sunt, idest qui pro mala conscientia ullam pecuniam numerassent adversariis; nam si bona gratia, non sunt infames. In contractibus quibusdam condempnati sunt infames, veluti si ex dolo commisso in contractu condempnati sunt, ut in contractu mandati directa et in quodam casu in contraria accione, veluti si fideiussi pro te et solvero; si condempnavero te mandati, te facio famosum. Similiter in accione mandati et depositi: in his accionibus directis dampnatus erit infamis; in contrariis non erit infamis. Nam in contrariis non queritur de perfidia, sed de calculo. Sed in contractibus dampnati sunt infames non etiam pacti. In malefitiis, si suo nomine sunt dampnati et pacti, sunt infames: hoc verum est quod sententia iudicis efficiuntur infames, non etiam arbitri. Nam sententia arbitri neminem infamat. Sic sententia aliqui efficiuntur infames, quod ita intelligendum est: si crimen tale sit, vel contractus, vel quasi contractus ex quo demum sequatur infamia, si condempnatus sit furti et vi bonorum raptorum et similibus; nam non sufficit furtum fecisse nisi condempnatus furti fuisset; nec sufficeret si pena furti condempnatus esset, nisi nomine furti dupli esset condempnatus vel pro condempnato habitus, veluti si in furto deprehensus esset, ut dicitur de muliere que in adulterio deprehensa pro condempnata habetur, ut Dig. de ritu nuptiarum., l. palam., § que in adulterio.; vel si etiam confessus esset (de ea tantum confessione dico, que preiudicat veritati), ut confessus in iure pro iudicato et condempnato habetur, ut haberetur cum deprehensus est seu depectus. Et hoc videri potest illo verbo quod dictum est: pactus furti est infamis quia sua conscientia se dampnat, ut ff. de infamia., l. quoniam. In his etiam criminibus, ubi nomine criminis data sententia irrogatur infamia, nec distinguitur utrum pena sit aucta vel diminuta, veluti cum furti debuit condempnare in duplum et condempnavit in quadruplum, vel e converso; nam nichilominus remanet infamia. Similiter non sufficit ex contractu vel quasi teneri, nisi sequatur sententia; sed sive sit pactus vel confessus, conmutatur cum infamia.

Quandoque sententia inspecto genere pene minuitur fama, veluti si ex aliquo crimine relegandus esset per quinquennium, vel removendus ab ordine, vel castigandus fustibus. Si tali pena ex eo crimine condempnetur, est in-
famis: que pena si sit aucta a iudice, videtur remittere c. 10, d.
infamiam; si sit diminuta a iudice, remittendo penam videtur remittere infamiam, quia utrumque spectatur, idest ut crimine et tali pena sit condempnatus. Quid ergo si pena sit inflicta et non ex crimine, veluti habita questione ob crimen? Non erit infamis, ut C. tit. eod., l. nullam estimationis. Et his omnibus modis minuitur fama: que diminutio ita accipitur, cum libertas retineatur sed status minuitur.

Quandoque fama penitus consumitur, veluti si libertas et status admittitur, veluti cum quis dampnatus est in opus metalli, vel alias servus pene effectus, vel in servitute revocatus: et hoc tantum sententia contingit.

VIII. De procuratoribus.

Tractavit de postulatoribus, quorum officium est desiderium suum vel amicorum in iure exponere. Quoniam ergo procuratores id faciunt, merito subiungit de procuratoribus. Sumpta vero occasione ex his procuratoribus qui dantur ad iuditium, tractat generaliter de ommi pro-

Source : BIU Cujas

curatore dicendo quid sit procurator, qualiter constituatur, que persone possunt constituere et que necesse habeant constituere, quis possit constitui, in qua re constituatur, quando officium eius finiatur, quis sit effectus procuratoris.

Procurator is est qui aliena negotia mandato domini amministrat. Sed et is (1) qui nondum administrat, suscepit tamen mandatum, amministrandi iure procurator est quamvis actu nondum intelligatur procurator; eo tamen amministrante, iure et re procurator intelligitur. Constituitur procurator mandato precedente et eo suscipiente sive coram eo, sive per nuncium, sive per epistolam: nam eo invito non constituitur. Invitum non tantum accepimus qui contradicit, sed etiam eum qui non probatur consensisse, ut Dig. eod., l. filius., § invitum.

Que persone procuratores constituere possunt videamus. Hee persone constituere possunt que potestatem habeant amministrandi secundum formam impositam mandato: que habeant legittimam amministrationem suarum rerum. Sed tamen si minor procuratorem ad administrandum dedit, quamvis non legittime possit gerere, tamen si male gesserit, mandati minori tenetur, ut Dig. de minoribus., l. cum mandato. Idem est in prodigis, filiisfamilias si habeant amministrationem legittimam vel rerum peculi vel aliarum, nam ad amministrandum procuratorem dare possunt; vel ad iuditium, si conveniantur, dare procuratorem possunt. Nam ex omnibus causis ex quibus patresfamilias conveniuntur ex hisdem filiifamilias, excepto mutuo, ut Dig. de obligationibus., l. filiifamilias. Ad agendum vero his casibus, ubi accionem habeant, si neque pater pre-
c. 11, a. sens est, neque procurator patris velit experiri, tunc procurator datus a filio iure datus intelligitur, ut Dig. tit. eod., l. filius.

Servus ad administrandas res pecculiares, cum ipse amministrationem habeat, procuratorem dare potest: ad iuditium vero dare non potest nisi in causa liberali et ibi tunc demum cum proclamatur ex possessione libertatis in servitutem, ut Dig. tit. eod., l. servum., C. de assertione tollenda. Procurator ad amministrandum procuratorem dare potest; tutor et curator similiter: ad iuditium vero non possunt dare procuratorem nisi lite contestata ab his, quia tunc sunt effecti domini litis. Pupillus auctoritate tutoris, etsi lis non sit contestata, procuratorem dare potest, ut C. tit. eod., l. neque. Quedam sunt persone que ad amministrandum necesse non habent dare procuratorem, tamen ad iuditium necesse habent, ut illustres, sive agant, sive conveniantur, ut C. tit. eod., l. quicumque.

Quis possit dari: is dari potest, qui administrationem suarum rerum habet. Hoc est ad administrandum; sed ad iuditium non omnes qui amministrationem habent dari possunt procuratores, ut servus, etsi amministrationem habeat, dari tamen non potest ad iuditium. Mulier, miles, et accusatus capitali crimine, nisi purgaverint se, ad iuditium dari non possunt, nisi in rem suam procuratores dati essent. Sed si militi non sit opposita prescriptio in principio ante litem contestatam, a lite postea removeri non potest. Similiter minor in iuditio procurator esse non potest, nisi in specie, veluti si mater condempnanda erat ut contumax et indefensa; nam iustius fuit talem minorem audiri, quam matrem, ut contumacem, indefensam condempnari: C. tit. eod., l. exigendi. Sed si non vellet iuditium subire, sed causas allegare pro quolibet, posset hoc facere, sive iuditium esset criminale, sive civile. Nam publice interest absentes a quibuscumque defendi ubi cause absentie eorum allegentur: Dig. tit. eod., l. servum.

Qua in re constituatur procurator: in ea re constituitur que mandari potest administranda. Sed si res sit turpis seu contra leges, quia de hac mandatum consistere non potest, nec procurator constitui potest: Dig. tit. mandati., l. si re., et l. si vero. Similiter in re propria amministranda procurator ab extraneo constitui non potest, nisi mandavi tibi ut communem rem, quam cum aliis habebas, mihi emeres: tunc et in rem propriam meus procurator intelligeris: Dig. tit. mandati., l. si mandavero., § Iulianus. Similiter si res talis est que ad iuditium deducitur, tunc procuratur constitui potest; nam procurator ad iuditium constituitur, nisi causa criminalis sit; nam in criminali causa procurator dari non potest. Similiter in c. 11, b.
populari accione et contra. Sic ergo procurator datur ad administrandum. Datur etiam ad iuditium. Cum ad iuditium: aut est procurator actoris, aut rei. Si dicit se procuratorem actoris, aut certum est habere mandatum, et tunc non cogitur aliam satisdationem facere, nisi de defensione; aut dubitatur de mandato: tunc aut cogitur probare mandatum aut cavere de rato et satisdare de defensione, ut C. eod. tit., (1) l. I. Nam omnis procurator actoris de defensione cogitur cavere nisi esset procurator in rem suam et ex necessitate: Dig. tit. eod., l. si quis in rem. Aut certum est non habere mandatum: tunc enim removetur ut falsus procurator, nisi pro coniunta persona agat: tunc enim si caverant de rato et de defensione, possunt experiri, nisi evidenter contra voluntatem eorum experiantur: Dig. tit. eod., l. Pomponius., § rati. Si est procurator rei, omni distinctione summota, iudicatum solvi cavere cogitur: nam in aliena re nemo est idoneus defensor sine satisdatione, ut Dig. de procuratoribus., l. quod procurator., et in Instit. tit. de satisdatione. Interdum contingit quod procurator tam rei quam actoris utramque cautionem cogitur facere: iudicatum solvi et (2) de rato, ut in iudicio communi dividundo, familie herciscunde, finium regundorum, uti possidetis: procurator rei, cum in rem agitur, utramque cautionem; in crimine suspecti, procurator utramque cautionem cogitur facere. In iudicio restitutionis in integrum similiter.

Quando officium eius finitur queritur. Offitium finitur negotio explicito super quo mandatum suscepit, si ad am-

(1) *Cod.* his.

(1) *Cod. om.* eod. tit.
(2) *Cod. om.* et.

Source : BIU Cujas

ministrandum datus est: si ad iuditium, ultra non cogitur extendere procurationem, nisi causa provocationis, ut C. tit. eod., l. invitus.

Finitur contraria domini voluntate, re integra: nam lite contestata non potest removeri, nisi causa cognita, nec potest se recusare, nisi causa cognita. In cause cognitione multa vertuntur, ut legitur in Dig. tit. eod. Sed ante litem contestatam (1) sine omni distinctione submoveri potest. Similiter se excusare precise potest, nisi dominus per cautionem iudicatum solvi personam sui procuratoris firmaverit: tunc enim procurator a iudice cogendus est dominum defendere nisi causa interveniat quare possit excusare se: Dig. tit. eod.

Quis sit effectus procuratoris: est talis quia finito negotio domino competit utilis accio et in eum datur, veluti si procurator emit: Dig. de accione empti, l. Iulianus. Similiter si stipulatus est iudicio sisti, utilis competit domino: Dig. tit. eod., l. si procurator. Vel si promisit, in me datur utilis, quemadmodum, si condempnatus est, in me utilis iudicati, vel mihi si pro eo sententia lata sit; nisi sit procurator datus in rem suam, vel nisi obtulit se liti: tunc ei soli conpetit accio et in eum, ut Dig. de re iudicata., l. si se. Si ad administrandum: sive habeat speciale mandatum, sive generale et liberam amministra-
c. 11, e. tionem, potest vendere, alienare et cetera facere: si autem generale nec liberam amministrationem (2), nec vendere, nec alienare, nec transigere potest: Dig. tit. eod., l. mandato.

VIIII. Non licet potencioribus litigantibus.

Sunt quedam persone que specialiter removentur a procuratione iudicii, ut potentes, ne suscipiant in se cessiones accionum aliis competentium quasi iniantes alienis fortunis, ut C. mandati., l. per diversas.; nec nomina eorum in lite pretendenda sunt; nec prediis inscriptio nomine eorum imponenda est, nec vela regia suspendi oportet. Nam si quis contra fecerit, patietur penam constitutionibus comprehensam. Item signum imprimi rebus ab alio possessis non licet sine iussione iudicis. Item fiscus vel res publica alicuius civitatis a patrocinio vel procuratione iuditiali repellendi sunt.

X. De negociis gestis.

Tractatus eorum qui mandato gerunt aliena negotia explicitus est. Quia quandoque contingit quod aliena negocia geruntur sine mandato, et qui gerunt negociorum gestores appellantur, ideo de gestoribus negociorum tractat. Et cum de his dicere debeat, dicit de negociis gestis. Ubi videndum est qualiter negocium hoc accipiatur, cuius negotium intelligatur. Negotium accipimus sive unum sive plura: cuius, sic accipitur, sive viventis, sive alicuius cum is moritur. Set etiam si res accesserit post mortem eorum quorum negotium gestum est, per interpretationem in Edicto continentur, ut puta partus. Quia talia negocia geruntur in utilitatem dominorum absentium, et eorum qui negocia gerunt, dictum est ultro citroque dari accionem negotiorum gestorum una quarum dicitur directa, alia contraria. Quare inspiciendum est cui competat directa vel utilis, adversus quem detur, quid in ea veniat iure accionis, vel officio iudicis. Competit domino accio negotiorum gestorum directa, cuius negocium gestum est, et suo heredi. Eius negocium sic accipimus sive ipso gestu sit eius, sive ratiabitione efficiatur eius. Ipso gestu, veluti fultiendo insulam meam, vel curando servum meum egrum: alibi non invenitur nisi in his duobus vel similibus quod negocium ipso gestu meum sit; nam impendendo meum efficitur quicquid erogatur. Ratiabitione, veluti si quis convenerit debitorem Lutii quasi meum: ratum habendo facio meum negotium. Nam quod ipso gestu est alienum non possum facere meum etsi mea contemplatione gestum est. Sed quod est meum, etsi non c. 11, d.
ipso gestu, tamen ratum habendo effectu et iuris ratione facio meum, quamvis mea non sit contemplatione gestum. Sed hoc ideo contingit, quod is qui gerit non suo nomine gerit sed alieno, licet non meo, ut puta Iulianus exegit non suo nomine a debitore meo; ego ratum habendo libero debitorem meum a me, et Iulianus obligatur mihi directa negotiorum gestorum.

Adversus eum datur qui sponte gessit et eius heredes.

In quid conveniatur: iure accionis vel officio iudicis. Convenitur ut reddat rationem de gestis, interdum et de gerendis. In quibus negotiis gestis si commiserit aliquid dolo, culpa lata vel levi, tenetur; non etiam de fortuito casu, nisi pacto speciali suscepit in se fortuitum casum, vel nisi accessit ad novum negotium gerendum quod absens solitus non erat facere, veluti coëmendo novitios. In quo novo negotio gerendo, si in aliqua parte est dampnum datum in alia lucrum, compensabitur lucrum cum dampno, ut Dig. tit. eod., l. si. Interdum solummodo dolum prestare cogitur, veluti si quis affectione coactus negocia absentis que iacebant deserta gessit; Dig. tit. eod., l. ait.

Officio iudicis, veluti si apud eum est peccunia de negociis meis sumpta: si est in mora, vel in suos usus convertit, officio iudicis prestabit mihi usuras. Interdum de gerendis tenetur, veluti si negotium tale erat quod a gestore expediri poterit, et alius contemplatione eius ad hoc gerendum non accesserit, veluti si ipse deberet ei cuius negotium gerebat, potuit a semetipso exigere et negotiis impendere; quod si non fecit, imputabitur ei; et si debitum non erat usurarium per accionem negociorum gestorum exigetur cum usuris, et si erat temporale, efficitur perpetuum. Sed si extraneus deberet, non imputaretur ei cur non convenit; quia si vellet agere, obicieretur ei quod non habeat mandatum, preterquam si esset talis persona que posset experiri sine mandato: tunc im-

(1) *Cod. om.* contestatam.
(2) *Cod. om.* amministrationem.

Source : BIU Cujas

putabitur ei cur, non oblata cautione de rato, non convenerit debitorem, si modo copiam fideiussorum habebat.

Cui competit utilis: ei soli cuius negotium gestum est necessitate vel spe necessitatis, adversus eum qui necessitate vel spe necessitatis negotium gessit, ut puta qui curator erat, vel putabat se curatorem cum non esset. Datur etiam adversus heredem curatoris; sed fortassis non eo modo contra heredem datur quo contra curatorem. Nam
c. 12, a. curator de dolo et culpa lata et levi tenetur: heres solummodo de dolo, et lata culpa, et non levi.

Cui competit contraria gestorum negotiorum: sponte competit gestori et eius heredi, adversus dominum et eius heredem. Sed ut ex gestione possit accio competere debet negotium utiliter conceptum esse (1); nam ut eventum non spectemus, sufficit utiliter esse gestum vel ceptum, veluti fulsi insulam hanc, vel curavi servum necessarium: quamvis insula sit combusta, vel servus sit mortuus, tamen datur gestori contraria negotiorum gestorum accio. Quandoque contingit quod eventus solummodo spectatur, et hoc vel favore domini vel odio gerentis: favore, veluti si gessi negotia pupillaria: tunc demum itaque datur mihi accio, si factus est locupletior; odio gerentis, veluti si quis animo depredandi accessit ad aliena gerenda: tunc ita demum competit accio si ex ea gestione dominus inveniatur locupletior: Dig. eod., l. si.

Quid veniat in contraria accione: id venit quod abest vel abfuturum est: abest si de suo inpendit, et usure eius quod impendit venient officio iudicis, si usurarius erat: Dig. de usuris., l. qui semisses.; abfuturum est, veluti id quod obligatus est ut alii prestet, veluti accepit mutuam pecuniam ut creditori meo solveret et pignora mea liberaret: recuperabit cum omnibus usuris sub quibus accepit, utique si plus solvendo attulit commodi quam usurarum prestatio afferat incommodi de usuris, et in contraria.

Sed cum is qui gerit negotia, impendat aut in re propria aut in aliena aut communi: si in re propria, aut ut in propria, aut ut in aliena, aut ut in communi, et quodcumque istorum faciat, quia suum negotium gerit, neminem sibi obligat; si in aliena ut in aliena, quamvis erret in persona, quia putat alterius esse quam sit, obligat tamen eum cuius negotium gessit. Item si in communi inpendit, communi dividundo recuperabit impensas. Sed si commune negotium gessit, aut negotium tale erat quod pro parte expediri poterat, et tunc datur negotiorum actio (2); aut ex parte expediri non poterat, et tunc datur communi dividundo vel in factum actio. Si hec non supersunt, et tunc ad actionem negotii gesti decurrendum est: C. tit. eod. l. sive pro., l. curatorem., l. si quis. Sed cum impendit in re aliena ut in propria, quamvis accionem ex Edicto descendentem non habeat directam, veluti tamen in defectum, negotiorum gestorum accionem habet: Dig. tit. eod., l. ult. (1).

Cui datur utilis contraria: ei qui necessitate vel spe necessitatis gessit.

Videndum est ergo que cause contrariam directam c. 12, b.
cessare faciant. Ecce ut sunt: si pietate vel domestica affectione expendisti, recuperare non poteris; vel si in pupillas patroni filias propter obsequium impendisti, agere non poteris; vel si alias in quemlibet pupillum expendisti cum paratus erat alius impensas facere animo donandi, repetere non poteris; vel si prohibitus fuisti ne gereres quia videris donare, non repetes.

In summa sciendum est quod hee acciones personales sunt et non in rem; perpetue sunt, ex quasi contractu descendunt, bone fidei sunt.

XI. De his que vi metusve causa gesta sunt.

Negotia que ab alio geruntur rata habere cogimur. Quia interdum evenit quod ea que a nobismetipsis geruntur non solum rata habere non cogimur, sed etiam per restitutionem infringere conamur, dicamus de restitutionibus in integrum. Unde videndum est quid sit restitutio, et que sint cause ex quibus restitutionem pretendere possumus, et quare pretendamus, quid in omnibus restitutionibus communiter inspitiamus. Restitiutio est prioris cause in integrum instauratio. Cause hee sunt: metus, calliditas, etas, absentia, mutatio status, iustus error; et propter hoc pretendimus, quia sumus lapsi vel circumscripti. Nam omnes restitutiones causa cognita permittuntur a pretore, idest ut examinet an iuste (2) an false sint cause nomine quarum nobis postulantibus subveniatur. Communiter in omnibus restitutionibus observandum est: ne propter minimam rem vel summam preiudicetur maiori rei vel summe.

Cause ex quibus restitutiones in integrum petantur, congruenter in divisione posite sunt. Quia earum causarum quedam prestant restitutiones accione proposita, quedam solummodo officio iudicis, dicamus prius de his restitucionibus que accione proposita prestantur, sic de vi, metu et calliditate. Quia ex metu oritur accio quod metus causa, dicendum est de eis que vi metusve causa gesta sunt. Ubi videndum est quid sit metus seu vis, et qualiter accipiatur metus seu vis et ex quo metu restituitur, que acciones ex hoc Edicto proficiscantur, cui competant et adversus quem dentur, quid in his actionibus veniat, infra quod tempus dentur.

Metus sic describitur: metus est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio. Metum debemus accipere presentem et adversus bonos mores illatum, non iure magistratus et iustum, idest ut timeatur quod timendum est

(1) *Cod. om.* esse.
(2) *Cod. om.* actio.

(1) *Haec omnia in codice laurentiano fusius pertractata inveniuntur.*
(2) *Cod.* iure.

Source : BIU Cujas

c. 12, c. vel ex Edicto, vel per interpretationem Edicti, vel per interpretationem constitutionum: ex Edicto, ut mortem vel cruciatum corporis; per interpretationem Edicti veluti timens ne instrumenta sui status subvertantur, vel ne in se vel in liberos suos stuprum paciatur; per interpretationem constitutionum, veluti timens potentiam vel inpressionem.

Vis est impetus maioris rei qui repelli non potest; sed non fuit necessario in Edicto adicere verbum vis quia ubicumque vis atrox ibi et metus est.

Gestum sic accipimus veluti contractum vel quasi contractum, quia ibi debet esse voluntas quamvis coacta.

Que acciones ex hoc Edicto oriuntur: ex hoc Edicto oritur accio personalis vel in rem rescissoria.

Cui competit: Ei competit qui passus est metum, et successori eius, sed causa cognita, idest si propter metum passus sit dampnum; nam hec accio dampnum exigit. Unde dicitur: si coegi debitorem meum ut mihi solveret, cessat hec accio, quamvis in legem Iuliam incidam, et ius crediti amittam.

Adversus eum datur qui metum intulit, et contra heredem eius quatinus ad eum pervenit; et perpetuo datur: pervenisse intelligitur si in corpus patrimonii versum est. Datur etiam adversus omnes ad quos res pervenit merito, quia cum in rem scripta sit, generaliter omnes tenet ad quos res pervenit.

Quid veniat in his accionibus: res venit que abest per metum cum omnibus fructibus. Sed si res ante definitivam sententiam non restituitur; si personali accione quod metus causa agatur infra annum utilem, in quadruplum condempnabitur, et quadruplatur res et fructus; in quo quadruplo continetur res, et pena sit tripli pretio restituto, nisi persona fuerit in officio constituta; illa enim, quod voluit provocare invidiam in rem publicam oprimendo subiectum, quod datum est non recuperat: post annum vero in simplum perpetuo tenetur; sed causa cognita, si alia civilis non superesset, vel alia superesse non posset, veluti si is cui vis facta est decesserit, heres eius habet petitionem hereditatis contra possidentem vi; sed si rescissoria agatur, res que abest, si corporalis est cum fructibus restituitur; si incorporalis res est, cum suis utilitatibus. Que acciones electione se tollunt, ut si egit quod metus causa in quadruplum, rescissoria agi non possit, et e converso. Sed cum omnes possessores tenentur, siquidem is possidet qui metum intulit vel cuius dolo metus illatus est, perpetuo tenetur et re interempta ante sententiam non liberatur. Si vero post sententiam infra quadrimestre tempus res pereat sine dolo et culpa eius, si is distracturus non erat qui passus est metum, vel alias res peritura erat, cessat repeticio et spectare debet ad eum periculum; sed si alius bona fide possideat
c. 12, d. et iusto titulo possideat, perpetuo non convenitur quia prescriptione longi temporis se tueri potest, et periculum ad eum non spectat, sive ante sententiam sive post res dolo et culpa eius pereat; propter quam, si esset in mora restituendi et ille distracturus esset, possessor bone fidei et iusto [1] titulo se tueri potest prescriptione. Nec obloquitur quod dictum est: res vi possessas prescribi non posse, cum hoc non sit simplex ius, sed mista gestioni, idest contractui. Si obiciatur quod acciones personales et perpetue non tolluntur prescriptione, ita distinguendum est: cum ex eodem edicto oriatur personalis et in rem accio, et in rem invenitur tolli prescriptione, merito personalis et in rem accio tollitur, cum idem inveniatur in accione confessoria de usufructu et personali, idest ut quo tempore tollitur una, tollitur et altera.

XII. De dolo malo.

Metus, calliditas prestant restitutionem: cum de actione que ex metu descendit dictum sit, dicamus de accione que ex calliditate descendit, idest de dolo malo. Ubi videndum est quid sit dolus malus. Dolus malus est calliditas, fallatia, circumventio inventa ad circumveniendum fallendum, decipiendum alterum; nam decipere hostes bonus dolus dicitur et pro sollertia accipitur; ex quo dolo malo, si dolus malus in proprium nomen maleficii non cadit, oritur accio de dolo. Nam sicut in criminibus, si non est proprium nomen criminis, stellionatus appellatur, sic in privatis iudiciis si non cadit in proprium nomen maleficii, de dolo accio datur. Que actio, causa cognita, ei competit qui passus est dolum. In cause cognitione veritur personam, nam humili contra excellentem dignitate, puta plebeio adversus consulem, non datur; nec filio vel liberto adversus patrem vel patronum datur, nec cuilibet adversus pupillum nisi sit proximus pubertati. Sed in factum verbis temperanda datur contra parentem, contra excellentem dignitate et contra patronum: contra pupillum proximum pubertati de dolo datur.

Tempus etiam inspectatur ut non ultra biennium detur etsi lis sit contestata, quod proprium est istius accionis.

Quantitas etiam spectatur ne minor sit duobus aureis; nam de minori quantitate de dolo accio non competit, sed in factum perpetuo competit, ne quis ex sua locupletetur malignitate et alter dampno afficiatur. Quod ex eo perpenditur quod dictum est dari in factum accionem contra heredes, de eo quod ad eos pervenit etsi minus sit duobus aureis. Sicut ergo extorquenda sunt turpia lucra ab heredibus, sic et quibuslibet, ut ff. eod., l. quod diximus., et ff. de calumpniatoribus., l. in heredem.

Inspicitur an alia accio supersit civilis an honoraria, an aliud auxilium unde res servari possit, veluti exceptio c. 13, a.
vel restitutio et an superfuit. Nam sive superfuit sive superest, non debuit temere a pretore de dolo actio decerni: temere ideo dixit quia invenitur accio mandati, et de dolo competere una: hoc ideo dixit quia equaliter infamant: in Dig. tit. mandati., l. si mandato., et C. tit. eod. l. I. Invenitur et de dolo et quod metus causa competere,

---

[1] *Cod. om.* iusto.

Source : BIU Cujas

nec est inconveniens, cum ambe sint pretorie et restitutorie. Invenitur enim quod si superfuerit sed dolo adversarii sit amissa quod datur de dolo, vel si aliquam habet sed inanem, contra alium datur de dolo. Propter has obiectiones aponunt verbum temere.

Causis cognitis videamus cui competit. Ei competit qui passus est dolum et suo heredi; adversus eum datur qui dolum commisit et adversus suos heredes, et specialiter debemus comprehendere personam que dolum comisit nec in tanto crimine vagari, quamvis in actione quod metus causa sufficit probare metum nec comprehendere personam, quia metus habet in se ignorantiam. Contra heredem datur quatenus ad eum pervenit et perpetua accione in factum proposita. Sed si nichil pervenit sive ex malefitio vel quasi, vel ex contractu vel quasi, non datur contra heredes. Et sic interdum ex contractu accio contra heredem non datur, ut Insti. de perpetuis et temporalibus accionibus.

Quid venit in hac accione: res venit que abest per dolum, sed eo non restituente, si res adest, per iudicem auferenda est; re absente, quia non extat vel quia dampno affectus est dolo cuiusdam, dabitur sacramentum in litem actori, estimatione tamen facta per iudicem damno affecti, etiamsi nichil ad eum pervenit. Qui dolum fecit, veluti si manumisi ancillam ut ille daret mancipium; sed si ei tradidi ut ille manumitteret ancilla manumissa, si cessat dare, accio de dolo competit; nam ex facio ut des, si cesses dare, de dolo accio datur. Nec obloquitur quod dictum est in libro Dig. de conditionibus ob causam [1], l. dedi.: si manumisi ancillam et cessas dare, datur condictio: ibi enim fuit contractus do ut facias, sed meo facto volui prevenire dationem tuam, qua re natura contractus mutata non est. Si obiciatur id quod dictum est in titulo de prescriptis verbis, scilicet si indicavi servum ut dares X., si cessas dare, quod datur prescriptis verbis accio, ita dicendum est: ideo non datur de dolo, quia is nullo dicitur affectus damno qui indicavit, cum accio de dolo tunc demum competit cum dampno sit aliquis affectus dolo alterius: prescriptis verbis ideo competit accio quia ex suo
c. 13, b. facto alteri abest. Si obiciatur quod dictum est: si mater transegit ut partem bonorum acciperet et a lite decederet, heredi datur accio prescriptis verbis, dicendum est ibi contractum nullum esse, cum contractus vel pactum transaccionis non consistit. Quid ergo est quod datur accio prescriptis verbis? ad quod dicendum est: quia aliquod speciale introducitur contra heredem ne defuncta omne ius transmittat ad heredes: merito hoc speciale pro heredibus inventum est. Vel possumus dicere: ex facio ut des, si cessas dare, datur de dolo accio, cum facienti solummodo abest, et alteri non adest. Alias sempre datur prescriptis verbis accio, si fatienti abest et alteri solummodo adest; veluti ei servum tradidisti ut ille manumitteret: competit de dolo: quod prima fatie videtur esse falsum; nam ex do ut facias non competit de dolo. Sic ergo distinguendum est; non enim fuit contractus do ut facias, sed facio ut des; sed quod per se facturus erat per alium utpote per ministrum explicare voluit, ut in Dig. tit. eod., l. soluto matrimonio., l. si vero. Vel potestis dicere: ei tradidi mancipium ut manumitteret fatiendo illum procuratorem in rem quasi suam: et sic dominium transtulit. Merito ergo manumittere potuit, nec obloquitur quod dictum est: nemo per procuratorem potest manumittere, nam de simplici procuratore non etiam de constituto domino dictum est. Alias nisi dominium tranferatur nunquam per alium manumitti potest: quod melius est. In summa sciendum est, accio de dolo ex maleficio, vel ex contractu descendere; personalem esse, temporalem, famosam, arbitrariam esse.

[1] *Scil.* de conditione causa data.

XIII. De in integrum restitucione minorum.

Metus, calliditas restitutionem prestant accione proposita, similiter minor etas officio iudicis; qua de causa de in integrum restitutione dicendum est. Ubi videndum est que sunt cause quibus [1] minores restituantur in integrum, et in quibus causis restituantur, et que sint cause que restitutionem desiderant. His de causis restituuntur minores, quia sunt lesi sui facilitate vel dolo adversarii, sive quia fecit quod facere non debuit, sive quia omisit quod non debuit omittere, vel suscepit in se onus quod suscipere non licuit. Non enim minoribus passim subveniendum est, sed causa cognita: hoc est: subvenitur lapsis vel circumscriptis.

XIIII. De filiofamilias minore.

Nec distinguitur sive sint patres, sive sint filii; nam si filiusfamilias invenitur lesus vel circumscriptus, si ipse convenitur vel pater nomine filii, restituitur; sed si pater suo nomine pretoria accione conveniatur quod iussu, vel de in rem verso, de peculio, non restituitur pater: non enim fuit propositum pretoris subvenire maiori per minorem.

XV. De fideiussoribus minorum.

Et subvenitur minori et intercessoribus eius interdum, c. 13, c.
veluti si minor non facilitate sed dolo sit deceptus; nam cum dolo decipitur, si dolus causam contractui dedit, ipso iure servatur minor illesus, etiam fideiussoribus subvenitur exceptione doli. Si vero incidens est dolus, utrique subvenitur per restitutionem.

XVI. Si tutor vel curator intervenerit.

Nec distinguitur sive tutor, sive ipse procurator contraxerit, nec obicitur minori quod potest sequi dampna

[1] *Cod.* que.

Source : BIU Cujas

tutorum, ideoque non sit restituendus adversus eum cum quo contraxit tutor, cum ipso iure non servetur illesus sed per accionem dampnum resarcitur.

XVII. Si in communi eademque causa in integrum restitucio postulelur.

Nec hic distinguitur sive causa sit communis et eadem, sive propria, dum tamen restitutionem separatam accipere possit.

XVIII. Si adversus rem iudicatam.

In his causis restituuntur minores, veluti in contractibus vel quasi contractibus. Quia est quasi contractus qui privilegio gaudet, ut res iudicata, dicit minores adversus rem iudicatam restituendos esse.

XVIIII. Si adversus venditionem.

Similiter adversus contractus restituitur. Quia est contractus ex quo ultro citroque oritur accio, et sequitur dominii translatio, ut in venditione rei proprie, dicit minorem adversus venditionem que communi iure valet restituendum, nisi sacramento corporaliter prestito roborasset eam.

XX. Si adversus venditionem pignorum.

Quia res propria interdum non a se, sed a suo creditore distraitur, dicit minorem adversus venditionem pignoris restituendum; sed distinguitur utrum ipse an pater obligavit, nam si ipse obligavit et iam creditor distraxit, si lesus est, omnimodo restituendus est: si pater obligavit duobus solummodo casibus restituendus est, idest ubi passus est minor enorme dampnum, vel emptor partecipatus est fraudem.

XXI. Si adversus donationem.

Quia est contractus ubi ex uno latere oritur obligatio, veluti donatio, dicit restituendum minorem adversus donationem.

XXII. Si adversus libertatem.

Quia res que privilegio gaudet dono datur, dicit si adversus libertatem minor restituatur; et dicendum est adversus libertatem prestitam non esse restituendum, nisi a principe ex magna causa hoc fuerit impetratum; sed adversus sententiam de libertate prestanda datam esse restituendum.

XXIII. Si adversus transaccionem vel divisionem, vel solutionem.

Restituitur minor etiam adversus distractum: ubi intendit distrahere, potius quam dividere, veluti adversus transaccionem, vel divisionem, vel adversus solutiomen sibi factam vel a se factam. Sed cum sibi facta est, si sine auctoritate tutoris et iudicis, ipso iure non sunt liberati debitores, sed si minor salvam rem habet, removetur exceptione. Si solutio facta est auctoritate tutoris, c. 13, b.
liberati sunt debitores, et tunc minor restituitur si pecuniam deperditam habet. Si auctoritate iudicis solutum est, sequitur plenissima securitas.

XXIIII. Si adversus dotem vel usucapionem vel adversus fiscum.

Restituitur minor etiam adversus dotem, adversus usucapionem, adversus etiam fiscum. Adversus creditorem restituitur etiam si fecerit quod facere non debuit, veluti adeundo honerosam hereditatem, vel ab initio locupletem sed ex fatalitate dampnosam, vel omisit hereditatem adire vel bonorum possessionem petere (1); omnimodo restituitur, ut in preterito breviter expositum est.

XXV. In quibus causis restitucio in integrum non est necessaria.

In quibus causis et propter quas causas minor restituitur visum est; deinceps cause sunt exprimende que inhibent restitutionem. Primitus enim sciendum est: in quibus causis est ipso iure tutus non est restituendus, vel si iure communi est usus, quamvis sit passus naturalem deceptionem, non est restituendus, nisi facilitate sua vel dolo adversarii plusquam quilibet sapientissimus si contraheret invenitur deceptus, vel nisi extet qui paratus sit meliorem conditionem minoris facere, veluti: minor vendidit, et naturaliter deceptus est: non est restituendus, nisi facilitas eius vel dolus adversarii possit ostendi vel nisi extet qui pluris (2) paratus sit emere. Et hec sunt intelligenda cum in contrahendo minor sit usus iure communi. Si vero minor non contrahat, veluti si locupletem hereditatem adeat, quamvis nulla facilitas, nullus dolus possit denotari, tamen eventus fraudis prestat restitutionem, veluti si animalia que erant in hereditate mortua sint.

XXVI. Si adversus delictum.

Delictum etiam inhibet restitutionem, quod alias committitur in contractu, alias extra contractu. Cum in contractu delinquitur, si ex animo, non restituitur, veluti dolum commisit in re deposita seu commodata; si culpa, ubi maior tenetur, ibi minor restituitur. Cum extra contractum deliquit, aut animo, aut culpa. Si animo: aut delictum est atrox, veluti crimem adulterii, et ibi non subvenitur minoribus, nisi quatenus miseratio etatis

(1) *Cod. om.* petere, *ut superius* adire.
(2) *Cod.* plura.

Source : BIU Cujas

produxerit ad mediocrem penam iudicem; aut tale est delictum ex quo pecuniaria pena civili iure exigitur, veluti crimen furti et legis Aquilie; et ibi nullo modo minori subvenitur adversus penam, nisi si potuit decidere et non decidit, vel potuit esse confessus et non fuit, ut de dampno dato dicitur. Si culpa: omnimodo subvenitur minori.

c. 14, a.

XXVII. Si minor se maiorem dixerit vel probaverit.

Malitia etiam inhibet restitutionem: nam deceptis non decipientibus publica iura subveniunt. Sacramentum corporaliter prestitum inhibet restitutionem.

XXVIII. Si sepius in integrum restitutio postuletur.

Postulata sepius restitutio et denegata inhibet restitutionem, nisi novam defensionem allegaverit.

XXVIIII. De his qui veniam etatis impetrarunt.

Impetratio venie inhibet restitutionem.

Ratiabitio post maiorem etatem prohibet restitutionem, sive expressim ratum habuerit, sive tacite, veluti faciendo id in maiori etate quod in minori fecerat, nisi ex consequentia prioris actus faceret. Quia restitutio cessat si non est qui possit cognoscere, dicamus qui possit in integrum restituere. Nam iudex ordinarius et qui delegatus est a iudice ordinario vel a nostra maiestate solummodo cognoscere possunt.

XXX. Ex quibus causis maiores in integrum restituuntur.

Maiores restituuntur in integrum. Quia sunt cause ex quibus maioribus subvenitur, cause ergo sunt enumerande. Ecce: si causa rei publice abest, sive dolo malo vel metu abest, sive in vinculis tenetur, sive est in servitute, sive in hostium potestate, sive ex probabili causa abest, veluti causa studiorum, sive ex necessitate probabili et non ex voluntate. Nam si ex causa delicti abfuit, non subvenitur ei. Et ex omnibus istis subvenitur: si tempore quid amiserunt, veluti si debitores eorum liberati tempore, res eorum sunt usucapte vel prescripte, vel non utendo quicquam amiserunt, premissis tamen quibusdam distinctionibus. Nam quicumque abest ex causa necessaria et honesta, sive reliquit procuratorem domi sive non, subveniendum est ei; si ex probabili et non necessitate, imputabitur ei cur procuratorem non reliquit. Sed si reliquit et mortuus est, et interim lesus est, subveniendum est ei.

Sicut absentibus supradictis rationibus subvenitur, sic et presentibus contra absentes subveniendum est, non adhibita distinctione ex qua causa absentes sint, dum tamen presens non habeat facultatem conveniendi ipsum absentem, sive quia non reliquit qui defenderet eum, sive quia per magistratum stetit; nam sicuti absentia non debet esse dampnosa, sic ei non debet etiam esse lucrosa: ut si usucaperet vel prescriberet vel tempore liberatus sit absens quin presens restituatur contra absentem.

Item subvenitur maioribus si qua iusta causa iudici videbitur unde restitui debeant, dum tamen leges, plebiscita, senatusconsulta, constitutiones restitutioni non contradicant. Quod dicitur maioribus in tempore subveniri, c. 14, b.
sic intelligendum est ne tempore rem suam vel ius suum amittant, non ut rem alienam tempore requirant vel ius alienum, veluti si non cepit usucapere quod intelligatur usucepisse. Nam possessio plurimum facti habet, et usucapio sine possessione procedere non potest. Non solum in tempore sed etiam (1) in contractibus subvenitur maiori, veluti si in contractibus dolo incidenti sit lesus: actione proposita purgabitur officio iudicis. Sed si res habet in se iniquitatem que equitate pacti tollerari non possit, offitio iudicis restituitur in integrum.

XXXI. De temporibus in integrum restitutionum eorum qui restituuntur et heredum eorum.

Restitituuntur minores et maiores: quia certo tempore restituuntur, dicendum est de temporibus in integrum restitutionum. Quia heredibus supradictorum subvenitur, dicendum est et de heredibus eorum. Ecce si minor lesus est in minori etate, subvenitur ei facto maiori, infra quadriennium constitutum (2). Similiter heredi eius; sed restitutio heredis distinguitur quando tempus currere heredi incipiat. Ecce si maior succedat maiori, statim ut hereditatem adivit, vel bonorum possessionem petiit, cedit ei tempus. Idem est si maior minori succedat. Si vero minor minori vel maiori succedat, cedit ei tempus quod defunctus habebat post suum legittimum tempus completum: de quo quadriennio queritur utrum id solum detur heredibus vel quod superest ex eo, an aliud tempus restitutionis, veluti minoris etatis. Et dicitur a quibusdam solum tempus quadriennii heredibus dari, vel quod superest ex eo; sed melius est cum restitutio equitate pretoria foveatur totum tempus restitutionis dari, idest minoris etatis et quadriennii: et hoc est quod in lege dicitur « solida tempora sine ulla diminutione supputentur vel computentur ». Sicuti subvenitur minori infra quadriennium continuum post minorem etatem, sic cuilibet maiorum et absenti ex causa iusta subvenitur post reversionem infra quadriennium continuum. Sed diverso modo: nam minoribus solo officio iudicis, maiori subvenitur accione rescissoria ei accomodata iurisdictione pretoria, si res eorum dicantur usucapte vel prescripte. Interdum solo officio iudicis, veluti cum quis

(1) Etiam *supplevi ex cod. ms. laur.*
(2) *Cod. laur.* constitutionum.

Source : BIU Cujas

habet temporalem accionem et abesse cepit et totum tempus quo experiri debeat excessit, ei reverso, si maius tempus quadriennio amisit, non datur nisi quadriennium, si minus ammisit, veluti habebat redibitoriam intra VI.
c. 14. c. menses vel quanto minoris infra annum, id solummodo quod amisit restituetur. De quo tempore, scilicet anni vel sex mensium, queritur utrum reverso per totum quadriennium debeat restitui, an statim post reversionem debeat restitui, et dicendum est per totum quadriennium non posse ei annum restitui, sed statim post reversionem debet ei dari, quia si statim non daretur, novo tempore currente post reversionem, escluderetur; cum esset ergo exclusus, vetus tempus non posset ei reparari, vel restitutionem prestare.

XXXII. De alienatione facta causa mutandi iudicii.

Restituuntur minores et maiores supradictis causis.

Restituuntur etiam alienatione facta causa mutandi iudicii, veluti si quis in fraudem meam alienavit dolo malo, transferendo in alium dominium vel possessionem ut mihi duriorem causam constitueret, forte duriore adversario opposito, vel propter personam, vel propter locum quod alterius provincie sit: tunc enim datur accio in factum ei in cuius fraudem est alienatum, contra eum qui alienavit quanti interest eius. Que accio ei competit et suo heredi in cuius fraude est alienatum, quia rei persecutoria est. Adversus eum qui alienavit datur infra annum utilem: contra heredem vel similem non datur, cum ex delicto descendat et in penam alienantis prodita sit, nisi quatinus ad eum pervenerit. Que accio cessare dicitur, si is adversus quem hec accio datur paratus sit utile iudicium accipere, ac si possideret. In quam accionem hoc venire dicitur quod interest forte ratione impensarum, veluti si res usucapte sint a possessore et sic peti non possint. Restituende sunt in ea causa qua erant si alienate non essent, nec mirandum est si hec accio restitutoria competit cum per accionem directam que contra possessorem competitinterdum nichil exigere dicar eo quia res sit usucapta. Si obiciatur quia habet contra eum utilem qui dolo desiit possidere, non obloquitur cum non sit inconveniens aliquem restitutorium auxilium posse intendere et civilem accionem ei competere. Vel potestis dicere: hec duo auxilia, idest utilis accio in rem et in factum, extraordinaria esse; vel aliter: hee enim ad idem non competunt, quum in factum accio competit ad interesse; utilis ad ipsam rem consequendam per interpretationem.

XXXIII. De receptis vel arbitris.

Explectis preparatoriis iudiciorum accedit ad iuditia tractanda. Sed quia arbitria habent similitudinem iudiciorum quia negociales questiones ita deciduntur per arbitros quemadmodum per iudices, tractat de arbitris.
c. 14. d. Sic ponit « de receptis » quia recipiuntur a partibus, vel quia suscipiunt causas dirimendas. In quo compromisso seu recepto spectandum est qualiter constituatur, de qua re, quid sit eius effectus, idest que sit vis et potestas in principio arbitrii, et in fine.

In constitutione inspicitur qualiter arbitrium compromittatur, et qualiter in se arbitrium suscipiat.

Cumpromittitur in eum pecunia ex utroque latere promissa, si sententie quis eorum non steterit, vel si aliud sit promissum vice pecunie, veluti cum ambo debitores erant et de alia re controversia erat, pacti sunt ad invicem ne alter ab altero petat, si sententie non steterit; si vero ex una parte sit promissum, ex altera non, non valet compromissum.

Compromissum suscipere videtur qui partes iudicis non consciliatoris suscepit.

Persona compromittentium distinguitur; nam talis persona debet compromittere que non natura neque iure excludatur; natura, ut quibus naturalis sensus deest; iure, ut qui sensum habent sed sub alio reguntur, ut a tutore vel curatore, vel servus est.

Persona arbitri similiter distinguitur ne natura excludatur supra dicta ratione; neque iure, ut minores XX. annorum, servus, mulier, iudex ordinarius. Infamis autem arbiter esse potest, quamvis non possit esse iudex.

Res distinguitur de qua arbiter cognoscere potest, veluti si non sit criminalis, liberalis, restitutionis. His et quibusdam aliis supra dictis expositis constat arbitrium posse constitui: eo constituto arbiter ferre sententiam debet qualem iussus (1) fuerit ferre, dum non contra ius dicatur, unde sive sit equa, sive iniqua, tenenda est: alioquin qui promisit penam si sententie non steterit, tenetur. Non stare sententie quis dicitur, sive non paruerit, sive per eum factum sit quominus sententia dicatur. Si simpliciter stare promisit, quanti interest tenetur, ut Dig. de eod. dicitur, l. diem. Sic ergo timore pene partes coguntur stare sententie. Nam et arbiter interdum cogitur sententiam dare, veluti si compromissum sit in eum, pena compromissa vel alio (2), loco pene. Si vero simpliciter stare promissum sit, non cogitur a iudice sententiam dare. Ubi vero cogendus est, a pretore tamen excusationem recipere debet, causa cognita, ut puta si infamatus sit a litigatoribus, si inimicitie capitales, si etas, si valetudo, si occupatio negotiorum, si urgens profectio, aut munus pubblicum, aut alia incommoditas remittat necessitatem: his rationibus cessantibus, cogitur dare sententiam c. 15. a.
nisi compromissum sit solutum forte die. Quod distinguendum est, ut si dies culpa arbitri protrahatur, et dies accionis exitura sit, cogitur proferre sententiam; si de die nichil convenit consentientibus partibus, cogitur proferre sententiam. Solvitur etiam acceptilatione, morte, nisi de heredibus expressim actum sit: arbitrio non soluto, coguntur, sive unus sive plures sint arbitri, sententiam ferre,

(1) *Cod.* insum.
(2) *Cod. laur.* aliud.

Source : BIU Cujas

ut si duo sint et dissentiant, cogantur tercium eligere; si tres et omnes presentes sint, maioris partis sententie (1) standum est; si unus absens est, sententia duorum non valet quia eius sententia, si presens esset, prevaleret forte (2). Si consentiant, ferre sententiam debent eo loco quo inter partes convenerit; si de loco nichil convenit, eo loco quo solitus est iudicare, dum tamen in inhonestum locum non iubeat adesse. Similiter dies accipiendus est quo convenit: si non convenit, eo die quo iudex ordinarius iudicare posset, sententiam dicere debet, et de ea re de qua expressim compromissum est, et presentibus partibus que habent personam consistendi in arbitrio. Ea sententia data, sive sit equa sive iniqua, tamen contra equitatem non scripta vel contra ius litigatoris, omnimodo tenenda est, nec ab arbitrio immutanda, nisi de preparatoriis causis causam dicat.

Videndum est que sit potestas arbitri in principio et que sit in fine, nam conventio in scriptis habita ante arbitrum interruptionem temporis inducit; preterea si aliquid in factum respiciens fuerit professum seu atestatum in arbitrio, hoc erit recipiendum in ordinario iudicio.

In fine talis est effectus arbitrii quia, si non stetit arbitrio, committit in penam. Nam ex sententia arbitri neque oritur accio, neque exceptio rei iudicate opponitur, nisi arbitrium iure iurando sit conceptum, vel solius arbitri, vel partium, vel utriusque: tunc enim oritur accio rei iudicate vel exceptio; quod (3) nova lege prohibitum est, ne cum sacramenti religione eligatur. Preterea si partes subscripserint sententie, vel eam confirmaverint taciturnitate X. dierum, oritur accio et exceptio. Alias si sententia feratur, neque oritur accio neque exceptio. Nec ex ea sequitur appellatio, nisi forte contra arbitrum suspectum haberem et protestatus sum: in modum retractationis inducitur species appellandi.

XXXIIII. De satisdando.

Tractatu arbitriorum finito quasi que habent similitudinem cum iudiciis, quia in iudiciis et in arbitriis fiunt satisdationes, tractat de satisdationibus. Ubi qui debeant satisdare videndum est. Ecce: qui agit, si suo nomine vel c. 15, b.
alieno, iudicio sisti satisdare debet. (1) Si de mandato dubitatur, cavere debet dominum rem ratam habiturum et se defensurum arbitratu boni viri. Si certum est mandatum, de defensione solummodo cogitur cavere; alioquin reppellitur, nisi sit procurator in rem suam factus, et ex necessitate: tunc non cogitur defendere. Si certum est non habere mandatum, repellitur ut falsus procuratur, nisi pro coniuncta persona agatur, ut filius pro patre vel contra, patronus pro liberto et similibus. Si vero reus convenitur, suo nomine iudicio sisti cavere cogitur, et interdum iudicatum solvi, veluti cum non possidet rem immobilem, ut Dig. qui satisdare coguntur., l. sciendum.; si alieno nomine convenitur, et iudicatum solvi cavere cogitur. Nam in aliena re sine satisdatione nemo idoneus defensor est. Si vero conveniat et conveniatur, ut in iuditio familie herciscunde, communi dividundo et ceteris, procurator utramque cautionem cogitur facere, scilicet iudicatum solvi et in iuditio sisti. Hodie ex nova constitutione actor cogitur cavere infra certum diem causam executurum, et si exsecutus fuerit et non vicerit, certam penam prestaturum.

XXXV. De iure iurando propter calumpniam dando.

Facta satisdatione, nichil aliud restat nisi ut iusiurandum exigatur tam ab eo qui intendit quam ab eo qui fugit, ut ne quid inter se calumpniose expostulent (2); ideoque de eo iuramento apponit. Actor quidem iurare debet non causa calumnie litem inferre, sed id quod exigit in rei veritate sibi competere putat, et ne quid se in tota lite calumpniose facere. Reus vero non aliter audietur nisi iuret quod se bonam causam ac instantiam habere putet, et nichil in toto negotio animo calumpniandi exigere neque dilationem seu aliquam probationem. Item patroni iurare debent nichil inferre suis clientibus nisi quod iustum et verum putaverunt et quod neque ex sua industria protrahant iurgium.

---

(1) *Cod. om.* sententie.

(2) *In cod. ms. tubingensi recentiori scriptura* « prevaleret forte » *corrigitur* « forte traheret alios ». *Censeo lectionem antiquiorem quae et in codice laurentiano invenitur sequendam esse.*

(3) *Cod. laur. add.* hodie.

(1) *Hoc loco quamplura sequuntur in codice laurentiano quae in codice tubingensi non inveniuntur.*

(2) *Haec omnia fusius in codice laurentiano pertractata inveniuntur.*

Source : BIU Cujas

LIBER TERTIUS

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas



I. Explicit liber II: incipit III. De iudiciis.

INCIPIT III. de iudiciis. Non sine causa vocavit tercium, nam librorum distinctio commoda esse dicitur; quamvis enim materia tocius libri eadem dicatur, tamen librorum diversorum divisio auditoris sensum recreat, animum intelligentie preparat, memoriam artifitio reformat. Sicut enim nimia similitudine lectoris animus impeditur et piger efficitur, ita varietate rerum surgit et refocillatur. Merito ergo a libro de iudiciis incepit; nec sine ratione de iuditiis incepit: cum enim iuditiorum preparatoria congruenter sint exposita que instar iuditiorum optinent, merito accessit ad iudicia tractanda atque explicanda. Ubi videndum est quid sit iudicium, qualiter constituatur, quomodo exerceatur, quando finiatur, que sit potestas iudicii in principio, que in fine. Sed quia iuditium pluribus modis dicitur, igitur dicamus.

c. 15. c. Iuditium enim est inventorum diligens consideratio, sicut una est pars loice: dicitur enim iudicium animi sententia quod sine ratione esse non potest; primum enim ratio (1) debet discutere quid sit tenendum vel obitiendum; eo discusso et electo, sententiam animi dicitur habere, unde decretum et sententia iudicis appellatur iudicium.

Iuditium accipitur pro actione, ut iuditium communi dividundo, familie herciscunde. Iuditium etiam dicitur causa ex trino actu composita, actoris silicet, rei et iudicis; agentis seu intendentis, rei negantis vel excipientis, iudicis in medio cognoscentis. In qua significatione hic tractat de iudiciis.

(1) Ratio, *ex cod. ms. laur. supplevi.*

Qualiter constituatur: in constitutione iuditii inspicitur persona actoris, rei et iudicis, et res de qua queritur.

Persona actoris (1) talis esse debet que neque natura, neque iure expellatur: natura: ut omnes illi quibus deest naturalis sensus, ut fatui, muti et surdi, furiosi, mente capti, infantes; iure, ut minores, prodigi quibus amministratio bonorum interdicta est, et servi. Sed qui iure regulari ne intersint iudiciis prohibentur, certis casibus admittuntur. Ecce: minores XXV. annis in iudicio momentanee possessionis admittuntur, et interdum ad accusacionem, ut si velint vindicare necem defuncti, et aliis quibusdam. Similiter ipsi accusari possunt. Admittuntur etiam interdum ad defensionem aliorum, sicut dicitur de minore qui volebat defendere matrem vel patrem. Nam equius visum fuit huiusmodi minorem audiri, quam matrem vel patrem indefensam et contumacem condempnari. Similiter auditur volens allegare causas absentie alicuius. Servi etiam in iudicio possessorio quandoque audiuntur, veluti cum possessio absentis domini turbata sit, ut C. si per vim vel alio modo absentis possessio., l. I. A petitorio omnimodo excluduntur servi, preter quam si de libertate dicant vel de eo quod spectat ad libertatem, ut de suppresso testamento. In criminali iudicio quandoque ad accusationem admittuntur ut in crimine majestatis et quibusdam (2) aliis: ipsi autem accusari possunt.

Persona iudicis ea esse debet que neque natura neque iure prohibeatur; natura: ut infans, surdus, furiosus; iure: ut minores XX. annorum qui ordinarii iudices esse non possunt, quamvis delegari interdum possint. Item servi, muti et mulieres et infames; sed si servus in possessione libertatis esset, et a magistratibus iudex datus esset, quia non sua vice, sed illorum qui eum dederunt fungitur, iuditium eius ratum habendum est.

(1) *Supple ex cod. ms. laur.* et rei.
(2) *Cod.* quibus.

Source : BIU Cujas

Res talis esse debet que in se legittimam questionem habeat, idest privatam seu publicam. Ceterum si alia sint, de his iuditium constitui non potest, veluti si de virtutibus herbarum et natura solis queratur. Qualiter personis legittimis assistentibus iudicis, actoris et rei, et re de qua
c. 15, d. queritur costituitur iuditium: officio personarum et privilegio rerum observato, idest: iudex de his questionibus iudicet de quibus iurisdictio ei data est; et persona actoris eam rem deducat in iuditium que eius est vel ad offitium eius spectat, ut puta ad offitium talis cuius procurator est.

Quomodo exerceatur iuditium actore, reo, iudice implente suum officium. Actoris officium est intendere, et quod intendit probare; officium rei est negare, vel exceptionem opponere; officium iudicis est citare, et ad iuditium litigantem compellere, et sepius partes interrogare an aliquid novi desiderent addere.

His a iudice expletis, et causa examinata et discussa, si iudici de causa liqueat, tunc presentibus partibus debet sententiam ferre; altera parte absente: si reus est, debet trinis litteris citare; eo non veniente, sive contumax est, sive habitus pro contumaci, debet actorem in possessionem mittere, vel si de causa liqueat triennio fere emerso sententiam ferre. Si actor abest, similiter citandus est; eo cessante, sententiam ferre debet, sed hanc penam contumacie feret, quia expense facte a reo declarande sacramento, si reus condempnetur, deducentur a condempnatione.

Iuditio finito que sit potestas (1) iudicii in principio et quid sit effectus in fine videndum est. In principio, idest contestationis hec est potestas: nam contestatio tempus interrumpit, excepto tempore usucapionis; acciones perpetuantur, de dolo accione excepta; debitum quod non est usurarium facit usurarium. Effectus iuditii is est, quod ex sententia oritur accio, vel exceptio; sic ergo novam accionem in factum parit. Unde fit talis divisio, quod novatio alia dicitur voluntaria, ut que fit per stipulationem, que ipso iure tollit priorem obligationem; alia necessaria, ut que fit per contestationem, que nostram causam facit meliorem, non deteriorem; vel per sententiam, ex qua nova oritur accio, vel prima tollitur per exceptionem, non ipso iure.

II. De ordine iudiciorum.

Tractatu iudiciorum explicito secundum substantiale esse ipsorum iudiciorum, quia questiones que in iudiciis versantur ordinem cum quo exerceri debent desiderant, ideo dicendum est de ordine iudiciorum, idest questionum versantium in iuditio. Unde facienda est talis divisio, quod questiones quandoque omnes sunt principales et se non contingentens, quandoque una principalis et alia incidens,
c. 16, a. sine qua prior exoriri non potest. Cum una est principalis et alia incidens, *quandoque civilis incidit civili et ei preiudicat, ut si petam hereditatem, et obicitur mihi questio status: iusta illud: « quotiens questio status bonorum disceptioni concurrit, nihil prohibet quo magis, idest quominus, apud eumdem quandoque causa status cognoscere non possit »;* quandoque civilis incidit criminali veluti si accusavero aliquem crimine plagii, idest quia subripuit servum meum, et obiciatur mihi quia servus non est meus; quandoque criminalis incidit civili, veluti si petam fundum instrumento oblato, is a quo peto accusat me crimine falsi; quandoque criminalis criminali, veluti si quis accusaverit aliquem de aliquo crimine et obiciatur ei maius, non minus vel equale, quia duriori (1) crimine accusatus est, ut de lenocinio; vel obiciatur quia duos reos delatos habet in iuditio, sic tertium accusare non potest, vel si quis accusat aliquem de crimine adulterii et obiiciatur ei: « non potes me accusare quia leno es ». Cum ergo alia principalis et alia incidens est, primum de incidenti postea de principali cognoscendum est. Cum vero ambe sint principales, aut utreque criminales, aut civiles, aut una criminalis et alia civilis. Quum utreque sunt criminales, si pares sunt, qui prior appellat, prior agat. Si inequales, maior questio prefertur minori. Si ambe sunt civiles, qui prior appellat prior agat. Si una civilis, alia criminalis: si publicum est crimen, semper criminalis civili prefertur; si extraordinarium, qui prior appellat, prior agat. Sic regula que dicit: « qui prior appellat prior agat », ibi locum sibi vindicat, ubi utreque sunt principales et civiles vel criminales et pares, vel una civilis et alia criminalis de extraordinario crimine competens.

III. De litis contestatione.

Quia in iuditiis prima et principalis causa est litis contestatio, merito explicito tractatu iuditiorum tractat de ipsa litis contestatione. Contestatio litis tunc dicitur cum iudex per narrationem et per responsionem, causam negotii audire ceperit. Sed ut litis contestatio procedere possit, necessarium est ut offeratur ei qui convenitur libellus ab auctore, datis sportulis et prestita fideiussione, aut iuratoria cautione executori de lite exequenda; aut si executus non fuerit, vel si executus et non vicerit, X. partem litis que in libello continetur, nomine sumptuum reo prestet, vel si aliud dampnum contigerit, se restituturum (2).

Reus autem caveat, fideiussore dato, se tempore diffinito a iudice vel executore interesse iudicio, nisi indutias XX. dierum reus petat in quibus deliberet cedat an contendat, vel alium sociari iudici petat, vel prorsus eum
recuset, nisi sit ille quem, iam recusato alio, petiit. Nisi c. 16, b.
hec precedant, litis contestatio nullius momenti erit. His precedentibus sequitur litis contestatio, nisi a reo iuditium declinetur. Declinatur autem iuditium aut propter

(1) *Cod.* pars.

(1) *Cod.* diviori.
(2) vel si aliud etc. *ex cod. ms. laur. supplevi.*

Source : BIU Cujas

personam agentis, quia non habet personam sistendi in iuditio; aut propter personam iudicis quia non sum sub eo conveniendus; aut propter personam eius qui convenitur, veluti quia dicit se personam non habere sistendi in iuditio; aut propter tempus, veluti quia sunt dies feriati, aut tempus messium vel vindemiarum; aut propter locum, quia non habuero hic domicilium; aut propter causam, quia sum missus Romam causa legationis. Quandiu ergo supradictis modis iuditium declinatur, lis contestata non dicitur. His causis cessantibus, sequitur contestatio sollempnitate supradicta.

FACULTÉ DE DROIT DE PARIS BIBLIOTHÈQUE

IIII. De plus petitionibus.

Quia litem contestando plus petitur, tractat de plus petitionibus; que plus petitio quandoque fit tempore, quandoque fit re, quandoque causa, quandoque loco. Si tempore plus petitur, reo tempus duplicatur. Si re, veluti cum debeat petere X. petit XX.; si propter hoc reus dedit maiores sportulas, actor reo condempatur in triplum. Sed si, cum reus deberet X., dolo actoris inductus cavit in instrumento se XV. debere, si ante inchoatam litem eum calliditatis peniteat, penam nullam sustinebit; si litem contestatus est, et de adiecta quantitate falsi accusatus est, toto debito et vero adiecto [1] fraudabitur iure veteri, sed hodie et pena supradicta punietur. Si super hoc falso transactum est vel secundo reus confessus est instrumento sine dolo malo actoris, nec a debito fraudabitur, nec supradictam penam sustinebit. Si causa plus petatur, veluti cum debeat petere Sticum aut Pamphilum, petiit alterum tantum vel utrumque simul; vel loco, veluti si quod debeatur mihi certo loco sine conmemoratione alterius loci petam; si hac occasione reus prestitit maiores sportulas, actor reo condempnabitur in triplum.

V. De dilationibus.

Lite contestata petuntur dilationes: ideo subiungit de dilationibus. Que dilationes dantur a iudice, causa cognita. In cause cognitione vertitur utrum propter testes an propter instrumenta, an propter quicquam aliud petantur. Que si petantur sive a reo sive ab actore in peccuniariis causis, plus quam semel, nisi causa cognita, dari non debent. In criminalibus, reo dabuntur tres, accusatori due. Tempora quarum dilationum diffinita esse dicuntur: si in
c. 16, c. eadem provintia, III. menses dantur; si in diversa, VI. menses; si in transmarina, novem: que tempora, causa cognita, a iudice possunt coartari et differri.

VI. De feriis.

Quia ferie vacationem a foro prestant et causam differunt sicut dilationes que a iudice prestantur, subiungit de feriis. Que ferie dicuntur quasi foërie, eo quia prestant vacationem [1] a foro. Quarum feriarum fit talis divisio, quod quedam sunt sollempnes, quedam temporales, quedam sunt repentine. Sollempnes sunt que sola ratione solempnitatis diei constituuntur, ut dies apostolice passionis, epiphaniarum Christi, et dominicus dies, et ceteri dies sollempnes.

Temporales sunt que causam ex tempore solummodo habent, ut tempus messium et vendemiarum.

Repentine sunt que in prosperum adventum statute sunt, vel ob communem letitiam, veluti si die quo princeps depugnavit hostes statuat ferias, vel die sui ortus; que ferie prestant vacationem ne contemptiose et civiliter agatur; nam criminaliter interdum expedit agi, ut cognoscatur de Bucentauriis et Ysauris. Nam expedit rei publice ut isti his feriis convincantur et puniantur. Similiter voluntarie iurisdictionis his temporibus possunt expediri, ut emancipatio, manumissio. His feriis si acciones sunt periture tempore, possunt in iudicio deduci et sic perpetuari.

VII. De iurisdictione omnium iudicum.

De iuditiis et ordine ipsorum congruenter expositum est: nunc de loco iuditiorum dicendum est. Quia ubi locus competens est, iurisdictio competens esse dicitur: ideo ponit de iurisdictione et foro competenti. Quare videndum est quid sit iurisdictio, in quo differat a foro, vel conveniat cum foro. Iurisdictio est munus iniunctum publica auctoritate, cum necessitate dicendi, tuendi iuris vel statuende equitatis. Que iurisdictio ita dividitur, quod alia dicitur communis et plena, alia semiplena. Communis et plena, ut ipsius imperatoris; semiplena: alia ordinaria, alia extraordinaria. Ordinaria, ut cuiuslibet iudicis ordinarii; nam in subiectos potestatem habent ordinariam, in reliquos ita demum, si subitiant se iurisdictioni eius. Nec de omnibus causis possunt se subicere, veluti de causa ingenuitatis; nam procuratores Cesaris non possunt se subicere. Non ergo ordinaria communis est etiam plena. Extraordinaria, est quum quisque habet non suo nomine sed c. 16, d.
alterius, ut qui mandatum accipit.

In quid differat iurisdictio a foro: nam iurisdictionem metimur interdum ex professione solum, ut iurisdictio magistri militum. Nam non metimur loco quia quamdiu magistratum gerit, ubicumque sit, eos potest cogere. Forum vero metimur semper ex loco; uti dicitur competens forum ibi, ubi domicilium habet. In hoc conveniunt quia iurisdictio ex loco interdum accipitur, ut dicitur de preside qui quoad in provincia eius est, potestatem habet: conveniunt quia unum pro altero ponitur. Similiter forum aliud commune et plenum, aliud semiplenum: commune et plenum, ut Roma, semiplenum: aliud ordinarium, ut provincia qua domicilium habemus: aliud extraordinarium,

(1) *Cod. laur.* et vero, et adiecto.

(1) *Cod.* vocationem.

Source : BIU Cujas

ut cum invitus duceris ad provinciam alienam ut de causa apud iudicem provintie cognoscatur.

VIII. Quando imperator inter pupillos et viduam et miserabiles personas cognoscat.

Quia quibusdam personis et iudicem proprium et locum proprium permissum est evitare, et ad communem iudicem effugere, ut pupilli et vidue et miserabiles persone, dicit quando etc. Nam pupilli et vidue et miserabiles persone si conveniantur, si nolunt, non coguntur provinciam suam exire et ad verum iuditium pervenire. Sed si perorrescunt potentiam adversarii et nostrum adiutorium oraverint, cogantur adversarii in adiutorio nostro copiam sui facere.

VIIII. Ubi de criminibus agi oportet.

Quia forum quod regulariter non est competens ratione criminis dicitur competens, dicit ubi de criminibus agi oportet. Nam ibi de crimine agi oportet ubi crimen commissum est; vel ubi passus est inchoari questionem adversus se, non opposita prescriptione fori; vel ubi latitans invenitur, vel ubi domicilium habet.

X. Ubi de possessione agi oportet.

Quia ubi de possessione agi oportet (1) interdum crimen invenitur, merito iuxta crimen ponit ubi de possessione agi oportet; nam ibi agendum est civiliter de possessione, ubi vis facta dicitur, vel ubi qui convenitur domicilium habet, vel ubi res est que abest per vim.

XI. Ubi fideicommissum peti potest.

Quia non solum ratione criminis forum dicitur competens, sed etiam ratione quasi contractus, dicit ubi fideicommissum petatur; nam si personali accione petatur, ibi petendum est ubi heres domicilium habet, vel ubi est maior pars hereditatis, si heres ibi mavult conveniri; nam alias non est conpellendus ad prestationem, vel ubi testator voluit prestari.

XII. Ubi conveniatur qui certo loco dare promittit.

Ratione quasi contractus dicitur forum competens, si-
c. 17, a. militer ratione contractus; merito dicit ubi conveniatur qui certo loco dare promisit. Nam ibi est conveniendus ubi dare convenit; sed si in mora dandi est ubi promisit, alibi conveniendus est arbitraria accione, inspecta utilitate utriusque; habita tamen ratione domicilii, ne passim ubicumque conveniatur.

(1) Oportet *supplevi ex cod. ms. laur.*

XIII. Ubi in rem accio excerceri debeat.

Similiter ratione rei forum conpetens dicitur; sic dicit ubi in rem accio exerceri debeat. Nam in rem accio ibi exerceri debet et potest ubi res est vel ubi domicilium habet qui convenitur.

XIIII. Ubi de hereditate agatur.

Res specialis petitur, similiter res universalis ut hereditas. Quia non solum universitas petitur, sed etiam possessio: dicit ubi de hereditate agatur, et ubi scripti heredes in possessionem mittantur. Nam hereditas ibi petenda est, ubi heres domicilium habet, vel ibi ubi res sunt, inspecta natura accionis in rem. Possessio ibi danda est ubi res sunt.

XV. Ubi de ratiociniis agi oportet.

Ratione rei dicitur forum competens, similiter ratione amministrationis; merito subiungit ubi de ratiociniis agi oportet. Nam ibi agendum est ubi aministravit tutelam, vel similiter si rationem publicam gessit, ibi respondere cogitur ubi aministravit.

XVI. Ubi causa status agi debeat.

Quia res est que gaudet privilegio, veluti causa status, dicit ubi causa status agi debet. Nam ibi de statu agendum est ubi dominus domicilium habet, si ex possessione servitutis quis proclamat se in libertatem; nam si ex possessione libertatis proclamatur in servitutem, ibi agendum est ubi domicilium habet qui servus esse dicitur. Hoc si sine dolo possidet se in libertatem; nam si dolo, quia in fuga est, reducitur in potestatem domini. Et ibi causa libertatis agatur; nam patitur simile preiuditium constitutus in servitutem.

XVII. Quando liceat unicuique.

Negotia que spectant ad nos pleraque iudiciis expediuntur; quandoque nobis ipsis expedienda committuntur. Merito post tractatum iuditiorum dicit quando licet unicuique sine iudice etc. Nam permissum est obviam ire latroni et si resistendum putaverit interfici gladio. Melius est enim in tempore occurrere, quam post exitum vindicare.

XVIII. De inofficioso testamento.

Iuditiorum tractatus convenienter expositus est. Quia in iuditiis spectatur officium actoris sine quo iuditium non potest constitui, sed officium eius est intendere, intendit autem per accionem, merito tractat de actionibus. Quia accio alia est in rem, alia in personam, et quia plus

Source : BIU Cujas

est cum dominis rem nostram esse, quam cum dominis
c. 17, b. nobis deberi (1), merito primum tractat de accionibus in rem. Quia accio in rem alia competit de universitate alia de re speciali, dignior est autem universitas quam res specialis, merito ponit primum de accione que de universitate competit; sic de petitione hereditatis. Quia petitio hereditatis quandoque simpliciter proponitur, quandoque premissa allegatione, veluti querela inofficiosi, tractat de ipsa querela; merito ergo dicit de inofficioso testamento, unde oritur querela. Ubi videndum est quare dicitur inofficiosum. Inofficiosum dicitur quasi privatum ab officio. Quod officium multis modis accipitur; accipitur enim vulgariter: officium, congruus actus cuiuslibet loci secundum mores eius; accipitur legitime inter patrem et filium pro pietate, unde dicitur testamentum inofficiosum, idest impium; inter libertum et patronum dicitur obsequium; inter Deum et hominem dicitur religio; inter extraneos dicitur solummodo officium; nam officium est quod homo homini debet. Nam hoc debemus nobis vel aliis ne iniuria afficiamus nos vel alios, veluti si non honeste vivamus, si suum cuique ius non prestamus. Sed cum omnibus supra dictis modis dicatur officium, hic accipitur officium pro pietate; unde si quis non servata pietate filium suum sine causa exheredaverit vel preterierit, inofficiose testatus dicitur, quare testamentum eius dicitur inofficiosum. Ex quo testamento oritur querela. Quare videndum est que sunt cause propter quas, et ex quibus oritur querela, et quibus detur, et quam accionem intendat qui proponit querelam, et adversus quos detur, et quis sit effectus querele, et que sint cause que faciunt cessare querelam.

Cause hee sunt: iniqua exheredatio, seu preteritio, quod dicitur contingere officio pietatis: pretermissio, quod officium dicitur pretermitti re et consilio, ut quem ex proposito exheredant vel omittunt. Interdum re, veluti si quis ignorans filium vivere quem putabat decessisse, extraneum heredem instituit, ut in Dig. eod., l. si instituta.

His personis datur querela que inter se optinent locum filiorum vel parentum; nam filiis competit adversus testamenta parentum, sive sint in potestate, sive sint emancipati. Manentibus in potestate, sive preteriti sint sive exheredati, datur querela; emancipatis si sint exheredati. Nam preteritis competit bonorum possessio contra tabulas. Nec suis nec emancipatis indistincte competit, nam tantum valet preteritio quantum exheredatio. Et e converso, turbato ordine mortalitatis, parentibus adversus testamentum filiorum competit. Collateralibus non conpetit, excepto fratre consanguineo adversus testamentum fratris, turpi persona vel ignominiosa instituta herede.

c. 17, c. Sed cum querela intenditur nullam aliam accionem proponere intendit nisi petitionem hereditatis que proponi non potest, nec proposita esse intelligitur, nisi querela sibi locum vendicet. Quod non sit proposita videri potest per hoc quod dicitur querela quinquennio tolli. Nam si intelligeretur proposita, sublata querela quinquennio, aut petitio hereditatis duraret aut tolli diceretur; quod esset inconveniens eam quinquennio tolli cum perpetua sit, et duret usque ad XXX. annos, nec durat cum certum sit, sublata querela tempore, petitionem (1) hereditatis non posse intendi; concluditur ergo quod ipsa non intenditur sed preponi (2) intenditur.

Adversus heredes institutos datur.

Quis sit effectus querele: nam ipso iure rumpitur testamentum per querelam, et merito quia cum ex (3) sententia in hac specie sit ius, idest ius successionis, inventum lege XII. tabularum, testamento sublato, infirmato, testamentum redit ad suum statum. Exinde igitur petitio hereditatis sibi vendicat locum, titulo testamenti habito pro non titulo.

Cause que dissuadent querelam hec sunt: si renuntiavit querele tacite vel expressim, si voluntatem agnovit, si quinquennio tacuit post aditam hereditatem, si quid testator ei reliquit aut dedit sub conditione ut in quartam computetur: tunc ex nova constitutione de repletione est agendum utroque casu: que repletio ex substantia defuncti tempore mortis fieri debet. His causis cessantibus competit querela enumeratis personis et heredibus eorum si sit preparata vel instituta; alioquin si neque sit preparata vel istituta, non transmittitur ad heredem preter quam ad filios. Sed hec vetustas introduxit: nova autem constitutione querela nullum sibi vindicat locum. Nam si quis ex supradictis personis iuste sit exheredatus, quod fieri potest si causa ingratitudinis in testamento inserta sit, et si de causa dubitatur, ab herede probetur: tunc querela non competit. Aut iniuste est exheredatus vel preteritus: tunc enim ipso iure circa institutionem nullum est testamentum; cetera perseverant in suo statu. Quod autem a quibusdam dicitur: inter fratres querelam locum sibi vindicare, cum parem necessitatem nova constitutio imponat parentibus et filiis et interdum fratribus relinquendi trientem vel semissem pro numero liberorum constitutione nova I. et iure institutionis relinquere; alioquin nullum est testamentum constitutione nova X. in coll. octava.

XVIIII. De inofficiosis donationibus.

Quia inofficiose donationis querela preparationem facit ad petitionem hereditatis, sicut querela inofficiosi testamenti, merito post querelam inofficiosi testamenti ponit de inofficiosis donationibus. Ubi videndum est quid sit inofficiosa donatio, qua de causa dicatur inofficiosa donatio, cui competit querela, adversus quem detur, quid c. 17, d.
revocetur per hanc querelam, que cause faciunt cessare hanc querelam, in quid conveniat hec querela cum supradicta vel differat.

(1) *Cod. laur.* cum dominiis rem esse nostram, quam cum nobis dominis debitam esse.

(1) *Cod.* petitio.
(2) *Cod. laur.* proponi
(3) *Cod. om.* cum.

Source : BIU Cujas

Inofficiosa dicitur quasi impia quia non servat pietatem, vel hac de causa dicitur inofficiosa quia quis inique per eam dicitur exclusus; sic iniqua exclusio dicitur causa quare competit querela. Ei dicitur competere qui optinet locum descendentis, ut puta filiis et nepotibus; vel ascendentis, ut puta patri et matri. Collateralibus nunquam invenitur posse competere, set solummodo descendentibus et ascendentibus competit querela hec ad revocandam inofficiosam donationem, que sit inofficiosa re et consilio. Nam si sola re inveniatur inofficiosa non revocatur, nisi cum pater vel mater non habens filios omnia bona donavit: postea filios habuit; vel si patronus donaverit liberto, ut C. de revocandis donationibus. Nam credendum est, si de filiis cogitasset, non inmodica donasset: quare potestate legis, vel querela proposita, quod immoderate gestum est dicitur revocari.

Adversus possidentem titulo competit et heredes eius.

Eatenus revocatur, quatenus est immoderate gestum.

Hec cause fatiunt cessare querelam, veluti si restitui possit adversus donationem, vel si agnovit voluntatem donantis, vel si quinquennio tacuit, vel quartam sue partis habet.

In hoc convenit hec querela cum supradicta quia una et altera ad compescendos malos mores inventa est, et excluduntur eodem tempore, et unam causam habent quare introducte sunt, idest iniquam exclusionem. In hoc differunt quia querela inofficiosi testamenti locum sibi vendicat cum testamentum factum est, hec querela tam ex testamento quam ab intestato competit. Similiter per supradictam rumpitur totum testamentum, per hanc quatenus est immoderate donatum. Item supradicta preparat viam petitioni hereditatis; hec autem interdum vendicationi, Differunt et in aliis similibus. Sed cum de donatione inofficiosa a parente (1) facta queratur, queritur si pater omne patrimonium donaverit filio, an ceteri filii queri possint de inoffitiosa donatione adversus fatrem. Quod sic distinguendum est: si pater donat filio manenti in potestate, et is filius ad divisionem perveniat cum reliquo fratre, iudicio familie herciscunde congruit ut quartam partem sue portionis prestet incolumem reliquo fratri. Quare si obicitur: dictum est enim in titulo de donationibus inter virum et uxorem: si pater donat filio, tunc morte con-
c. 18, a. firmatur donatio, et silentium donatoris et specialis confirmatio ad illud tempus confertur quo donatio conscripta est, sicut alias ratiabitiones reduci oportet ad ea tempora quo facte sunt; et cetera (2) sic ergo retrotrahuntur. Ergo ex tempore intelliguntur exisse de bonis quo facte sunt: si tempore mortis patris non sunt in bonis, ergo non veniunt in iuditio familie herciscunde. Solutio: nam cum dicitur donationem retrotrahi, hoc intelligendum est quantum ad fructus percipiendos non quantum ad dominium; sic, quia dominium remansit in bonis, merito deducitur in iuditio familie herciscunde. Cui determinationi sic puto obitiendium: cum lex dicit retrotrahi donationem, intelligendum est non quantum ad dominium, sed quantum ad fructus precipiendos; et hoc probari potest per legem que dicit ex eo tempore nos incipere usucapere, ex quo si dominium esset dantis transiret ad accipientem; ergo si ab initio non intelligeretur dominium esse translatum, si dominium esset dantis, nec ab initio non traderet rem alienam, inciperet usucapio. Sed lex aperte dicit usucapionem ex eo tempore incipi ex quo donatio facta est, quamvis lege antiqua nullo tempore potest usucapi eo quod (1) morte non confirmabatur: in Dig, tit. pro donato., l. si vir. Merito ex eo tempore dominium intelligitur esse translatum ex quo donatio facta fuit: in Dig. de donationibus inter virum et uxorem., l. sed si. Unde fatienda est talis divisio: cum pater donat filio sicut extraneo, hec donatio morte confirmatur et retrotrahitur et non deducitur in iudicio familie herciscunde, sed per querelam revocatur, si immoderate gestum est. Si donat filio ut filio, et voluit conferre supremum iuditium in eum, morte confirmatur, nec retrotrahitur, et tunc quia morte convalescit, ut legata et fideicommissa veniunt iuditio familie herciscude, ut C. tit. familie herciscunde., l. filie. Alias donat filio ut filio cogitando de futura successione et non alia inspectione: tunc non valet donatio, ergo in commune deducitur: C. de collationibus., l. si pater; nisi alius frater donavit, vel dotem habet in qua non minus continetur quam habere inveniatur.

(1) *Cod.* apparente.
(2) *Cod. laur.* et cum.

XX. De petitione hereditatis.

Querele tractatus convenienter expositus est, nunc de ipsa petitione hereditatis, cuius gratia querelam proposuit, dicendum est. Quare videndum est quid sit hereditas, quid petitio, qui hereditatis petitionem intendit, cui competit petitio hereditatis directa vel utilis, adversus quem c. 18, b.
directa detur vel utilis, quid in ea veniat iure accionis vel officio iudicis, utrum sit in rem vel in personam an mixta, temporalis an perpetua, bone fidei an stricti iuris, quid proprium sibi vendicet.

Hereditas est ius universum quod defunctus habuit tempore mortis. Qui igitur habet hoc ius, sive hoc ius discretum sit, ut dominium, actio etc., sive indiscretum, ut ius quod habemus circa res commodatas, depositas, pignori datas, quamvis ipsi cui commodata vel deposita vel pignorata est non semper debeat dari accio, tamen succedenti dabitur petitio, non ipsius iuris quod habet, sed rerum que a defuncto detinebantur. Ergo petit res, non hereditatem. Concluditur hoc aliud: quod ius prestaret (2) defuncto accionem, prestabit heredi, ut Dig. eod., l. et non tantum.

Ei datur directa petitio hereditatis qui institutus est heres; ab intestato ei competit qui vel senatusconsultis

(1) *Cod. laur.* quo.
(2) *Cod. laur.* quod non prestaret.

Source : BIU Cujas

vel constitutionibus succedit. Utilis competit possessori bonorum adversus eum qui debet restituere, vel adversus extraneos cui restituta est hereditas.

Adversus eum datur directa qui possidet pro herede vel possessore. Pro herede possidet qui putat se esse heredem cum non sit, sed si ex alia causa possideat, puta credidit quartam partem bonorum arrogatoris ad se quasi arrogatum pertinere; pro herede possidere dicitur et qui putat se bonorum possessorem; possidet predo qui interrogatus cur possideat, respondit « quia possideo », nec contendit se heredem, vel per mendatium contendit sciens, nec ullam causam possessionis potest dicere, vel si dicat, iniustam allegat. Que causa dicitur iniusta ratione rei, veluti si quis, post motam controversiam, emat totam hereditatem vel partem: nam hic titulus pro non titulo habetur. Quandoque dicitur ratione persone iniusta, ut qui sciens emit a furioso hereditatem, vel a minore XII. annis dotem sciens accepit. Quandoque ratione cause dicitur iniusta, ut puta vir uxori, sciens donatum non valere, donavit hereditatem, unde dicitur, titulus pro possessore adheret omnibus titulis, cum supradictis rationibus tituli pro non titulis habeantur.

Adversus eum datur utilis qui titulo possidet hereditatem, sive bona fide sive mala fide emit. Sed cum bona fide emit, duobus casibus tenetur emptor; si venditor
c. 18, c. non extat, vel, si extat, modico vendidit. Si mala fide, indistincte tenetur.

Sed cum possessores supradicti teneantur petitionem habere, tenentur sive possideant hereditatem sive minimam rem; nam cum res minima petitur, non inspicitur ius possessoris, sed petitoris, quia petendo universitatem, et rem singularem petere videtur, sive ius possideatur, ex quo iure res debita restitui debeat, veluti si debitor est hereditatis. Nam si ius possideant ex quo nichil est debitum quod restitui possit, non tenetur petitione hereditatis, veluti possidet servitutem: tunc enim convenitur confessoria ut patiatur uti, non peticione hereditatis, quia nichil restitui potest. Sed etsi non possident, dolo tamen fecerint quominus possiderent, tenentur petitione hereditatis. Nam dolus preteritus, idest commissus ante litem contestatam, venit in petitione hereditatis, et merito. Iure enim accionis multa veniunt in petitione hereditatis; nam veniunt non tantum ea que sunt in bonis, ut puta quarum rerum dominium tempore mortis habuit defunctus vel quasi dominium, nisi sint deperdite vel que in rerum natura non sunt; sed etiam que in bonis sunt, ut puta res commodate, et quarum retentionem habebat defunctus non etiam accionem. Item veniunt in hereditatis peticione etiam ea que causa heredum comparata sunt. Si ex pecunia hereditatis, omnimodo veniunt; si ex pecunia possessionis: si sunt necessarie hereditati, veniunt, pretio tamen refuso possessori a vero herede. Sed si vendidit rem hereditariam distinguitur si est bone fidei possessor vel male: si est bone fidei, tenetur de pretio et eius usuris quatenus est locupletior; si male fidei, in potestate est petitoris utrum pretium cum usuris an rem cum fructibus consequi velit. Hoc ante motam controversiam; post motam enim controversiam, quantum ad fructus et usuras, omnes versantur honere predonis. Sed si fuerit bone fidei possessor, quamvis post litem teneatur de fructibus, non tamen tenetur de fatalitate. Preterea omnes accessiones naturales veniunt, ut puta partus et fructus. Nam fructibus hereditas augetur sive ante aditam sive post percepti sunt. Similiter civiles accessiones veniunt, ut vecture, pensiones sive honeste sive inhoneste, ut puta ex lupanario percepte. Quamvis enim civiles accessiones lucro possessoris debent cedere, tamen quia hec accio personales prestationes recipit, et hec intelliguntur venire.

Preterea quicquid possessor acquisivit occasione hereditatis, ut acciones, eas cedere debet; si tamen ob iniu-
riam sibi factam consecutus est penam, non debet resti- c. 18, d.
tuere petitori: in Dig. eod., l. ubi. Similiter nomine doli et culpe tenetur male fidei possessor, veluti si exigere potuit et non exegit a debitoribus: in Dig. eod., l. sed et si.; bone fidei non tenetur nomine culpe qui suam rem neglexit. Hoc ante litem (1): in Dig. eod, l. si quis; unde intelligi potest si est male fidei possessor; non imputabitur vero heredi quod non debitum solvit, nec exigetur ab eo quod non debitum exegit: in Dig. eod., l. si possessor. Sed si bone fidei possessor indebitum solvit ex hereditate, imputabitur vero heredi; si verus heres, habebit condictionem: in Dig. de condictione indebiti., l. non est. Si de suo solvit, et suo nomine cedit conditionem vero heredi, et deducet de hereditate: in Dig. eod., l. si quid. Si nomine hereditatis, deducet solummodo. Si vero debitum est quod solvitur, si de suo possessor solvat, et suo nomine deducet de hereditate si ratam habet solutionem: hoc si bone fidei est. Si autem male fidei, debet cavere se defensum iri adversus creditorem, ut Dig. eod., l. si quid. Si autem nomine hereditatis solutum est, sive a bone fidei sive a male fidei possessore quasi hereditario negotio gesto, imputabitur heredi: suo nomine intelligitur solvi quando ante litem contestatam vel motam litem, solvitur. Si post motam controversiam nomine heredis, et quemadmodum solvendo pro hereditate possessor quandoque deducit, ut ff. eod., l. si quis post.; ita interdum imputabit vero heredi in expensas.

Quarum expensarum fit talis divisio, quod alie fiunt circa fructus, quas omnes possessor deducere debet; alie fiunt circa rem, quarum fit talis divisio, quod alie sunt necessarie, ut cum res peritura esset si impensa facta non esset; alie sunt utiles, que rem meliorem faciunt vel deteriorem esse non sinunt; alie sunt voluptuarie, que causa voluptatis fiunt ut sunt incrustationes, picture. Quas omnes expensas bone fidei possessor de hereditate deducere debet. Nam dictum est bone fidei possessorem lucrum ex hereditate facere non posse: Dig. tit. eod., l.

(1) Litem *ex cod. ms. laur. supplevi.*

Source : BIU Cujas

evicta., similiter nec ullum dampnum sustinere debet. Unde dictum est: si contemplatione hereditatis sibi delate lautius usus est, non debere sibi, sed hereditati expensum ferre, ut Dig. eod., l. sed., et l. plane. Si est male fidei possessor necessarias et utiles potest sibi conservare non iure exceptionis, sed per officium iudicis: ita demum, si res extat et melior facta sit, quamvis bone fidei bonorum possessor omnimodo deducet de hereditate, ut Dig. eod., l. plane., l. utiles.: si voluptuarie, permittitur male fidei possessori sine lesione prioris status rei auferre, nisi paratus sit petitor tantum dare quantum valent, his rebus ablatis.

Offitium iudicis late patet, nam iubet et cautiones fieri, et usuras venire, et expensas conservari, ut supra ostensum est.

c. 19, a. Mixta est tam in rem quam in personam; perpetua, non temporalis; bone fidei est. Hoc proprium sibi vendicat, nam mota controversia prohibita est alienatio, nisi tales res erant que tempore periture erant; vel alias utile erat hereditati, ut dicitur in l. divus Pius.

XXI. De rei vendicatione.

Jura prodita circa accionem que de universitate competit exposita sunt; nunc, de iure quod constitutum est circa accionem que de re speciali competit dicturi, merito de ipsa accione in rem dicendum est. Quare videndum est cui competit accio in rem directa vel utilis (1), quid in ea veniat iure accionis vel offitio iudicis. Videndum est etiam si sit bone fidei an stricti iuri, an arbitraria; temporalis, an perpetua. Directa ei competit qui dominus est iure gentium vel iure civili: iure gentium, ut inventione, occupatione etc., iure civili, ut usucapione. Si autem dominus sit iure naturali, tamen cum alius sit dominus iure gentium vel civili, habet utilem, ut dicitur de eo qui (2) pinxit tabulam; nam dominus tabule remanet dominus iure naturali, is qui pinxit est dominus iure gentium. Domino iure naturali datur utilis, domino iure gentium datur directa. Utilis competit ei qui non est dominus sed ius in rem habet, ut superfitiario, emphiteoticario et ei qui habet agrum vectigalem, et militi et pupillo quorum peccunia res empte sunt. Et dicitur utilis quia ex interpretatione legis descendit, non ex verbis; directa quia ex sententia et verbis legis descendit, ut cum dicitur soli domino competit accio in rem.

Adversus eum competit directa qui possidet, nam possessio parit accioni in rem adversario (3) que possessio sic intelligenda est, sive civilis sit, sive naturalis, id est si facultatem restituendi habet, unde dicitur quod commodatarius, depositarius, quia facultatem habent restituendi, tenentur accione in rem; sed tamen si velint dominum in iuditio nominare, indutiis a iudice datis, interim petitio deffertur.

Utilis adversus eum datur qui dolo desiit possidere. Nam dolus pro possessione habetur. Alternatione tamen personarum ius accionis mutari dicitur, veluti si actor posset intendere directam, reus non possit conveniri directa quia non possidet, sed dolo desiit possidere, directa dicitur utilis quia contra eum extenditur legis interpretatione contra quem non debet dari. Et e converso, si est qui possit conveniri directa, tamen actor non potest intendere eam, dicetur utilis.

Quid veniat iure accionis dicendum est. Restitutio rerum singularum venit, nam singularis res petitur et uni- c. 19, b.
versitas corporum petitur, ut grex; que restitutio sic debet fieri, ut res deterior non reddatur. Nam si deterior res facta sit culpa vel dolo possessoris, in potestate est actoris, agendo actione in rem, per officium iudicis consequi rationem dampni dati, vel sempliciter postulare rei restitutionem, per accionem autem legis Aquilie dampnum consequi. Sed tamen altero iuditio debet esse contentus, non ut triplum, sed ut duplum consequatur. Preterea veniunt fructus et accessiones. Sed cum fructus et accessiones prestantur a possessoribus, quorum aliqui sunt cum titulo, alii sine titulo, dicendum est qui fructus et accessiones a possessoribus debeant prestari. Nam fructus quidam veniunt natura, quidam cultura et cura. Si natura proveniunt: si extant, ab omni possessore vendicabuntur; si sunt consumpti, condicentur. Si cultura et cura, si est bone fidei possessor qui percepit, suos facit, sive sit cum titulo, sive sine titulo; sed tamen si existant, quia vendicari non possunt, per officium tamen iudicis restitui debent. Si consumpti sunt, omnimodo lucrabitur eos, preter quam si possessor sumptus in rem factos imputare velit; tunc enim fructus computabuntur cum expensis et cum usuris. Si est male fidei, sive cum titulo sive sine titulo, si percepti sunt et extant, quia non fecit suos vendicabuntur; si consumpti sunt, officio iudicis vel conditione sine causa restituuntur. Si non sunt percepti sed percipi potuerunt, prestabuntur officio iudicis ab omni male fidei possessore sive cum titulo, sive sine titulo. Nam dictum est quod possessor male fidei de dolo et culpa rationem reddere cogitur commisso ante litem contestatam; sed culpa est si non percepit quod percipere potuit. Bone fidei autem possessor de dolo tantummodo dicitur teneri commisso ante litem contestatam. De culpa commissa ante litem contestatam, si in ipsa re culpa contingit dampnum, tenetur; si extra, quia non percepit quod percipere potuit, non tenetur: igitur de percipiendis non tenetur. Hoc de fructibus. De accessionibus autem, sive percepit sive percipere potuit, male fidei possessor omnimodo tenetur, conditione sine causa de perceptis, et de percipiendis officio iudicis. Nam ab eo vendicari non possunt cum is qui dedit possessoris fecit. Bone fidei autem possessor omnimodo lucratur, nisi sumptus reputare velit: tunc enim conpensabuntur. Hec que statuta sunt de fructibus et acces-

(1) *Additum fuit postea:* adversus quem datur accio directa et utilis. *In cod. laur.* adversus quem datur.

(2) *Cod.* quod.

(3) *Ita cod. laur.: cod. tub.* parit accionem in rem adversarium.

Source : BIU Cujas

sionibus et dolo et culpa, intelligendum est ante litem contestatam. Post litem enim omnes possessores de fructibus et accessionibus et dolo et culpa indistincte tenentur; et sicuti possessores fructus prestant, ita expensas reputant. Sed expensarum quedam necessarie sunt et utiles, quedam utiles, quedam voluptuarie. Necessarie et utiles a possessore bone fidei omnimodo computantur: si est male fidei possessor, necessarias conserbat officio iudicis. Si utiles, et tales sunt que separari possunt, permittitur posse (1) omni auferre sine lesione prioris status rei; si separari non possunt per officium iudicis, si res extat, quatinus melior effecta, conservabit. Hec regulariter statuta sunt. Interdum tamen bonus iudex varie ex personis et causis constituet; quod enim si dominus pauper est, et rem venalem habet, tantum cogatur prestare quantum plus vendi potest, et si plus expensum sit; si autem plus fundo accessit, solum quod expensum est. Si venalem non habet, sufficit tantum dare quantum habiturus est his rebus ablatis. Et non solum bone fidei possessores nomine rerum et accessionum interdum tenentur; sed etiam si acquisiverint aliquid occasione rerum possessarum, puta actione legis Aquilie, prestare coguntur, puta hereditatem per servum quesitam, vel quicquam aliud non ex re possessoris vel ex operis suis. Male fidei possessor omne quod quesierit officio iudicis prestare cogitur.

c. 19, c.

Hec statuta sunt cum possessio invenitur apud eum qui convenitur. Si autem sine dolo et culpa possidere desiit, absolvendus est possessor. Similiter si res periit sine dolo et culpa, absolvendus est, preter quam si male fidei possessor rem vendidit et pretium habet: tunc enim teneretur de pretio. Similiter si necessitate rem modico distraxit, tenetur tantummodo de pretio. Et e converso ubi nullum pretium habet, quandoque tenetur de pretio, veluti si post litem contestatam homo vel animal periit quem distracturus erat. Officium iudicis est ut extantes fructus interdum veniant ante litem percepti, post litem universi: suo officio rem certo loco restituere faciat interdum sumptibus petitoris, interdum possessoris. Possessore non restituente, si dolo fecit quominus restituere possit, sacramento in litem prestito ab actore taxato, per iudicis officium in exstimationem condempnet: si culpa, in verum pretium rei condempnet. Si rem habet et non vult restituere, manu militari adibita, per officium iudicis auferatur. Interdum etiam officium iudicis caveri de dolo petitori a possessore iubet, si forte intra moras iuditii res a possessore usucapta sit. Arbitraria est hec accio: perpetua est, non temporalis.

c. 19, d.

Possessor hereditatis et possessor rei specialis multa coguntur prestare, et converso plura reputant. Unde interrogatus in quid videantur differre, inquam (2): si supra exposita subtiliter inspexeris, facile poteris cognoscere; sed ut facilius percipere possis aliqua dicere non differam. Nam possessor bone fidei hereditatis omne quod acquisivit occasione hereditatis cogitur restituere, et e converso, nullum detrimentum debet sustinere; hoc excepto: si ob iniuriam sibi factam occasione hereditatis penam consecutus est, vel alii prestet (1) penam; similiter, si res periit sine dolo et culpa eius, post litem contestatam, quamvis petitor distracturus erat, non cogitur prestare pretium. Sed possessor rei specialis interdum lucrum capit, ut fructus consumptos, etsi vendidit rem, et pretium habet etsi res extat et peti possit, quamvis qui rem hereditariam vendidit et precium habet rem habere videatur. Et e converso patitur detrimentum, veluti si post litem contestatam res periit sine dolo et culpa quam petitor distracturus erat. Similiter circa sumptus differt. Nam possessor bone fidei, hereditatis omnes sumptus deducet, omni distinctione submota: possessor rei specialis non deducet, interdum estimatione varie facta ex personis et causis, ut supra expositum est. Hec et alia possunt in possessoribus bone fidei distingui: in possessoribus male fidei distinguendum non credo.

XXII. De usufructu et habitatione et ministerio servorum.

Acciones in rem de rebus tam corporalibus quam incorporalibus dari dicuntur; merito de ipsis incorporalibus rebus, unde acciones in rem competunt, dicit. Sic de servitutibus; sed quia servitutes alie dicuntur personarum, alie rerum, digniores autem sunt servitutes personarum quam rerum, idcirco primitus tractat de servitutibus personarum: sic de usufructu et habitatione et ministerio servorum. Videndum est igitur quid sit ususfructus, qualiter constituatur, in quibus rebus constituatur, vel qualiter utendum sit, quando amittatur, que acciones ex eo proficiscantur.

Ususfructus est ius; hoc dicit ad differentiam rerum corporalium: subiungit: « utendi fruendi », ut propter hoc differat a dominio et obligatione et accione et ceteris. Nam quis potest habere dominium et cetera, et non habebit ius utendi fruendi. Quia in rem propriam habet quis ius ut possit uti et fructus capere, ideo dixit in « alienis rebus ». Nam res propria nemini servit. Quia colonus, superfitiarius, emphiteoticarius in rebus alienis habent ius utendi et percipiendi et non est ususfructus, ideo subiungit « salva rerum substantia ». Quod verbum, si simpliciter intelligatur, non facit usumfructum differre a ceteris, idest colonia, superficie, emphiteusi; nam et supradicti debent etiam uti salva substantia rei, ideoque necessarium est ut per verbum, idest « salva substantia rei », intelligamus cautiones quas ususfructuarius cogitur facere, scilicet se usurum fructurum arbitratu boni viri; que cautio in testamento etiam remitti non potest, quamvis et hec remitti posset

c. 20, a.

(1) *Cod. laur.* possessori.
(2) *Cod.* i.

(1) *Cod. laur.* prestitit.

Source : BIU Cujas

se restituturum, quas colonus, superficiarius, emphiteticarius facere non cogitur.

Constituitur pactionibus, stipulationibus, iuditio communi dividundo, familie herciscunde, testamento. Est aliquis ususfructus qui lege sola constituitur, quod regulis statutis de usufructu supra diffinito non concluditur, scilicet ut ususfructus quem pater habet in rebus filii, de quo pretereundum puto.

In rebus inmobilibus et mobilibus seu semoventibus constituitur ususfructus, his exceptis que usu consumuntur, ut que in quantitate consistunt, ut in vino et oleo, frumento, peccunia, auro. Nam in his non constituitur ususfructus; sed senatus, duabus cautionibus prestitis, scilicet si mortuus fuerit vel capite minutus se tantam peccuniam restituturum quantam tunc existimate fuerint, constituit quasi usufructum.

Eo modo uti debet ut bonus pater familias. Non tamen cogitur reficere rem etsi indigeat refectione, nisi modica sit refectio. Cogitur etiam sarta tecta, et tributa, et cibaria animalibus prestare sine quibus non possunt vivere, et inpendia etiam valitudinis, et in loco demortuarum arborum vel capitum alia substituere. Quem usumfructum potest vendere, locare; nam cum pretium vel mercedem habet, quamvis emptor, conductor non utatur, tamen ipse ususfructuarius per pretium, vel per mercedem uti videtur. Sic ergo utendo retinet usumfructum, sive per se, sive per alium utatur. Donare etiam potest: non tamen retinet, nisi is cui donatur utatur. Nam ususfructuarius nichil habet quo possit vice ususfructus uti; et merito, nam utendo retinet usumfructum, et potest meliorem causam proprietatis interdum facere: nam non est ei concessum novam rem facere et veterem reformare.

Ne tamen inutiles essent semper proprietates, placuit certis modis extingui usumfructum. Nam extinguitur interitu rei, mutatione, morte usufructuari, nisi persona heredis comprehensa sit: tunc enim una cum primo herede finitur. Capitis diminutione maxima omnimo perit; media similiter nisi per repetitionem sit relictus; minima non perit. Confusione tollitur, veluti si usufructuarius proprietatem acquisierit, nisi duobus relictus sit ususfructus in solidum per singulos annos: tunc enim
c. 20, b. durat ius accrescendi inter eos, quamvis unus acquisierit proprietatem. Igitur non omnimodo consolidatione tollitur ususfructus. *Et hic est casus ubi ususfructus est par dominii; cedendo domino amittitur usufructus.*

Non utendo per X. vel XX. annos amittitur, et non solum ususfructus amittitur sed etiam acciones que dantur de usufructu.

Accio confessoria et negatoria competit de usufructu et personalis similiter. Sed tamen quo tempore tollitur in rem, personalis in rem competit, usufructu tradito, similiter et personalis. Quia iuris traditio non est vera, sed quasi traditio, ideo non contingit liberatio. Nec obloquitur quod dicitur « omnis obligatio tollitur solutione eius que debetur », quum non est hic traditio, sed quasi traditio, quum non tollitur obligatione cum verum sit dumtaxat in traditionibus bonorum, et traditione tali facta. Quo tempore tollitur una, scilicet in rem, et altera, scilicet personalis. Sed si traditio facta non est, etiam personalis durat usque ad XXX. annos; sed secundum Frogerium melius est ut dicamus, ususfructu tradito, liberationem contingere quia solutione eius quod deberetur tollitur obligatio. Sed quod dicitur, personalem obbligationem tolli X. vel XX. annis, non inconveniens est, cum alias invenitur personalem eo tempore tolli (1) quo in rem, velut in actione quod metus causa. Personalis est quod dicitur eo tolli tempore quo in rem. Similiter repetitio hec que perpetua est, sed tamen causa datur adversus possidentem titulo, tollitur eodem tempore quo et in rem. Nam dictum est, « res veniunt in petitione hereditatis, nisi sint deperdite », vel potest dici quod dumtaxat intelligitur de confessoria et negatoria, non etiam de personali: que si tolluntur X. vel XX. annis, non est absurdum. (2)

Habitatio isdem modis constituitur quibus ususfructus, et similiter hisdem modis fere finitur habitatio et usus. Nam non utendo non amittitur habitatio, et capitis diminutione similiter non tollitur. Differunt etiam ab usufructu usus et habitatio; nam usus et habitatio donari non possunt, cum ususfructus donari possit. Conveniunt inter se usus et habitatio, nam quas personas habitator suscipere potest, easdem fere usuarius; nam usuarius seorsum a se locare non potest nec vendere, quamvis habitationem habens possit hec omnia facere. Differt usus et habitatio, nam usuarius morari potest, ut non sit molestus domino, neque his per quos opera rustica fiunt; habitator omnimodo morari potest, etiam sine voluntate domini. Sed si habet usum nudum quis in servo vel in alia re mobili, etiam sine voluntate domini potest uti, unde servitutis ius dicitur; quia si ad libitum domini esset, nulla esset servitus. Similiter quamvis in fundo morari non possit, tamen quia servitus est, potest feno et ceteris que ad cotidianum c. 20, c.
usum spectant, propria domo uti. Differt et usus ab usufructu, nam si quis habet usumfructum in servo, quicquid acquirit ex re sua vel ex operibus suis ei acquirit; usuario non adquirit nisi ex rebus ipsius. Hec pauca sufficiant de usu et habitatione.

XXIII. De servitutibus et aqua.

Tractatus servitutum personarum congruenter expositus est: nunc rationabiliter de servitutibus rerum tractare incipit. Quare videndum est quid sit servitus rei, quis possit constituere, cui debeat constitui, qualiter constituatur vel adquiratur, et constituta qualiter retineatur et quomodo amittatur (3), et que actiones super servitutibus competant. Quia est quedam servitus que habet specialem naturam, ut aqueductus, ideo subiungit de aqua.

(1) *Cod. add.* de.
(2) *Cod. post* absurdum *add.* b. (Bulgarus?)
(3) *Cod. ut saepe alias* admittatur.

Source : BIU Cujas

Servitus rei est quando res rei servit.

Is potest constituere servitutem qui dominus est totius predii; nam invito sotio, comuni in agro servitus imponi non potest. Ei deberi servitus potest qui est dominus totius fundi; nam pro parte acquiri non potest. Similiter superfitiarius acquirere potest et superfitiei imponere potest: fructuarius neque adquirere potest neque inponere.

Constituuntur servitutes rerum eo modo quo servitutes personarum.

Adquiruntur etiam tempore quod excedit hominum memoriam; nam longo tempore X. vel XX. annorum non queruntur, exceptis quibusdam servitutibus. Quarum servitutum fit talis divisio, quod alie sunt que habent solummodo perpetuam causam, quia perpetuo his uti possumus, ut via, iter, actus etc. et hee ex tempore XX. annorum non queruntur; alie sunt que habent naturalem et perpetuam causam, ut acqueductus et stillicidium; alie sunt que habent impositivam et continuam ut si quis immittat trabem in domum alienam. Hec quidam servitutes, que habent naturalem et perpetuam vel impositivam et continuam, adquiruntur tempore X. annorum vel XX.

Retinetur servitus utendo, sive utatur per se sive per alium; sed si non poterit uti iusta causa impeditus, ut dicitur de eo qui habet ius ducendi acquam, sed siccitate agrorum ducere non potest aquam, restituitur ut ducere possit.

Amittuntur tempore X. nel XX. annorum si rei private debeantur. Nam iter sepulcro debitum tempore non amittitur. Sed aliter in servitutibus urbanis, aliter in servitute rustica. Nam servitutes prediorum urbanorum non amittuntur, nisi ab eo qui debet servitutem aliquid factum sit contra veterem formam, veluti obturando fo-
c. 20, d. ramina, altius edificando: tunc enim acquirit tempore libertatem; servitus prediorum rusticorum, hoc ipso quod non est usus, tempore amittitur. Amittuntur etiam confusione, interitu ipsius rei.

Confessorie acciones et negatorie prodite sunt nomine harum servitutum: confessoria ei, qui dominus est fundi cui debetur servitus, competit, negatoria domino fundi, qui negat deberi servitutem, competit. Similiter superfitiario competunt hec actiones.

XXIIII. De lege Aquilia.

Quia cum agitur in rem habetur ratio damni dati, quod dampnum non solum in supradictis actionibus consequi possumus officio iudicis, sed etiam per specialem actionem que prodita est nomine dampni dati, ut lex Aquilia, dicendum est igitur de lege Aquilia, qua lege, dampnum datum iniuria punitur. Quod dampnum multis modis dicitur dari; nam res interdum consumitur facto alterius, ut comburendo; quandoque diminuitur, ut frangendo, corrumpendo; quandoque res ipsa in se nichil patitur, sed bonitas eius diminuitur, et hoc contingit separatione, vel coniunctione alterius rei: separatione, ut si quis unam ex quadrigis vel unum ex comedis interfecerit, circa bonitatem alterius patior dampnum quamvis corpus neque sit diminutum neque consumatum: coniunctione ut in miscendo lolium frumento. Quandoque patior dampnum non circa rem vel bonitatem rei sed in patrimonio, veluti si quis solvit servum misericordia ductus; quandoque circa rem quam non habeo sed habere spero, ut puta quis interfecit servum institutum heredem: circa hereditatem patior dampnum; et his modis patior dampnum. Iniuria accipitur pro culpa sive in faciendo commissa, sive in omittendo, et sive culpa precedit [1] factum, veluti si quis fecit foveas in via publica et boves mei inciderunt in eas; sive insit facto, ut si medicus male secuit; sive sequatur factum, ut si bene secuit sed male curavit vel curationem dereliquit. Ex hoc dampno culpa dato competit accio legis Aquilie, nisi is qui dampnum dederat iure possit excusari, vel sibi debeat imputari vel alteri sit inputandum. Iure excusatur, veluti si quis servum insidiantem interfecerit; nam quod quis ob tutelam sui corporis fecerit iure fecisse dicitur, vel causa arcendi incendii deposuit edes vicinas, cum certum esset ignem perventurum. Sibi imputatur cum animal sibi debitum post moram interfecit; alteri imputatur, veluti cum putavit arborem, proclamavit congruo tempore: ipse venit, servi mortui sunt, animalia mortua: ei imputandum est quia non curaverit cavere. His rationibus cessantibus, competit accio legis Aquilie de dampno culpa dato. Quare videndum est cui competat directa vel utilis, adversus quem detur directa vel utilis quid in ea veniat, utrum bone fidei an stricti iuris, temporalis an perpetua, persecutoria c. 21, a.
rei an pene. Directa domino competit. Utilis datur usufructuario et omnibus qui habent ius in rem. Similiter libero homini, si membrum iniuria ruptum sit, datur utilis Aquilie accio. Creditori etiam datur utilis, si in rem pignoratam dampnum datum sit. Possessori bone fidei competit in factum. Adversus dampnum dantem competit in factum vel utilis, vel directa, ratione dampni inspecta; quod datur quandoque a corpore in corpus, et tunc tenetur directa; quandoque a non corpore in corpus, veluti si quis induxit animalia ut necarentur fame, et tunc tenetur utili; quandoque a non corpore in non corpus, veluti si quis ductus misericordia solverit servum: tunc datur in factum. Sed et si quis dampnum non dedit, iussit autem alium dare, tenetur lege Aquilia. Sed et si occasionem dampni dedit, tenetur in factum, veluti si quis panno rubro fugavit armentum sine dolo.

Quid venit in hac accione: restitutio dampni dati circa rem, et etiam estimatio causarum corpori coherentium, veluti si quis unum ex comedis interfecerit, extimabitur quanti depretiatus est alter; vel si quis interfecit servum institutum heredem, extimabitur hereditas. Sed extimatio ipsarum rerum in quibus dampnum datum est communi extimatione spectatur, non ex affectione

---

[1] *Cod.* procedit.

Source : BIU Cujas

eius cui datum est damnum consideratur, veluti si servum naturalem filium interfecisti, non extimabitur mea affectio. Interesse etiam venit in hac accione, veluti si in rem pignori datam sit dampnum datum, ut creditori, quatenus interest eius, competit legis Aquilie accio infra filium debitori. In hac accione venit dolus, culpa lata et levissima: stricti iuris est, perpetua est, persecutoria rei et pene. Nam si ex primo capite legis Aquilie agatur, veluti de homine et quadrupede occiso que numero pecudum continentur, quanti plurimi retro infra annum fuerit, prestabitur, etsi nunc minimi pretii sit. Si ex tertio, quanti plurimi fuit intra dies XXX. Concluditur ergo quod dampnum et nomine pene consequor aliquid. Similiter si infitiatur et probatum fuerit, condempnabitur in duplum; si confiteatur, in simplum, extimatione simpli habita. Ut supra ergo expositum est, penalis est, sive agatur in duplum, sive agatur in simplum; unde merito heredibus competit, sed in heredes non datur, nisi ex dampno dato locupletiores sunt. Sed si non fuerit probatum dampnum datum esse, sed sacramento illato fuerit iuratum, non agetur in duplum. Satis enim fuit exhonerare petitorem honere probationis, ut Dig. de iureiurando., l. eum qui.

XXV. Familie herciscunde.

Tractavit de petitoriis iuditiis, tractat nunc de divi-
c. 21, b. soriis. Sed quia iuditium quo dividimus universitatem dignius est quam quo dividimus rem singularem, tractat de iuditio familie erciscunde quo dividitur universitas: sic dicit de actione familie erciscunde. Quare videndum est quid significatur hoc nomine familie erciscunde. Quamvis enim diversis modis aliter nomen familie accipitur, tamen hic pro familia accipit totam substantiam, idest hereditatem defuncti. « Herciscunde », idest dividunde: sic dicitur familie herciscunde, idest hereditatis dividunde. Unde videndum est cui competat hoc iuditium directum vel utile, adversus quem detur directum vel utile, quid veniat officio iudicis vel iure actionis, utrum sit personalis an in rem an mixta, bone fidei an stricti iuris, temporalis an perpetua.

Directa actio competit heredi ex testamento succedenti vel ab intestato, si non negatur eum heredem esse; nam si negatur: si non possidet, omnimodo probare debet se heredem esse; si possidet, in principali iuditio dirimetur, sive succedat ex lege XII. tabularum, sive ex alia aliqua lege vel senatusconsulto vel constitutione.

Adversus eum datur qui eodem iure succedit.

Utilis competit possessori bonorum et his quibus restituitur hereditas, et filio arrogato in quartam bonorum arrogatoris.

Contra eosdem datur utilis; sed si mixta est successio, pars succedit iure civili, pars iure pretoris. Inter eos datur utilis.

Iure accionis hereditas dividenda venit, sive una sive plures; nam hoc iuditio plures hereditates dividi possunt: sed cum in hereditate res contineantur, que res dividende veniant dicendum est. Res veniunt dividende que sunt in dominio defuncti tempore mortis, et que a defuncto opinione dominii possidebantur, quamvis ab herede non [1] usucapte essent. Item vectigalia vel superfitiaria. Res etiam que debebantur defuncto, tradite tamen sunt heredibus, ad heredem veniunt occasione hereditatis; ea etiam que augent hereditatem, ut fructus et accessiones, veniunt. Hec omnia veniunt, nisi de hereditate subducta sint vel interitu rei, vel usucapione. Personales prestationes veniunt, nam heres tenetur de culpa lata et levi, habet etiam accionem si quid inpendit in hereditate ut heres. Nam si inpendit cum in veritate erat heres, sed non putabat se heredem, cessat directum iuditium, sed tamen dabitur utile. Similiter utile datur si inpendit et redditum est iudicium familie et non est habita ratio inpensarum. Nam de inpensis directo iuditio agi non potest, quia cum semel redditum est amplius reddi non potest, nisi causa cognita, veluti si minor agit, restituitur ut ex integro agat, et ideo quia dictatum est iudicium, et de impensis agi non potest, datur utile. Sed circa impensas hic exaudiendum c. 21, c.
est ut si pro parte fieri poterant, agatur negotiorum gestorum; si non poterant pro parte inpendi, familie erciscunde iudicio agatur, vel iuditio reddito, agatur utili negotiorum gestorum iudicio, ut C. de negotiis gestis., l. III.

Officium iudicis magnum est, nam in hoc iuditio veniunt res adiudicande officio iudicis, idest ut nomina que cum ipso iure sunt divisa, tamen officio iudicis adiudicantur alteri, facta cessione accionum ab aliis coheredibus. Si corporalis res est, sed comode dividi non possit, officio iudicis adiudicanda committitur, coherede condempnato alteri in certam pecuniam, nonnumquam extraneo emptore ad licitationem admisso. Veniunt etiam res destruende officio iudicis, ut mala medicamenta, libri improbate lectionis; veniunt etiam deponende, ut testamenta et cautiones hereditarie. Iubere enim debet iudex apud eum cui maior fidest est deponi, eo prestante cautione ut si res egerit, exhibiturum se aliis instrumenta. Veniunt quedam precipienda, ut legata, fideicominissa relicta uni ex heredibus; dos etiam sue uxoris vel sue nurus quis precipere potest, prestita tamen cautione reliquos heredes se prestaturum indempnes. Amplius etiam extenditur officium iudicis; nam si debeatur aliquid heredibus sub conditione, vel ipsi debeant, iudex iubet cautionem interponi inter eos de dampno et lucro communicando, officio enim suo denegat actionem non conferentibus que conferre debent. Custodit etiam omnimodo volutatem defuncti inter coheredes, dum tamen Falcidia salva sit unicuique heredum. Sed inter filios, licet testamentum non sit perfectum vel codicilli, tamen si huic subiciatur scripture vel ipsius parentis subscriptio vel liberorum, omnimodo custodienda est a iudice talis voluntas. Si vero inter extraneos est, imperfecta voluntas nullius momenti est. Mixta est tam

Source : BIU Cujas

in rem quam in personam, bone fidei est, perpetua est. Et merito bone fidei, cum in suprascriptis etiam officio iudicis usure veniunt. Hoc sciendum est quia lite contestata prohibita est alienatio.

XXVI. Communi dividundo.

Tractatus actionis quo universitas dividitur explicitus est: nunc de natura accionis qua res singularis dividitur edisserendum est. Sic tractat de accione communi dividundo. Quare videndum est cui competat directum iudicium communi dividundo, cui utile, adversus quem detur directum vel utile, quid veniat iure accionis vel officio
c. 21, d. iudicis, utrum in rem an in personam an mixta, an bone fidei, an stricti iuris, temporalis an perpetua.

Directum iuditium ei competit qui habet predium commune cum aliquo, sive in societate, sive quia incidimus in communionem, vel si donata sit, vel pariter duobus legata. Merito ergo inventum est iuditium communi dividundo cum cessat quandoque pro sotio accio.

Utile competit duobus superfitiariis, duobus usufructuariis et creditori et his qui habent agrum vectigalem.

Quid veniat iure actionis: divisio ipsorum corporum venit, ultra non: et hoc iure accionis in rem. Sed quia hec accio in personam est, veniunt personales prestationes, ut puta si dampnum datum est in re comuni, vel si percepit lucrum ex re communi; impense etiam facte in re communi veniunt, et generaliter si dolo vel culpa lata vel levi commissum est in re communi, cogitur prestare. Sed cum inpendo in re communi, aut erro in rem aut in personam; si erro in rem quia putabam propriam cum sit communis, de inpensis nullam accionem habeo, quia neminem obligare volui; sed si possideo, uti possum exceptione doli mali. Similiter is qui a me emptum habet uti potest exceptione. Sed quamvis regulari iure nullam actionem possim intendere, tamen equitate rei inspecta dabitur actio negotiorum gestorum. Sed si in personam error deprehendatur, quia putabam rem habere communem cum alio quam esset, datur accio communi dividundo adhibita quadam distinctione, ut si impense pro parte geri poterant, datur actio negotiorum gestorum; si pro parte fieri non poterant, datur communi dividundo. Sed si occasione rei communis aliquid prestiti, veluti quia noxali iuditio defendi servum, vel conventus de peculio condempnatus sum, si abest, consequar hoc iuditio; si nondum abest, consequar ut caveat se me pro parte indempnem prestaturum. Quandoque ago iudicio communi dividundo non ut dividatur sed ut patiatur me aliquid facere, veluti ut liceat mihi reficere communem partem ad hoc constitutum ut vestibulo vel porticu communi uti liceat.

Officium iudicis est ut, si res commode dividi non possit, uni adiudicetur eo condempnato alteri in certam peccuniam, vel admissa licitatione, pluris offerenti detur, extraneo emptore admisso interdum ad licitationem. Est etiam officium iudicis ut iubeat cavere de evictione rerum adiudicatarum vel divisarum: qua cautione omissa, prescriptis verbis agendum est, quia in dividendo inest permutatio. Sed si res dividi non possit, nec licitari velit, nec adest extraneus licitator, nec communiter velint uti, potest iudex alternis annis usumfructum adiudicare, prestita cautione inter eos quod alter non impendet usum c. 22, a.
alterius anni. Sed in his adiudicationibus contingit ut quis cogatur emere vel vendere, veluti creditor eius egit cum eo cum quo debitor eius habebat rem obligatam pignori communem. Si adiudicata est creditori, debitor cogitur facere emptam, si alii cogitur habere venditam. Est etiam officium iudicis ut usuras ex mora prestare faciat, et cauciones de dampno et lucro quod sperabatur occasione communis rei. In summa sciendum est, colonis, comodatariis, depositariis, iniustis possessoribus hoc iuditium non competere. Mixta est tam in rem quam in personam, bone fidei est, perpetua: a lite contestata proibita est alienatio.

XXVII. Comunia utriusque iudicii.

Unde hoc iudicium et superius iudicium multa habent communia. Nam utrumque iudicium mixtum est, bone fidei, perpetuum; alienatio a lite contestata in utroque prohibita est; uterque partem rei et actoris substinet; permutatio in utroque iudicio est; et sequitur dominii translatio. Ex eodem iudicio titulus usucapiendi acquiritur etsi divisio per penam facta est, idest si res in se iniquitatem habet vel fraudem, idest eo modo divisit, quo nunquam divisurus esset: quod inequaliter factum est reformabitur in melius offitio iudicis.

XXVIII. Finium regundorum.

Tractavit de accionibus divisoriis. Quia sepe contingit inter eos qui diviserunt contemptio finium, ponit iudicium finium regundorum, quo fines reguntur. Quare videndum est cui competat hoc iuditium directum vel utile, quid veniat iure accionis vel officio iudicis, utrum in rem an personam an mixtum, temporale an perpetuum, bone fidei an stricti iuris.

Directum competit vicinis, quorum predia vicina sunt.

Emphyteoticariis, ususfructuariis, creditoribus habentibus predia communia utile competit.

Quid veniat iure accionis: hoc venit ut vicinus prestet vicino quod interest, hoc est si passus sum dampnum quia plus possedisti; fructus etiam post litem perceptos cogitur restituere; et si quid dolo vel culpa commisit, post litem similiter tenetur; et si unus conduxit messorem et prestitit mercedem, potest hoc iudictio partem mercedis recuperare. Et sciendum est in rusticis vel suburbanis hoc iuditium tantum locum habere.

Officium iudicis est ut si velit evidentiori fine agros distingui, possit hoc facere; et quod et unius est, alteri adiudicare, eo in certam pecuniam alteri condempnato.

Source : BIU Cujas

Mixtum est hoc iudicium tam in rem quam in personam, bone fidei est, perpetuum est.

XXVIIII. De consortibus eiusdem litis.

Quia in supradictis iuditiis unus contra plures agit interdum, unde appellantur consortes eiusdem litis, dicit
c. 22, b. de consortibus eiusdem litis. Nam si unus agit contra plures, absentia unius reliqui non possunt excusari; ergo unusquisque pro se respondeat: vel si plures sunt qui possunt agere et unus tantum velit agere, non repellatur quia ceteri absunt; igitur pro parte detur facultas agendi. Unde constat pro parte posse agere et debere respondere. Hoc tamen sciendum est, quia lite contestata a pluribus, unum pro reliquis sine mandato posse agere, facta satisdatione eos habituros rem ratam, vel unum pro pluribus posse respondere, facta satisdatione iudicatum solvi.

Superius tractavit de lege Aquilia per quam legem punitur dampnum; sed quia dampnum datur a libero et a servo, unde noxalis accio prodita est, idcirco tractat de noxalibus accionibus (1).

XXX. De noxalibus accionibus.

Quia in re communi vel propria datur dampnum a servo possidentis rem, nomine cuius servi convenitur possessor noxali accione, ideo subiungit de noxalibus accionibus. Quare videndum est ex quibus causis nascantur noxales acciones, quare dicantur noxales, quo iure prodite sunt, cui competant directe vel utiles, quid veniat in eis, quod sit officium iudicis, utrum sint bone fidei an stricti iuris, temporales an perpetue.

Ex delictis vel quasi competunt acciones noxales.

Noxales ideo dicuntur, quia is qui convenitur potestatem habet vel servum noxe dedere vel dampnum resarcire.

Lege XII (2) tabularum prodite sunt noxales actiones, vel edicto pretoris.

Directa competit ei qui passus est a servo in re propria malefitium. Si autem res non est propria nec quasi propria, sed interest eius alia ratione quia res sit pignori obligata vel bona fide possessa, ei datur utilis.

Adversus eum datur directa qui servum possidet sive bona fide, sive mala fide possideat. Sed si dolo desiit possidere, dolo pro possessione habito, tenetur utili. Similiter si optulit se defensioni cum non possideret, tenetur utili.

Sunt aliqui qui non possunt conveniri, si tamen se defendere velint omnimodo sunt audiendi, ut fructuarius et creditor qui servum pignori obligatum habet. Nam si servus non defendatur a domino vel ab eo qui possidet, tunc fructuario et creditori permittitur defensio.

(1) *Cod. om.* accionibus.
(2) *Cod.* 11, X.

Quid veniat in hac accione: extimatio malefitii venit quanti esset si liber homo dampnum dedisset. Sed ex lege dominus servi accipit facultatem infra quadrimestre tempus post sententiam dedendi servum noxe. Eo noxe dedito, c. 22, c.
fructuariis et creditoribus ab initio nolentibus defendere et litis extimationem prestare, denegatur persecutio, fructuario remoto exceptione, creditore remoto ipso iure. Sed si dominus velit servum vendicare, cum domino absente a creditore vel a fructuario vel ab extraneo esset servus defensus et non noxe deditus, tunc dominus nisi existimationem dampni prestet, removetur exceptione.

Officium iudicis est quod interdum debet absolvere, interdum in solidum condempnare, interdum cum deditione noxe, interdum ut cautionem iubeat facere; quod ut hoc cognosci possit, premittende sunt alique divisiones. Nam cum dominus convenitur, aut confitetur in sua potestate esse, aut negat. Si confiteatur, tunc aut servus est presens aut absens: si servus est presens et nolit defendere, tunc ducendus est servus iussu pretoris, et sit in bonis eius. Si velit defendere, audiendus est. Sed si absens est servus, tunc aut debet promittere in iuditio eum sisti, aut iuditium suscipere. Sed si nolit defendere, compellitur cavere cum primum potuerit se eum exhibiturum: si non faciat, ac si non dederit noxe presentem, punitur. Sed si negat in sua potestate esse, idest facultatem exhibendi habere, tunc cogitur iurare neque in potestate esse, neque dolo fecisse quominus haberet; vel cogitur iuditium suscipere sine noxe deditione, prout actor maluerit. Hec omnia distinguenda sunt ubi domino ignorante a servo datum est dampnum, vel aliud maleficium commissum, vel eo sciente et prohibere nequeunte. Si autem scivit et prohibere potuit, similis est iubenti ut sine noxe deditione conveniatur proprio nomine. Sic ergo iudex quandoque iubet cavere, quandoque in solidum condempnatur, quandoque cum deditione noxe, quandoque absolvit: absolvit, veluti si lite contestata pervenit ad libertatem: tunc si pervenit ad libertatem sine facto domini absolvendus est dominus, et noxalis que esset contra dominum efficietur directa contra servum factum liberum. É converso directa efficietur noxalis, si liber efficiatur servus. Stricti iuris sunt; quandoque sunt temporales, veluti si ex eo delicto agatur cuius accio finitur certo tempore. Si perpetua accio nomine delicti competit, et noxalis erit perpetua.

XXXI. Ad exhibendum.

Tractatus accionum in rem convenienter espositus est. Quia ad exhibendum accio preparatoria est accionibus in rem, interdum etiam accionibus in personam, merito inter tractatum in rem accionum et personalium, ponit ad ex- c. 22, d.
hibendum. Ubi videndum est quid sit exhibere, cui competat ad exhibendum accio, qua ex causa competat, adversus quem detur directa vel utilis accio, quid in ea veniat, quid sit officium iudicis, utrum in rem an in per-

Source : BIU Cujas

sonam an mixta, bone fidei an stricti iuris, temporalis an perpetua.

Exhibere est facere in publico potestatem videndi et tangendi, ut ei qui agit copia sit experiumdi. Sed antequam exhibitio fiat, actor debet dicere signa rei de qua agitur; nam non cogitur probare suam rem, vel sibi debitam, priusquam exhibitio fiat.

Ei competit accio ad exibendum cuius interest iusta et probabili causa, vel quia vendicaturus sit vel optaturus sit servum vel aliam rem, cuius optio relicta sit; vel petiturus sit usumfructum; vel possessionem suam esse contendat. Nam si alias intersit, non peccuniariter sed quia doctior efficeretur, veluti quia interest mea inspicere libros tuos ut doctior fiam, non competit ad exhibendum accio.

Preter hanc causam postulatur exhiibtio quia alias non potest ius suum proponere, vel si potest, eius ius dicitur vacillare nisi exhibitio fiat. Non potest proponere, veluti si gemma inclusa erat in anulo aureo quam venditurus erat, vel optio servorum sit relicta, et ideo postulatur exhibitio ut possit vendicari. Eius ius dicitur vacillare qui vendicat rem, sed probare non potest rem suam esse nisi exhibeatur.

Adversus eum competit directa qui facultatem ostendendi et restituendi habet rem.

Contra eum datur utilis qui dolo desiit habere facultatem restituendi et ostendendi.

Item [1] venit exhibitio simplex interdum; interdum exhibitio cum restitutione: simplex exhibitio, veluti cum vendicaturus sum; exhibitio cum restitione, veluti si navis sua delata sit in agrum alicuius vi fluminis, cogitur eam restituere. Quandoque extimatio rei venit, ut cum quis dolo desiit possidere vel facultatem restituendi habere. Cum res restituitur, fructus et utilitates restituuntur quas habiturus esset actor si tempore litis contestate restituta esset. Et in eadem causa restituenda est, veluti si usucapta est res post litem contestatam, cogitur ita exhibere ac si non esset usucapta, aut die repetita suscipere iuditium. Iuditio suscepto, si pronuntiatum fuerit eam restituere vel exhibere, ibi restituenda est vel exibenda ubi res est, sine dolo et culpa exhibentis vel restituentis. Sed si alibi postuletur, sumptibus petitoris et periculo eius debet exhiberi. Si dolo fecit quominus exhibere possit, actore in litem iurando, estimabitur lis: si autem rem restituat in eadem forma sed deteriorem, cessat ad exhi-
c. 23, a. bendum, et dabitur in factum accio. Si forma immutata est, adhuc competit accio ad exhibendum.

In officio iudicis a lite contestata omnia esse dicuntur.

Personalis est sed inregularis; stricti iuris, cum arbitraria sit; perpetua, non temporalis est; non oritur neque ex contractu, neque ex quasi, neque ex malefitio vel quasi, sed a iure introducta est, ut accio in rem.

[1] *Cod.* Id.

XXXII. De alea et lusu et aleatoribus. De religiosis et sumptibus funerum.

De accionibus in rem que competunt de rebus privatis sive corporalibus dictum est: nunc de accionibus que nobis dantur circa res religiosas dicendum est; quare merito dixit de religiosis. Et quia sumptus fiunt circa res religiosas, nomine quorum datur funeraria, ideo subiungit et de sumptibus funerum. Quia sepe post tristitiam sequitur ludus subiungit « et alee lusu »; vel ideo quia edicto pretoris ita ordine positum fuerat. Cum de accionibus dicendum est, merito de ipsius locis dixit. Unde facienda est divisio locorum; quod quedam sunt pura, quedam sancta, quedam sunt religiosa. Sanctum est quod divina sanctione confirmatum est, ut muri et porte civitatum. Sacrum est quod Deo rite et per pontifices dedicatum est, vel ab eo cui princeps potestatem dedicandi dedit. Religiosus locus dicitur quatenus corpus umatur, si ab eo traditum est corpus humi qui locum religiosum facere potest, unde idem locus diversis nominibus appellatur. Nam cum locus certus destinatus est sepulture, is locus totus sepulcrum appellatur quatinus corpus humi traditur. Religiosus dicitur, si in eodem loco sit edificatum causa memorie. Idem locus monumentum appellatur; si corpus nondum traditum est, cenotaphium dicitur, unde purus locus appellatur; quare purus dicitur quia neque sanctus est. Sed cum locus diversis nominibus appellatur, si quis inferre mortuum eo loco quo ius est inferrendi prohibeatur, datur adversus eum interdictum de mortuo inferendo. Vel si velit edificare sepulcrum, habet interdictum ne vis fiat ei edificanti. Quia inferendo mortuum fiunt sumptus nomine quorum datur funeraria, dicendum est cui competat funeraria, adversus quem datur, quid in ea veniat, utrum sit bone fidei an stricti iuris, temporalis an perpetua.

Hec accio ex bono et equo oritur. Quare ei competit et eius heredibus qui sumptus probabiles in funus alicuius fecit, dignitate, causa, tempore inspecto; et eo animo fecit, quasi repetiturus, nec aliam accionem civilem, honorariam de inpensa habet. Adversus eum datur ad quos c. 23, b.
funus pertinet, idest adversus heredes vel bonorum possessores, vel adversus patrem, vel adversus maritum, si apud eum dos manere debeat, datur, et adversus supradictorum heredes. Id venit quod bona fide impensum est, et eius accessiones, ut puta usure. Sciendum est quod hec accio omnibus personalibus accionibus preferatur etiam ypothecis tacitis competentibus in bonis defuncti; perpetua est, bone fidei.

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

LIBER QUARTUS

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas



I. Explicit tertius; incipit IIII. De rebus creditis et iureiurando.

QUUM accionum in rem tractatus convenienter expositus est atque pertractatus, merito accionum in personam naturam exponere incipit. Sed quia personales acciones quedam sunt ex contractu vel quasi etc., tractat primum de contractibus, unde in titulo ponitur de rebus creditis, idest de contractibus; et merito, nam in omni contractu res dicitur credi. Quare videndum est quid sit res et quid sit credere. Res dicitur ipsum ius incorporale quod vocatur substantia obligationis, idest oportere dare vel facere. Credere est fidem alterius sequi. Merito ergo hec duo iuncta, idest res et credere, significant contractum. Quare videndum est quid sit contractus. Contractus est pactum obligatorium. Cumque tractare debeat de contractibus, quia natura contractus per species tota dignoscitur, tractandum est de ipsis speciebus. Sed antequam ad tractatum personarum accedat, quia in contractibus emergit dubietas facti que deciditur per iusiurandum, a quo iureiurando res dicitur credi, merito subiungit de iureiurando. Quare videndum est quid sit iusiurandum, qua ex causa iuretur, que persona cui persone deferre possit iusiurandum, qua in re iurandum sit, qualiter sit iurandum, quid sit effectus iurisiurandi.

Iusiurandum est affirmatio vel negatio facta, religione adhibita.

Ex hac causa iuratur, quia aut conventio tantum partium precedit, aut partes conveniunt et iudex approbat, aut sola autoritate iudicis iuratur. Unde sequitur talis divisio, quod iusiurandum aliud vocatur voluntarium, quia ex sola voluntate partium descendit; aliud iuditiale, quia ab omnibus partibus iuditii auctoritatem sumit; aliud necessarium quia sola auctoritate iudicis defertur, causa tamen cognita. Et propter hanc causam iuratur ut a lite discedatur.

Hec persone habent potestatem deferendi quibus amministratio concessa est, ut puta tutori, et curatori et procuratori habenti generalem amministrationem, vel aut si id ipsum sit ei mandatum, vel in rem suam datus sit procurator. Similiter quod servus vel filius detulit in re pecculiari conservandum est, si administrationem concessam specialiter habent: pupillo autem vel minori non est permissum sine auctoritate tutoris prosecutoris deferre iusiurandum. c. 23 c.

Omnibus autem personis deferri potest, nulla habita differentia sexus, etatis, conditionis, eo sibi inputaturo qui detulit iusiurandum.

In qua re: in ea re iurandum est que in se habet questionem facti legitimam. Nam in questione iuris non est iurandum si iusiurandum est iuditiale vel necessarium: hoc ideo quia hec duo sacramenta locum probationis optinent. Si autem sacramentum conventionale est, sicuti partes conveniunt, ita iurandum est sive de facto, sive de iure.

Qualiter iurandum est: ita est iurandum ut est delatum, preterquam si delatum est ut per superstitionem iuretur, ut per Apollinem. Sed si delatum est simpliciter ut iuretur, per Deum iurandum est: et hoc quantum ad religionem que sacramento comprehenda est. Similiter quantum ad id quod in sacramento deducitur, ita iurandum est, ut delatum est, nisi varietas rerum vel personarum aliud inducit, veluti si peterem C., quos dicerem me numerasse et te redditurum promisisse, si ita sacramentum deferam, sufficit tibi alterum, idest sacramento numerationem negare. Similiter ratio personarum facit

Source : BIU Cujas

ut aliter iuretur, veluti si libertus detulit patrono ut iuret se non fecisse iniuriam: sufficit si iuraverit se non fecisse atrocem. Et in summa sciendum est iudicem tale sacramentum debere aprobare vel deferre quod ad questionem decidendam possit valere.

Effectus iurisiurandi varius est. Nam si conventionale est sacramentum, optinet vicem transaccionis et vim rei iudicate, et ideo veritati preiudicat nec pretextu periurii retractatur, nisi ex ea controversia iuratum sit que ex testamento oritur: nam si non inspectis verbis testamenti iuratum sit, retractatur sacramentum pretextu periurii. Similiter iuditiale hoc solo modo retractatur. Si est necessarium, ubicumque iudex ductus falsis testibus vel instrumentis, sacramentum detulit, retractatur. Preterea conventionale sacramentum optinet vim novationis, denegationis, solutionis. Parit etiam accionem in factum si informiter est iuratum; si forma adiecta est, utilem ex eo contractu ex quo iuratum est. Si est iuditiale, veluti si pars parti detulit, deferente iurante de calummia, is cui delatum est necesse habet, si veritatem scit iurare vel referre scienti demum veritatem, vel solvere. Sed si referat, is cui relatum est necesse habet subire; alioquin
c. 23, d. ita habendum est ac si illatum esset prestitum. Necessarium non debet referri. Que duo sacramenta, idest iuditiale et necessarium, locum probationis optinent, et ideo si pars parti detulit, eo penitente, permissum est ad aliam speciem probationis convolare; sed postea retro redire non potest ne leges ludibrio sint posite.

II. Si certum petatur.

Inseruit de contractibus ex quibus personales acciones oriuntur. Quia personalium accionum *quedam habent expressam formam personalium accionum*, quedam sunt que non optinent quia non precise intenditur dare facere oportere, tractat primum de his que optinent expressam formam. Ergo merito de conditionibus tractat. Nam condicere est in personam agere, idest precise intendere dare facere oportere. Sed quia conditiones quedam sunt que sumunt nomen a re, quedam a causa; dignior est autem res quam causa, tractat de ea conditione que sumit nomen a re. Quia res alia certa, alia incerta; quia res certa dignior est quam incerta, merito tractat de conditione certi. Sed cum de ipsa conditione dicere debeat, ponit id ipsum quod in conditione venit, idest si certum petatur. Sed quia conditio certi generalis est, idest competit ubi alie conditiones competunt, et ibi ubi nulla alia competit veluti in mutuo, tractat de conditione in ea specie que de mutuo dari dicitur. Sed priusquam de conditione et eius natura dicamus, exponendum est verbum ipsum generale unde condicio nomen sumit, idest certum, et id cuius gratia conditio sola competit, idest mutuum.

Certum est cuius species vel quantitas que in obligatione versatur, aut suo nomine aut ea demonstratione que vice nominis fungitur, qualis quantave sit ostendatur.

Mutuum describitur secundum nomen hoc modo: mutuum est quod ex meo fit tuum; secundum significationem hoc modo: mutuum est cum damus quantitatem, recepturi eandem in genere et non in specie. Quare videndum est in quibus rebus consistat, qualiter contrahatur, quomodo dividatur, quando deficiat, qualiter reconcilietur.

In his rebus consistit mutuum que pondere, numero, mensura consistunt, idest usum negotiandi per ponderationem et numerum et mensuram sui prestant.

Contrahitur re, verbis, contrahitur scriptura. Re: quandoque expressim ut numerando etc.; quandoque per interpretationem, veluti si dedit aurum extimatum vendendum ut pretium retineat in causam mutui. Cum re contrahitur, quandoque pendet et ex post facto confirmatur, veluti si nummi mutuo dati sum tibi ut tunc demum fiant tui cum conditio existit; quandoque re ipsa suspenditur, veluti si heres peccuniam legatam tradidit, legatario repudiante: ab initio credita intelligitur, que tamen pendebat ante repudiationem.

Verbis, veluti si stipulatus sum animo novandi quan- c. 24, a.
titatem mihi dari que ex precedenti causa debebatur, vel ab initio stipulatus sum mihi reddi.

Scriptura, veluti si spe future numerationis cyrographo me obligavi; et stipulatio differt a scriptura, quia stipulatione potest transiri de una obligatione in aliam, sed scriptura mimine.

Quare sequitur tali divisio, quod mutuum aliud naturale, aliud civile; aliud contrahitur per scripturam, aliud per stipulationem.

Deficit mutuum a proprietate sui aut propter rem, aut propter personam, aut propter utrumque.

Propter rem, veluti si pecuniam alienam credidi; propter personam, veluti si is qui dat alienare non potest, vel qui accipit acquirere non potest, veluti si furiosus furioso, vel pupillus crediderit; propter utrumque, ut si pupillus alienam pecuniam credidit.

Reconciliatur stipulatione veluti si credidi peccuniam alienam et stipulatus sum mihi reddi; reconciliatur consumptione, veluti si is qui accepit consumpsit eam, non habita distinctione utrum propter rem aut propter personam deficiat mutuum. Cumque de mutuo et eius natura dictum sit, merito de ipsa conditione dicendum est. Quare videndum est cui competat directa vel utilis, adversus quem detur directa vel utilis; quid veniat in ea iure accionis vel officio iudicis, utrum sit temporalis an perpetua, bone fidei an stricti iuris. Directa ei competit qui numeravit, vel cuius nomine numeratum est; nam singularia precepta sunt in peccunia numerata ut per alium directa accio queratur. Ei competit utilis qui alterius nomine numeravit, cum is cuius nomine numeratum est ratum non habet. Adversus eum datur directa qui susceperit, vel cuius nomine susceptum est. Utilis datur adversus eum qui nomine alterius suscepit, eo non habente ratum cuius nomine suscepta est.

Source : BIU Cujas

Quid venit: id venit in genere quod datum est, eque tamen bonum: nam etsi non sit cautum ut eque bonum reddatur, pro cauto accipiendum est. Sed civiles accessiones non veniunt nisi a lite contestata; nam re constat neminem obligari nisi quatenus accepit.

Officio iudicis veniunt usure a lite contestata. Perpetua est, stricti iuris est. Sed cum conditio certi generalis est, sciendum est condictionem ex omni causa et ex omni contractu vel quasi competere, dum tamen certum sit id quod in obligatione deducitur; unde contingit quod si quis locupletior occasione rei mee factus sit, veluti quia animal legatum mihi vendidit et animal mortuum est, possum condicere pretium; quare condicio certi distat ab omnibus conditionibus quia generalior est, et etiam a triticaria, et cum triticaria competit ubicumque certum de-
c. 24, b. betur, preterquam si peccunia debeatur. Preterea conditio certi differt ab aliis conditionibus quia per alium queritur directa, cum alie per alium non querantur nisi utiles, cum venit in aliis obligationibus; quia sicuti alias plures rei debendi seu contrahendi constituunt, ita in hac conditione sive re obligantur in solidum, sive verbis.

III. De suffragio.

Quia cum petitur aliquid sepe per generalem conditionem petitur, cui petitioni sepe necessarii sunt suffragatores, subiungit de subfragio. Quia suffragatores sponsionem accipiunt ad suffragium prestandum, dicendum est quo iure id quod promissum est exhigere possint, et sciendum est si non fuit stipulatio sed nuda promissio, suffragio prestito, condictione ex lege agere possunt si id quod promissum est mobile est; alioquin si predium est, oportet per scriptam promissionem comprehendi, et gesta testentur rem completam fuisse. Sic ex eo pacto oriatur obligatio et traditione sequatur dominii translatio; alioquin qui sua auctoritate invasit quod petere [1] debuisset, id admittat.

IIII. De inhibita sequestratione pecunie.

Quia cum peccunia petebatur necessarium erat sequestrari, unde contingebat quod necesse habebat res proprias vendere, dicit de prohibita sequestratione. Nam oportet primo debitorem convinci et sic ad solutionem coartari.

V. De conditione indebiti.

Cum eius conditionis que a re sumit nomen tractatus convenienter expositus sit, merito illarum condicionum que a causa nomen sumunt naturam exponere incipit, sive sumant nomen a causa prestita, sive a futura; et ratio est quia a causa et non a re, superior vero a re et non a causa. Nam in superiori inspicitur res que in obligatione vertitur utrum sit certa, vel non; causa vero non ispicitur ex qua debetur, dum tamen debita sit. E contrario in his conditionibus non inspicitur res que in obligatione est, sed causa ob quam datum est, utrum causa inducat debitum vel non, vel sit secuta vel non, vel sit turpis vel honesta, vel nulla. Sed conditiones que sumunt nomen a causa, quedam sunt que a preterita causa, quedam que a futura nomen sumunt, et quia preterita causa rectior est quam futura, tractat de conditione indebiti que trahit nomen a causa preterita. Quare videndum est quot modis dicatur indebitum, qua ex causa
indebitum repetatur. Indebitum dicitur utroque iure, idest c. 24, c.
quod neque debetur iure naturali vel iure civili. Indebitum dicitur iure naturali sed debitum iure civili, ut puta qui spe future munerationis se scriptura obliget; is si solvat quacumque ingnorantia iuris vel facti, repetere potest. Similiter si ab initio fuit debitum iure naturali; quacumque ingnorantia solvit, repetere potest, ut puta: credidi peccuniam et numeravi, et postea pepigi ne peterem; naturalis obligatio ipso iure tollitur et durat civilis quia vinculum equitatis quo sustinebatur civilis equitate pacti dissolvitur. Unde dictum est: qui tutus perpetua exceptione solvit, repetere potest. Quare facienda est talis divisio, quod exceptio alia descendit ex equitate iuris naturalis, ut puta pacti et doli et quod metus causa; nam pretor equitate naturali motus invenit suas exceptiones: et hic quacumque ignorantia solvat repetere potest; alia descendit ex equitate iuris civilis: quod ius civile aut invenit exceptionem favore, ut puta senatusconsulto Velleiano, et hic si solvatur ignorantia iuris, repeti potest; aut odio, ut puta Macedoniano senatusconsulto, et hic si solvatur, cessat repetitio; aut ad conservandum iuris rigorem, ut puta exceptio rei iudicate, et hic si solvatur repeti non potest; nam in his duabus exceptionibus obstat naturale debitum. Indebitum etiam dicitur iure civili sed debitum iure naturali; quod indebitum sola ignorantia facti repetitur.

Cause hee sunt que inducunt repetitionem: ignorantia, error, veluti qui mente titubante solvit. Interdum etiam persona, ut si pupillus debeat sub conditione certa vel ex die certa. Nam quamvis quilibet maior solvens repetere non posset, tamen pupillus repetere potest. Sed si esset adultus, eo officio iudicis restituto, daretur conditio indebiti.

Causis cognitis ex quibus indebitum repetitur, de ipsa conditione que de indebito datur rationabiliter est dicendum.

Ubi videndum est cui competat directa condicio vel utilis, quid veniat iure accionis vel officio iudicis, et que cause obstent conditioni ne repetatur, et an sit bone fidei an stricti iuris, temporalis an perpetua.

Ei competit directa qui solvit vel cuius nomine solutum est et heredi eius.

Utilis competit ei qui alieno nomine solvit, eo habente ratum cuius nomine solutum est, et heredi eius. Similiter

[1] *Cod. add.* non.

Source : BIU Cujas

si heres institutus solvat legata vel fideicommissa, et postea rumpatur testamentum, heredi venienti ab intestato
c. 24, d. competit utilis; nam non est novum ut quod alius solvit, alius repetat; et sciendum est quod omnimodo exhigitur ut is cui solvit indebitum quantum ad se solvat. Nam si is qui solvit indebitum, solvit suo nomine, quamvis is qui accipit, debitum accipiat, repetitio competit. Adversus eum competit directa qui accepit, vel cuius nomine susceptum est. Utilis adversus eum qui nomine alterius suscepit, cum is ratum non habeat cuius nomine suscepit, et contra heredem eius; vel etiam si putem in rem suam factum procuratorem, datur adversus eum utilis conditio indebiti. Quare facienda est talis divisio: cum quis solvit procuratori: aut vero, aut falso. Si vero solvit procuratori: aut debitum, aut indebitum. Si debitum, statim liberatur; si indebitum, contra dominum datur condicio indebiti, vel contra ipsum procuratorem utilis, domino non ratum habente. Nam cum verus fuit procurator, nullam affectionem habuit faciendi furti. Si falso: si indebitum solvit, contra ipsum datur conditio indebiti, eo non fatente ratum cuius nomine susceptum est; cum is qui dicebat se procuratorem, volens alii gerere negotium suscepit, si volens facere lucrum suscepit, tenetur furti. Si debitum solvit falso procuratori, aut liberatur, aut non. Si iusta ignorantia ductus solvit, liberatur, veluti si iussit debitorem creditor Titio solvere, et postea vetuit Titium accipere ingnorante debitore: tum debitor liberatur et procurator creditori furti tenetur, et ipsi creditori competit conditio furtiva. Nam qui prohibitus accepit, nulla affectione a delicto excusatur, quum cogitur creditori cedere si vult ab eo se defendere. Si sine iusta causa solvit, non liberatur, et tunc is qui solvit aut solum ea mente ut pecuniam eius faceret et se liberatum ipsa solutione crederet, aut se liberandum speraret: tunc datur aut conditio indebiti, aut ob causam. Cum credit se liberatum, competit conditio indebiti, veluti si putat procuratorem in rem suam factum. Si putavit illum procuratorem simpliciter, et hac lege dedit ut se liberaret, datur conditio ob causam datorum; aut hac mente solvit ut non eius faceret sed ad creditorem ferret, si is in lucrum suum convertit, furti et conditione furtiva tenetur debitori.

Quid veniat: id venit in condictione quid perfectum est expressim vel per interpretationem, ut si corpus aliquid, vel ius, vel possessio soluta fuit, repetatur. Si autem tale aliquid solutum sit, quod id ipsum repeti non possit, ut opere fabriles, extimatio repetatur. Et non solum id repetitur, sed etiam eius gratia aliud, ut puta: solvi possessionem indebitam et is adquisivit dominium tempore,
c. 25, a. vel tradidi proprietatem nudam, crevit usumfructum, vel dolo vel culpa species interempta est, extimatio repetitur. Veniunt etiam accessiones naturales; civiles etiam, ut usure, a lite demum contestata veniunt officio iudicis.

Que cause impediant: hec cause obstant repetitioni, ut puta scientia; nam qui sciens indebitum solvit non repetit nisi ratione minoris etatis adiuvetur. Similiter res iudicata obstat; nam res iudicata veritati preiudicat; transaccio quoque impedit repetitionem, nisi per calumpniam extorta sit vel nisi super testamento facta sit, non inspectis verbis testamenti. Similiter iusiurandum impedit restitutionem; nam veritati preiudicat, nisi iuratum sit de controversia habita ex testamento. Item si solutum sit ex ea causa que crescit per infitiationem, cessat repetitio, veluti si solvatur venerabilibus locis cessat repetitio; nam pietas inibet repetitionem. In summa sciendum est hanc conditionem ex bono et equo descendere, et naturalem causam habere; stricti iuris tantum esse; perpetuam esse non temporalem; ex quasi contractu descendere.

VI. De conditione ob causam datorum.

Natura eius conditionis que ob preteritam causam datur exposita est; nunc ingreditur exponere naturam conditionis que ob futuram causam et honestam competit. Unde merito exponit naturam conditionis datorum ob causam. Ubi videndum est que sit causa eius conditionis, quare sibi locum vindicet et ubi vendicat sibi locum et que sunt cause que faciunt cessare condicionem.

Causa hec est, idest defectus cause. Qui contingit tribus modis: idest sive causa non sit secuta quia cessatum est, sive habita pro non secuta ubi ob aliquod inpossibile datum est, vel ut aliquid eveniat datum est quod non evenisse intelligitur. Penitentia facit etiam locum conditioni. Mora etiam non facientis inducit repetitionem. Causa deficere intelligitur, veluti si dedi ut Romam ires et per te stetit. Nam causa non est secuta. Deficit etiam cum datur aliquid ut inpossibile sequatur, veluti dedi avunculo dotem ut me uxorem duceret qui ducere non poterat, nam habetur pro non secuta; vel si eram heres institutus sub hac condicione ut darem X.; dedi X. causa parendi conditioni, postea inventus sum non habere hereditatem aut quia nolui, veluti quia repudiavi, aut quia non potui, veluti quia testamentum pronuntiatum est falsum vel inofficiosum: habetur pro non secuta.

Penitentia inducit conditionem, veluti si dedi ut ires Romam, vel ut servum manumitteres, si penituerit me antequam tu absis, vel antequam manumittas, possum condicere.

Mora etiam facit locum conditioni, veluti si dedi ut servum manumitteres; cum esses in mora manumittendi mortuus est servus, ratione more conpetit repetitio. c. 25, b.

Ibi conditio vendicat sibi locum ubi contractus est innominatus, vel nominatus et noviter introductus, sed variis rationibus; nam in contractibus innominatis, veluti si dedi ut dares vel ut faceres omnibus supradictis rationibus competit repetitio. Si est contractus nominatus et novus, veluti donatio; si ipsa donatio est mixta cum negotio, veluti si donavi ut aliquid faceres, si cessasti facere competit repetitio; si peniteo, non competit repetitio. Similiter si donavi ut aliquid impossibile faceres, cessat repetitio; sic ergo sola ratione cessationis competit in donatione repetitio.

Source : BIU Cujas

Cause sunt que faciunt cessare condicionem, veluti si causa est secuta vel habita pro secuta, veluti si velles facere et casu impediaris, nam habetur pro secuta; et ideo cessat repetitio nisi peniteam. Nam quamvis cessationis ratione non competit repetitio, tamen ratione penitentie competit, si talis contractus inest ubi penitentia sibi locum vindicat.

Causis expositis propter quas datur condicio, de ipsa conditione dicendum est, cui competit conditio, adversus quem datur, quid in ea veniat iure accionis vel officio iudicis, utrum temporalis an perpetua, bone fidei an stricti iuris.

Ei competit directa qui dedit vel heredi eius, vel cuius nomine datum est. Utilis ei datur qui nomine alterius dedit, eo non habente ratum cuius nomine datum datum est. adversus eum qui suscepit, vel cuius nomine susceptum est, vel heredem eius.

Id venit in hac accione quod est datum vel emissum, vel aliud quod succedit loco eius quod datum est, veluti dedi X. ut servum emeres, et antequam emas, peniteo: id ipsum repetam, vel accepto tuli ut expromissorem dares, et cessas dare: agam ut liberationem petas, idest ut ex integro obligeris tantumdem; veluti donavi ea lege ne alienares: vendidisti et tradidisti, sive de iure nulla fuit alienatio, ut esset si in traditione lex imposita fuisset, quia de facto tantum alienavit; contra emptorem non datur accio, sed ab ipso qui contra legem facit repetitur estimatio; sive iure valuit alienatio, quia lex imposita fuit in contractu sed in traditione omissa, competit ipsius estimationis ab ipso qui alienavit repetitio. Aliud venit, veluti dedi X. ut servum emeres et manumitteres: emisti, ante manumissionem peniteo, servum ipsum repetam; vel manumisisti post penitentiam, extimationem condicam. Et non solum res ipsa venit, sed etiam accessiones naturales veniunt: civiles, ut usure, non veniunt, nisi a lite contestata. Ex omnibus ergo supradictis colligitur: si causa sit secuta vel pro secuta habita,
c. 25, c. cessat repetitio, ea ratione quia cessatum est; habita est pro secuta, ubi casu impeditus fuit facere quod debuit facere, nisi penitentia vel mora interdum inducat repetitionem. Similiter in contrarium, si causa non est secuta vel habita pro non secuta, competit repetitio, si causa nominatim est expressa; alioquin non datur repetitio.

Officium iudicis est ut usure interdum veniant. Perpetua est, stricti iuris est, ex quasi contractu descendit, interdum ex contractu, ut in donatione.

VII. De conditione ob turpem causam.

De ea conditione que ob futuram et honestam causam datur dictum est: nunc de ea conditione que ob futuram causam et turpem datur dicendum est. Et merito; nam supradicta condicio causa non secuta competit; hec autem, sive causa sit secuta sive non, competit, dumtamen a parte dantis turpitudo absit. Quare inspiciendum est, cum turpitudo in causa vertitur, utrum ex parte dantis vel accipientis vel utriusque versatur, et quid iuris sit si ex parte alterutrius versatur. Nam cum turpitudo est ex parte dantis, si solvatur, repetitio cessat; si non est solutum, etsi sit promissum, competit retentio, veluti si dedi meretrici; nam quamvis turpe sit meretricium gerere, tamen cum sit meretrix, honestum est ei ob tale eius officium accipere. Idem iuris est si ex parte utriusque sit turpitudo, veluti si dedi ut sacrilegium faceres vel ut iudex pro me iudicaret; nam uterque turpiter facit, et etiam cum iudici datur ut secundum me in bonam causam iudicaret; quia volui eum pacto mihi astringere, turpiter feci, et qui accipit; quare cessat repetitio, et si non solvi, competit retentio; nam in pari causa melior est causa possidentis quam petentis. Plus dixit litem eum qui dedit perdere. Si turpitudo est ex parte accipientis, veluti dedi ne sacrilegium faceret, vel ut pecunia quam abegeras reddas, conditio competit. Sed si deprehensus in adulterio ob redimendum dedi, quia turpitudo utriusque versatur, cessat repetitio quamvis succedat pretoria iurisdictio; potuit enim et non iure occidi. Nam pretor respitiens presentem metum, dedit quod metus causa accionem. Ei competit conditio qui dedit et eius heredi, adversus eum qui accepit et contra eius heredes. Id venit quod datum est et naturales accessiones et civiles a lite contestata. Stricti iuris et perpetua est, ex quasi contractu.

VIII. De conditione furtiva.

De ea condictione que ob turpem causam datur dictum est; nunc de condictione furtiva que causam a turpitudine trahit, idest a furto dicendum est. Ubi videndum est qua ex causa, cui et adversus quem detur, quid in c. 25, d.
ea veniat, quid sid officium iudicis, quibus modis deficiat, an ex contractu vel quasi oriatur, an ex maleficio vel quasi alimentum sumat.

Causam habet scilicet furtum, quare oritur, sed non sufficit furtum esse factum, nisi res ad eum perveniat quare obligatur qui condictione furti tenetur.

Competit domino et eius heredi quamdiu dominium apud eum permanet, sed etsi dominium mutatum sit, in facto domini competit domino condictio furtiva.

Ceteris qui domini non sunt, ut creditori, datur condictio incerti.

Adversus eum qui contratavit et eius heredem competit; adversus alium non datur preterquam adversus patrem vel adversus dominum; nam si servus furtum fecit, condicendus est in peculium: in reliquum dabitur noxe servus. Id venit: furti restitutio ipsorum corporum; si non extant, quanti plurimi fuerint ex quo furtum fuit. Interesse etiam venit, veluti si quis cautionem subripuit, corrupta est cautio, nam per conditionem interesse exigitur. Officium iudicis est servire accioni.

Deficit hec accio si dominium amissum sit facto domini, vel res extincta sit mora purgata. Que purgatur vel oblatione vel novatione.

Source : BIU Cujas

Ex contractu vel quasi non est; nam si ex contractu vel quasi esset, in solidum daretur in pecculium, sed non datur nisi quatenus locupletius est. Item servus noxe non relinqueretur. Ex malefitio vel quasi non est, nam datur contra heredes. Item noxa non sequitur caput, et in pecculium datur. Unde ergo dicendum est quod oritur ex quodam proprio iure. Et merito; nam cum furtum sit, multi sunt qui tenentur furti, ut qui opem et auxilium dederunt, et non condicione furtiva. Non suficit furti eum teneri, nisi ex contratatione teneatur. Utrumque ergo desideratur: ut contractio precedat et ex furto contingat ut condictio competat. Quare quia ex furto furtiva condictio appellatur, stricti iuris est, perpetua est, inregularis. Et merito, nam regulariter traditum est neminem posse condicere rem suam nisi a fure; unde irregularis est.

VIIII. De conditione ex lege.

Quia conditio ex lege inregularis est ut furtiva conditio, subiungit de conditione ex lege, terminos cuius conditionis regula instituta nova lege descriptos esse dicamus. Nam regulariter proditum est quotiens nova lege obligatio nascitur, nec ea lege cavetur quo genere accionis utendum sit, ex lege agendum est, sicuti si veteri lege obligatio introducitur. In factum agendum est; ei conpetit, adversus eum datur, id in ea venit quod illa lege dictum est.

X. De conditione sine causa.

Quia conditio sine causa vel ex iniusta causa similiter
c. 26, a. irregularis est, subiungit de conditione sine causa vel iniusta causa. Quare hanc conditionem in fine posuisset hec est ratio, quod hec conditio generalis est. Nam sicut conditio certi ibi competit ubi alie conditiones, dum tamen certum debeatur, et ibi ubi nulla competit, ideoque generalis est; sic hec conditio conpetit ubi alie et ubi nulla supradictarum competit, ideoque generalis est. Merito ergo in fine posuit ut tractatum omnium condicionum inter duas generales conditiones clauderet. Que conditio datur sine causa ab initio nulla fuit; quare res alterius ad alium pervenit, ut si indebitum solutum sit, vel male fidei possessor percepit fructus, vel si putans rem sibi legatam, cum esset alteri legata, eam vendidit et pretium habet, vel causa aliqua fuit, sed redit ad nullam vel iniustam: ad nullam, ut puta si spe future numerationis se cyrographo obligavit sine causa: condicetur cyrographum, vel si se obligavit, et numeratio secuta est, et postea solutio, condicetur cyrographum; ad non iustam, ut puta si commodavi, locavi, et quia culpa amisisti, consecutus extimationem sum, postea inventus sum rem habere, ex iniusta causa condicetur; vel ab initio causa iniusta est, ut si iure improbata est, ut puta ubi donavit uxori, ex iniusta causa condicetur; sed tamen sive nulla sive iniusta, sine causa condicione agi potest. Ei competit conditio, res cuius vel occasione rei eius aliquid sine causa ad alium pervenit, adversus eum ad quem pervenit. Id venit restituendum quod pervenit sive corporale, sive incorporale: si corporale, vel ipsum vel tantundem, habita ratione fructuum; si incorporale, ut obligatio, incerti vel sine causa conditione consequi potest ut liberetur.

XI. De conditione triticaria.

Est et alia conditio que triticaria dicitur, per quam conditionem omnes res nobis debitas consequi possumus sive sint corporales, sive incorporales, ut puta servitutes, non habita differentia ex qua causa nobis debita sit, excepta peccunia numerata que per hanc condictionem non exigitur.

XII. De obligationibus et accionibus.

Personalium accionum quedam sunt que habent expressam formam personalium accionum, quedam sunt que non habent, ut que interesse continent. Preposuit de his que habent expressam, accedit ad tractatum earum que non habent expressam. Sed in medio proponit tractatum accionum. Sed quia acciones descendunt ex obligationibus, utpote ex preiacenti materia, idcirco primum ponit de obligationibus, secundo de accionibus. Quare videndum est quid sit obligatio, qualiter dividatur obligatio, quia natura obligationis aliter non potest cognosci nisi per descriptionem et divisionem. Similiter de accionibus tra- c. 26, b.
ctandum est, describendo ipsas acciones et dividendo, ostendendo etiam secundum quam naturam tractet hic de accionibus et obligationibus.

Obbligatio sic describitur: obligatio est vinculum iuris quo necessitate astringimur solvende alicuius rei gratia, secundum iura nostre civitatis. Vinculum iuris accipitur sive naturale, sive civile, idest nam etsi tibi dono equum, naturali ratione teneris ad remunerationem: civili iure obligamur quando talis orta est obligatio ex qua nascitur accio. Hoc verbum necesse potest intelligi secundum naturam utriusque iuris, civilis vel naturalis; sed quia hoc verbum necesse determinatur, per sequentia: « secundum iura civitatis », intelligendum est hic obligationem naturalem et approbatam a iure civili vel inventam a iure civili ex qua oritur accio nec exceptione elidatur. Unde sequitur talis divisio: quod obligatio alia naturalis, alia dicitur civilis; civilem vocat et pretoriam propter auctoritatem, sive iure civili sit inventa, sive approbata. Sequitur etiam talis divisio secundum id ex quo sumitur obligatio, cum dicit: obligationes aut nascuntur ex contractu vel quasi, secundum materiam, vel ex malefitio vel quasi vel ex proprio quodam iure. Sequitur subdivisio: quod obligationes que sunt ex contractu secundum substantiale esse aut re, aut verbis, aut litteris, aut con-

Source : BIU Cujas

sensu contrahuntur; unde intelligitur quod cum obligamur aut volutate propria, ut cum contrahimus, aut ex bono et equo, idest cum lex introducit obligationem ac si contraxisset, veluti in gestione negotiorum et similibus; aut obligamur circa propriam voluntatem, ut cum delinquimus vel quasi delinquimus; aut necessitate, aut lege, aut iure honorario: necessitate, ut necessarius heres qui sive velit, sive nolit cogitur adire, et sic se honeri hereditario obligare; lege, veluti obtemperando legi, ut agnoscendo voluntatem defuncti, vel faciendo contra legem; iure honorario obligamur ex his que ex Edicto vel magistratu precipiuntur fieri, ut caveri de dampno infecto, vel prohibentur, veluti vocari patronum in ius: nam non est delictum, sed quia facit contra Edictum, ideo obligatur. Natura obligationis breviter est exposita: nunc natura accionis merito ingreditur exponenda. Quare videndum est quid sit accio, qualiter dividatur secundum substantiale esse, secundum qualitates seu accidentia, secundum auctoritatem. Accio est ius: ius dicitur ad differentiam eius accionis que in facto consistit, ut gramaticorum accio. Unde fit talis divisio: accio alia facti, alia iuris. « Perse-
c. 26, c. quendi »: hoc addit ad differentiam ilius iuris per quod nichil persequimur, ut puta obligatio, servitus, dominium etc. « In iuditio »; hoc ad differentiam illius persecutionis que datur nobis extra iudicium, ut puta: habeo ius persequendi latronem extra iuditium, et tale ius non est accio. « Quod sibi debetur »: hoc addit ut excluderet omnes persecutiones quas solo officio iudicis consequimur, ut restitutiones et criminales vindictas que non debentur, sed solo officio iudicis imponuntur. Obicitur quod in hac descriptione non (1) continentur acciones in rem; nam quod meum est, mihi deberi non potest, et potest dici hic describi personales acciones, ut auctoritas dicit. Cum audis acciones in personam, intelligas petitionem, in rem persecutionem, fideicommissa. Vel possumus dicere: hoc verbum « quod sibi debetur » sic intelligi vel ut eius fiat, vel sibi restituatur; ergo acciones in rem continentur in hac descriptione. Quod melius est.

Dividitur accio secundum substantiale esse cum dicitur: accio alia in rem, alia in personam, alia mixta. Et merito; nam substantia accionis est dicere rem suam esse vel quasi suam, vel cum dicit personam obligatam, dicendo oportere dare vel fieri.

Dividitur secundum qualitates, idest secundum formas inseparabiliter coniunctas accioni, cum dicit: accio alia bone fidei, alia stricti iuris.

Dividitur secundum accidentia, ut cum dicitur: accio alia in simplum, vel duplum, vel triplum et in aliis similibus.

Dividitur secundum auctoritatem, et cum dicitur: alia civilis, alia pretoria.

Visa descriptione et divisionibus, videndum est secundum quam naturam tractat hic de actionibus. Tractat enim secundum hoc quod dantur directe vel utiles: directa dicitur que ex verbis et sententia legis descendit, ut cum soli domino datur accio in rem, ei qui contraxit directa datur in personam; utilis, que ex interpretatione legis et non ex verbis descendit, ut puta superfitiario datur utilis in rem, et similibus. Utilis etiam dicitur que datur quando deficit ius civile pro se et secundum suam interpretationem, et succedit ius pretorium, et datur accio, ut puta publitiana. Similiter personalis utilis dicitur dari, cum alii datur quam ei (1) qui contraxit interpretatione legis, ut puta ei qui emit accionem, vel cum data est, et ceteris similibus, et generalitater quibuscumque datur ex interpretatione sola. Utilis dicitur dari, nec credo distinguendum sive quis acquisivit accionem, contractu nominato intercedente, in eum qui acquisivit et qui cessit accionem, vel innominato. Sed ut natura utilium et directarum accionum possis intelligere, inspiciendo naturam cuiusque tituli poteris cognoscere.

(1) *Cod. om.* non.

XIII. Ut acciones ab herede et contra heredem incipiant.

Cum de accionibus dictum est, quia traditum fuerat ab heredibus acciones incipere, et contra heredes incipere non posse, dicendum est contractus post mortem conceptos ab heredibus et contra heredes incipere. c. 26, d.

XIIII. Ne uxor pro marito, vel maritus pro uxore, vel mater pro filio conveniatur.

Quia acciones dabantur contra heredes, unde credebatur quod propter coniuntionem persone vel uxor pro marito, vel maritus pro uxore, vel mater pro filio conveniretur, removet ne alter pro altero conveniatur. Quia similiter dubitatur an filius pro pater, vel pater pro filio emancipato, an libertus pro patrono, hoc idem removet ne alter pro altero conveniatur. Et generalitater traditum est neminem ex alterius contractu iure civili et directo conveniri posse, excepta datione mutui cum peccunia numerata sit nomine alterius, ut si exegit aliam pro alio secundum formam pignorationis id ipsum inde passo, reddat in quadruplum, nec non accio pro qua talia presumit cadat.

XV. An servus ex suo facto post manumissionem teneatur.

Quando idem pro altero conveniri non potest dictum est: nunc quando idem pro suo contractu conveniri non possit dicendum est. Nam servus ex suo contractu post manumissionem conveniri non potest. Nam ex ante gesto servus non convenitur nisi ob libertatem pactus est peccuniam dare; nam iniquum est et pretio et re dominum

(1) *Cod. om.* ei.

Source : BIU Cujas

carere: et ideo in factum datur domino. Interdum etiam ex ante gesto convenitur, veluti si rationes dominicas gesserat et libertatem in testamento accepit quod inofficiosum dicitur. Si favore legis vel libertatis, nondum finita causa, ad libertatem pervenit, cogitur rationes reddere conditione ex lege contra manumissum proposita. Alias siquidem in servitute gerat, eo facto libero, non cogitur rationem reddere, nisi forsitan quid gesserat in servitute et libertate quod ita coniuntum est ut dubitetur quid gessit in servitute et libertate: separandum est officio iudicis ut de eo condempnetur quod gessit in libertate et de eo quod in servitute, quamvis dolo malo gessit, absolvatur. Hoc distinguitur sive contrahant servi vel quasi contrahant. Si enim delinquunt vel quasi, servis pervenientibus ad libertatem, convenientur noxali facta directa. Tamen sciendum est ex nullo civili iuditio servum conveniri posse, quamvis ex criminali possit.

XVI. Quando fiscus vel privatus debitorem sui debitoris convenire possit.

Ostensum est quando idem ex suo contractu conveniri non potest; quia quandoque contingit quod alter ex contractu alterius convenitur, dicendum est quando fiscus vel privatus debitorem sui debitoris convenire possit. Nam fiscus vel privatus si missus est in possessionem bonorum debitoris, debitore condempnato, et nichil est corporale unde satisfieri possit, vel si est aliquid corporale, non est sine controversia, tunc, quasi iure pretorii pignoris, potest fiscus vel privatus convenire sui debitoris debitorem, si debitores non infitiantur debitum; sed si debitor non-
c. 27, a. dum est condempnatus, sed latitet, et creditoribus respondere non est paratus, tunc etiam officio iudicis potest mitti in possessionem bonorum tam corporalium quam incorporalium, et tunc similiter potest convenire debitorem sui debitoris utili actione. Sed si fiscus non est missus in possessionem bonorum debitoris, tamen quia privilegio fisci omnia bona contrahentis cum fisco tacite sunt obligata pignori, potest utili actione conveniri debitor debitoris.

XVII. De accionibus hereditariis.

Dictum est quando utili accione alter ex contractu alterius conveniatur: nunc quando directo iure alter ex contractu alterius conveniatur; merito ergo de hereditariis accionibus dicendum est; nam hereditarie acciones dicuntur que heredibus et contra heredes dantur sive iure civili, sive pretorio succedant. Et sciendum est lege XII tabularum acciones ipso iure esse divisas, et pro hereditaria portione heredibus et contra heredes competere sive personales sint, sive in rem, excepta ypotecaria accione que in solidum pignoris competit heredi quamvis non possit personaliter agere nisi pro parte. Et contra possidentem in solidum competit quamvis pro parte sit heres. Circa personales in rem acciones hoc aliud excipitur: nam si talis res debita sit que pro parte prestari non possit, ut puta via iter et actus, unusquisque heres, sive personaliter agat, sive in rem, in solidum agit, et omnes heredes in solidum obligantur. Sed si decessor debeat aliquid heredi, pro ea parte qua succedit confunditur actio: pro reliquis datur contra heredes, nisi iussit pro portione hereditaria esse contentum debito.

XVIII. Ex delictis defunctorum in quantum heredes conveniantur.

Dictum est heredem ex facto defuncti conveniri posse; et quia quandoque heres ex facto defuncti non convenitur, dicendum est ex delictis defunctorum heredes non teneri. Quod sic exaudiendum est: si delictum in contractu commissum est vel quasi, omnimodo heredes conveniantur; sin autem solummodo delictum inest, heredes non tenentur nisi in quantum ad eos pervenit. Nam non debent ex alieno scelere citari. Hoc verum est, nisi sit lis [1] constata cum defuncto, vel unus conventus sit: tunc enim conveniuntur beredes, etsi nichil ad eos pervenit.

XVIIII. De constituta peccunia.

Dictum est alterum ex alterius contractu iure civili conveniri non posse, nisi iure successionis contra eum dentur acciones.

Videndum est nunc quando iure pretorio alter ex contractu alterius, iure successionis cessante, conveniatur; merito ergo de constituta peccunia subiungit. Unde videndum est qualiter constitutio fiat, quod debitum constitui possit, pro quo quis constituere se possit, cui consti- c. 27, b.
tuendum est, quis sit effectus constitutionis. Constitutio enim solo pacto fit: pretor inspitiens naturalem equitatem, contra eum qui pacto solo se constituit soluturum accionem dedit. Unde dictum est quod inutiliter stipulatur qui non animo constituendi, sed promittendi verba fecit: nec valet constitutionis iure neque stipulationis. Id constituitur quod debetur, sive id sive aliud; nam placuit rem pro se posse solvi: merito ergo aliud pro debito constitui.

Id debitum constituitur quod est naturale vel civile, vel pretorium; sed si est debitum iure civili, non etiam iure pretorio, et id per exceptionem eliditur; nam constituitur, nec distinguitur an pure vel in diem vel sub condictione debeatur, nec que res constituitur; nam appellatione peccunie omnes res continentur.

Pro eo quis constituit quod debet civili vel naturali iure vel pretorio iure; pro semetipso etiam constituit se soluturum. Et ei constituit cui debetur vel procuratori, vel tutori, vel curatori eius, vel servo, vel filio.

---

(1) *Cod.* litis.

Source : BIU Cujas

Effectus constitutionis est ut accio de constituto, si purum est debitum, statim oriatur; exaccio autem post X. dies celebretur contra eum qui constituit sive pro se sive pro alio, licet post tempus soluturum se constituit; nam si accio temporalis precedit, se autem soluturum post illud tempus constituat, tenetur.

Cui competit, adversus quem detur, quid in ea veniat, quod sit officium iudicis, temporalis an perpetua, bone fidei an stricti iuris sit, videndum est. Ei et heredi eius competit cui constitutum est; competit adversus eum qui constituit et eius heredem; id venit quod constitutum est; officium iudicis est servire accioni; perpetua est, stricti iuris est, pretoria est.

XX. De probationibus.

Cum de accionibus dictum sit, quia sepe dubietas emergit facti que ius accionum vacillare facit, que dubietas probatione tollitur, merito tractat de probationibus. Quia presumptiones interdum vim probationis optinent subiungit de presumptionibus. Videndum est quid sit probatio, quis probare debeat, cui probandum est, quid probari debeat, quibus argumentis.

Probatio est ostensio rei dubie, faciens fidem iudici per argumenta.

Ei incumbit probatio qui dicit, qui factum asseverat ex quo aliquid intendit, vel in pulsando alium, vel se defendendo; non ei incumbit qui simpliciter negat factum. Sed si ius asseverat, veluti si dicat aliquem iure prohibitum patrocinari vel quid simile, debet afferre legem vel constitutionem. Sed si de facto constat, veluti constat
c. 27, c. filium emancipatum, et dicat non iure emancipatum, similiter cogitur probare non iure emancipatum. Et merito dictum est: « ei qui dicit incumbit probatio »; non est dictum: « ei qui agit »; nam actori regulariter incumbit probatio, sed non generaliter; etenim delicto interveniente, vel presumptione hoc faciente, vel ratione personarum hoc inducente, reo incumbit probatio. Delictum transfert probationem, veluti si quis dicat indebitum solvisse, hoc actor cogitur probare, si reus indebitum suscepisse negat; sed si reus negat se peccuniam suscepisse, actor autem probaverit se solvisse, propter delictum infitiationis cogitur reus probare se debitum suscepisse. Presumptio transfert probationem, si ex ea re vel facto presumptio inducatur ex qua intentio actoris tenere videatur; unde dicitur: cum quis vult tutorem unum in solidum convenire, quia alter qui amministravit nunc est non solvendo, intentio actoris tenere videtur, nisi qui convenitur probet eum qui amministravit tempore depositi officii fuisse solvendo.

Ex facto inducitur presumptio, ut dicitur de eo qui in cautione delucide confessus fuit ex certa causa se debere; omnimodo contra eum credendum est, nisi evidentissimis probationibus in scriptis habitis probet indebitum se promisisse.

Persona transfert, veluti si pupillus, si minor, miles agit, cultor, homo gaudens simplicitate dicat indebitum se solvisse: cogitur probare reus se debitum suscepisse. Hec ita si totum quod solutum est indebitum contendat; alioquin cogitur probare se indebitum solvisse. Quare ex supradictis colligitur eandem vim interdum esse presumptionis et probationis.

Iudici probandum est, nam ei fidem facere debemus sive adversarius velit sive nolit, sive sit presens sive absens; nam absente adversario a iudice testes recipi possunt.

Id quod in questione deducitur legitime probari debet, si intentio aliquod aminiculum facit; nam quod in questione lege deduci non potest, ut puta id quod iureiurando decisum est vel sententia vel transaccione, nec id probandum est; vel si id quod in questione deducitur sui natura probari non potest, ut si questio refferatur de magnitudine solis et similibus; sed si id legitimam questionem recipit, probatur.

Questio sic dividitur; quia alia dicitur facti, alia dicitur generis, alia nominis, alia accionis.

Cum queritur utrum sit factum furtum vel non, facti c. 27, d.
est questio; et hec questio testibus et aliis argumentis probatur. Similiter alia facta testibus et instrumentis, de quibus tractare intendit, probantur.

Questio ipsa generis iuris est; nam questio generis est in qua queritur an iuste, vel iniuste sit factum.

Similiter si de nomine queratur, idest (1) quo nomine hoc factum debeat censeri, erit questio iuris.

Questio accionis est ut quo loco quis conveniri, vel apud quem iure hoc explicatur. Unde merito fit talis divisio: quod questio alia facti, alia iuris. Quia ex ipso iure sumitur questio utrum sit bonum et equum annon, merito in divisione adiungitur, quod omnis questio aut facti aut iuris, aut boni aut equi; sed facti questio testibus et instrumentis et inditiis que lege non reprobantur probatur; alie questiones lege vel constitutione vel interpretatione expediuntur.

XXI. De testibus.

Cum de probationibus in genere sit dictum, quia testimonium reddere est species probationis, ideo tractat de testibus. Nam per se sufficiunt ad probationem, et hoc ex eo probatur quia iudici faciunt fidem. Publicum etiam munus est testimonium reddere, quod ratione probari potest, nam sicuti inviti coguntur publica munera subire, quidam enim excusantur, quidam etiam volentes repelluntur, sic quidam ad hoc munus inviti producuntur, quidam excusantur, quidam repelluntur. Nam omnes inviti coguntur, nisi qui ratione certa excusantur vel removentur. Excusantur ratione enim etatis, ut senex; etiam ratione morbi supervenientis, ut valetudinarii; causa

(1) *Cod. om.* idest.

Source : BIU Cujas

etiam dignitatis ut episcopi. Nam nec honore nec legibus episcopus cogitur dicere testimonium. Sed auctoritate legis nove, presente exsecutore vel apparitore iudicis propositis sacrosantis scriptis, dicant que noverint. Item magistratus et milites qui publicis actionibus presunt propter dignitatem excusantur; nam revocandi a signis vel muneribus causa dicendi testimonii non sunt. Sed si presentes sunt et res exigat, testimonium dicant. Idem est in his quibus, cum absint causa rei publice, redire non licet. Sed si consuetudine solitum est aliquos vocari de civitate in aliam civitatem, a iudice sunt vocandi.

Qui removentur: quidam ipso iure, quidam officio iudicis. Ipso iure: aut propter personam, aut propter causam: propter personam, alias ratione sexus, ut mulieres in testamentis, alias ratione etatis, ut pupilli; nam minores
c. 28 a. XX. annis in omni causa si velint audiuntur, sed inviti in criminali non producuntur; alias ratione conditionis, ut servi. Sed si cum crederentur liberi, testationes eorum scripte sunt, et postea probantur servi, perinde est ac si testatio neque esset dicta vel scripta: et hoc lege nova.

Propter causam, ut qui precio redempti sunt, vel qui utrique parti suum auxilium prodiderunt, vel varia testimonia vel falsa dixerunt, vel qui acceperunt ob dicendum testimonium vel non; aut ratione infamie, ut qui locarunt operas suas ad pugnandum cum bestiis, et similibus; aut ratione pietatis, ut pater contra filium et e converso; aut ratione obsequii, ut libertus contra patronum; aut ratione domestice affectionis, nam domesticum testimonium reprobatum est; aut ratione private utilitatis, nam in re propria iura summoverunt facultatem dicendi testimonium; aut ratione advocationis, aut executionis, ut advocati et executores prohibentur in ea causa in qua sunt advocati et executores.

Quidam removentur officio iudicis; nam iudici permissum est deliberare cuius fidei vel dignitatis, an honeste vite vel culpabilis, an locuples an pauper, an gratia lucri, an propter inimicitiam, et an vacillent adversus testationem suam, an dicant eundem et premeditatum sermonem, et an verisimilia dicant, et in summa is qui iudicat magis scire debet quanta fides sit habenda testibus. Quare hii testes solummodo respiciendi sunt qui fidem omni genere proponere possunt et integri status sint: quorum testium maxima est auctoritas eo quia hoc munus reddendi testimonium ei invito iniungitur; unde officium publicum dicitur et eo quia probationis locum obtinent, quia fidem iudici faciunt, et ideo quia sollemnitatis ordinem complent, ut in testamentis; quia testes ad probationem producuntur. Et sciendum est ab adversario testes semel *et bis etc. posse produci, si testes producens eorum editionem non acceperit an non, vel nisi concluserit, vel testes fuerint examinati. His enim non intervenientibus, causa cognita, quarta etiam productio conceditur, prestito sacramento prius, quod dolo percunctatur testationes neque ipse, neque aliquis advocatorum eius*: testibus productis, exibitis, ab eo qui desiderat exhiberi sumptus prestandi sunt. Qui testes, cum audiuntur, debent [1] de facto noviter iurare et de qualitate facti, ut puta si dicant sub sua presentia peccuniam numeratam esse, et in causam mutui vel in aliam debent dicere esse numeratam. Numerus quoque testium: c. 28, b.
si non diffinitus est, duo sufficiunt, nisi magnitudo rei ad plures exhigendos iudicem moveat. Unus tantum non sufficit ut recipiatur ut testis, etsi clarissima persona sit, quamvis interdum loco presumptionis recipiatur. Sed cum persone testium distinguntur supradictis ex causis, sciendum est quod in quibusdam causis omnes recipiuntur ut in crimine maiestatis et periurii, sed non religione sola adhibita, sed tormentis adhibitis: depositiones quorum testium, sive ante iudicem sive ante arbitrum facte sint, nisi false redarguantur, vim probationis optinent.

XXII. De fide instrumentorum et de amissione eorum.

Instrumenta species probationis sunt; quare de his specialiter subiungit. Ubi videndum est quid sit intrumentum et qualiter dividatur, que instrumenta faciunt fidem iudici et ex quibus comparatio fieri possit. Videndum est etiam quando contractus scripturam desiderat.

Instrumentum dicitur omne illud quod causam instruit; sed specialiter tractat de instrumentis scriptura comprehensis.

Quorum instrumentorum fit tali divisio: quod aliud dicitur publicum, aliud privatum; publicum aliud forma et utilitate, ut instrumentum quod per tabellionem conficitur de re publica, ut puta monumenta publica; aliud utilitate publicum, forma privatum, ut puta si quis privatus profiteatur in scripturis se debere censum publicum; aliud utilitate privatum et forma publicum, ut instrumentum quod de re privatorum per tabellionem conficitur, quod forense dicitur, et acta que ante iudicem conficiuntur, ut depositiones testium et alia que in actis ante iudicem reperiuntur; privatum instrumentum dicitur quod utilitate et forma est privatum.

Quorum instrumentorum privatorum quedam sunt que faciunt per se fidem iudici, ut puta cyrographa et apoce et antapoce, et securitates: et hoc ideo quod in proprium preiuditium emissa sunt. Quedam sunt que per se fidem non fatiunt, sed si adiuventur aliis aminiculis ad probationem valent, ut puta domestica instrumenta, idest privata atestatio seu annotatio; unde sequitur quod instrumentum publicum et privatum, que sunt emissa in proprium preiudicium, ad probationem sufficiunt, nisi veritas rei apertissimis documentis rerum possit ostendi aliter quam tenor instrumentorum dicit. Sed si scriptura in se vitiosa videatur, ab eo primum qui protulit fides imponatur. Sed si prima figura sine vitio appareat, ab eo qui falsitatis questionem inducit probatio exigatur. Sed cum de c. 28, c.

---

[1] *Cod. add.* quod.

Source : BIU Cujas

veritate instrumenti queritur, testibus vel depositionibus vel comparatione aliarum litterarum comprobatur.

Quare videndum est ex quibus litteris comparatio fiat et qualiter fiat. Nam fiunt comparationes ex cyrographis si habent subscriptiones trium testium et litteris eorum fides imponatur, vel ipsis testibus hoc deponentibus vel comparatione aliarum litterarum precedente. Fiunt etiam ex forensibus vel publicis instrumentis, vel ex his que ex archivo publico producuntur, ut acta publica; prius tamen eo qui comparationem facit iurante quod neque gratia lucri vel causa inimicitie comparationem facit. Ex apocis vel antapocis comparationem fieri nullo concedimus modo, quamvis in proprium preiuditium emisse sint; nam naturaliter non concedimus fieri comparationem. Apocha dicitur qua creditor scribit se suscepisse usuras, vel dominus seu locator pensiones. Antapocha qua debitor scribit se solvisse usuras vel colonus pensiones.

Quia scriptura sepe in contractibus fit, dicendum est qui contractus desiderant scripturam. Ecce contractus emphiteosis et donatio ultra quingentos solidos et omnes illi in quibus specialiter hoc agitur ut scriptura confitiatur; tunc secundum tenorem legis Iustiniani debent confici. Sed cum omnia instrumenta sepe in iuditio revocantur in dubium, si in priori iuditio questio est habita et fides, amplius causa non retractatur sub pretextu falsi.

XXIII. Plus valere quod agitur quam quod simulate concipitur.

Quia in scriptis sepe aliud agitur et aliud simulatur, unde questio veritatis introducitur, merito subiungit « plus valere etc. ». Que simulatio quandoque fit a persona in personam, veluti si id quod factum erat a se, fecit ut alius scriberet quasi a se gestum; quandoque fit a causa in causam, ut si quis volens donare, scriptum sit eum vendidisse; quandoque a persona in personam et a causa in causam, veluti cum alia persona subicitur et aliud quam gestum sit scribitur. Sed tamen qualitercumque fiat stipulatio, si veritas rei comprobari potest, plus valet quod est in veritate, quam quod scripto comprehensum est.

XXIIII. De comodato.

De accionibus que habent expressam formam personalium accionum, et stricti iuris sunt, dictum est; nunc de his que interesse continent et bone fidei sunt dicendum est. Quia acciones que interesse continent nascuntur ex contractibus qui re contrahuntur, tractat de contractibus qui re contrahuntur. Quia quedam fiunt gratia accipientis
c. 28, d. in quibus maior diligentia exigitur, quidam fiunt gratia dantis, quedam gratia utriusque, ponit de eo contractu qui gratia accipiendis fit, scilicet de commodato. Ubi videndum est quid sit commodatum, que res commodari possit, cui competat accio commodati directa vel utilis, cui competat contraria, adversus quem detur, quid veniat ex natura contractus vel iure accionis vel officio iudicis. Commodatum dicitur commodo utentis datum. Hee res commodari possunt que sunt mobiles vel se moventes, sive consistant in specie vel in quantitate, nam peccunia commodari potest ut dives ostendatur, et etiam incorporales et que soli sunt, ut puta fundus, commodari possunt. Nec distinguitur sive sint proprie, sive sint aliene, nam fur et latro commodare rem potest.

Ei competit qui commodavit et heredi eius directa accio adversus eum qui (1) suscepit commodatum et eius heredem, dum tamen iure civili persona accipientis obligari possit vel interpretatione civilis iuris. Nam servus obligari non potest; tamen interpretatio est iuris: si inveniatur locupletior, tenetur. Utilis accio ei competit cuius nomine commodatum est. Adversus eum datur qui loco heredis est, ut puta adversus bonorum possessorem et adversus eum cui restituitur hereditas. Ex natura contractus venit restitutio rei commodate in qua rationem habetur dampni dati. Nam res non videtur reddita, si deterior reddatur. Veniunt accessiones, ut puta partus ancille. Jure accionis ad interesse condempnatur. Et etiam ea veniunt que neque dicta sunt neque cogitata, ut si ancilla commodata peperit; quamvis de custodia et diligentia partus nichil sit dictum, tamen eandem diligentiam debet prestare circa partum, quantam prestitit circa rem principalem. Item dolus et culpa lata et levis et exactissima diligentia prestatur. Interdum is qui rogavit solum dolum prestat, ut puta si hoc convenit, vel si sua dumtaxat causa commodavit, sponse forte sue vel uxori quo honestius culta duceretur ad se, vel pretor (2) scenice vel ipsi pretori servum commodavit. Casus fortuitus non prestatur nisi pacto speciali suscepit in se periculum, vel in culpa fuit, quare fortuitus casus contingeret, ut puta commodavi equum ad villam causa gestandi: is duxit ad bellum: spectat ad eum periculum. Sed si in hoc commodatus est ut duceret ad bellum, sibi imputare debet qui commodavit. Sed si pactus est ne culpam prestaret, excusatur. Sed si pactus
est ne dolum prestaret, non valet; nam videtur quis c. 29, a.
invitare ad malignandum. Ex supradictis colligitur natura contractus augeri et minui pacto speciali. Officio iudicis omnia veniunt, nam eius officium est contractui et accioni servire. Quedam etiam solo eius officio veniunt, ut puta usure, si est in mora. Defert etiam sacramentum in lite reo dolo non restituenti rem. Si autem culpa, ipsemet extimat. Contraria commodati ei competit qui rogavit adversus eum qui commodavit, sive intempestive revocet rem commodatam et ideo necesse est modum et tempus prescribere ut cognoscatur an premature revocetur, sive aliquid inpendit in re commodata. Si autem dampnum passus est in re commodata, ut puta a servo commodato, si dominus ignoravit (3) eum furem vel alias dampnosum esse, cogitur servum noxe relinquere vel dampnum pre-

(1) *Cod.* quod.
(2) *Cod. bon.* si emptor.
(3) *Cod.* ignorans.

Source : BIU Cujas

stare. Si dominus scivit, de omni detrimento tenetur. Idem esset in vase vitioso commodato, si scisset. Officio iudicis usure veniunt, si est in mora. Perpetue sunt, bone fidei sunt, hec acciones personales sunt.

XXV. De pignoratitia actione.

Dictum est de contractu qui gratia accipientis fit et re contrahitur; ponit de eo contractu qui gratia utriusque fit et re contrahitur; quare de pignoratitia infert. Ubi videndum est cui directa pignoratitia competat, adversus quem detur, quid in ea veniat natura contractus vel iure accionis vel officio iudicis. Directa dicitur duobus modis, nam dicitur directa ad differentiam contrarie, dicitur directa ad differentiam utilis que ex interpretatione descendit. Directa, non contraria competit debitori et eius heredi; datur adversus creditorem et eius heredem; debitori dicitur competere tunc cum debitum est solutum, sive naturaliter solutio facta sit sive civiliter; naturaliter ut numeratione vel pacto, vel iureiurando; nam pacto, iureiurando naturalis obligatio tollitur, quare pignoratitia competit; civiliter, ut depositione et aceptilatione. Competit etiam pignoratitia etiam si alias satisfactum sit creditori. Et generaliter dicendum est: quotiens voluit creditor recedere a pignore, videri sibi satisfactum. Competit etiam pignoratitia si conditio ob quam pignus obligatum est deficit, vel numeratio secuta sit. Sed cum pignoratia dicatur directa et quandoque utilis, videamus cui competat directa, cui utilis. Ei competit directa qui rem propriam vel alienam sed voluntate domini obligavit; utilis ei competit qui rem alienam sine voluntate domini obligavit; nam non est ei facienda questio a creditore quod res non sit eius. Quid veniat ex natura contractus, iure accionis,
c. 29, b. vel officio iudicis videndum est. Ex natura contractus restitutio ipsus rei venit; in qua restitutione fructus veniunt, nisi in debito sunt conpensati. Jure accionis cogitur reddere rationem creditor si culpa vel dolo aliquid commisit lata vel levi. Nam de levissima non tenetur; non enim ad exactissimam diligentiam tenetur creditor, quia qui cogitur prestare exactissimam tenetur de levissima, ut commodatarius. Que culpa ita committi videtur: sive quid fecit quod facere non debuit, sive omisit quod omittere non debuit. Veniunt ea etiam que in conventione deducta sunt, et si venditum sit pignus et aliquid superfluum est apud creditorem, id venit restituendum. Fortuitus casus non venit, nisi vel in pacto convenit, vel in culpa fuit quare fortuitus casus contingeret; interitus etiam rei non prestatur nisi in culpa creditor fuit. Contraria pignoratitia que et ipsa directa dicitur, ad differentiam utilis creditori competit adversus debitorem. Directa datur creditori quando debitor rem propriam pignori dedit, sed creditorem decepit ut subitiendo es pro auro, vel si creditor necessario vel utiliter in rem pignoratam impendit, ut fundum colendo, servos curando. Preterea si cum servum pignori accepit, ei servus aliquid subtraxit, si debitor ignorans furem servum pignori dedit, cogitur aut condempnationes sustinere et prestare aut noxe relinquere. Si sciens pignori dedit, omnimodo cogitur damnum prestare, nisi predixit eum furem esse. Officium iudicis est ut accioni serviat, preterea compensationes inducat, usuras prestare faciat; que acciones perpetue, personales, bone fidei esse dicuntur.

XXVI. De exercitoria vel institoria actione.

De pignoratitia accione que re contrahitur et alii obligationi accedit dictum est; nunc de pretoriis accionibus que accessorie dicuntur dicendum est. Sed quia earum accionum quedam in solidum competunt quedam non in solidum, tractat primum de his que dantur in solidum; sic ergo de exercitoria seu institoria tractat. Ubi videndum est quid sit exercitor et ex contractu cuius teneatur; postea videndum est cui competat exercitoria, adversus quem detur, quid in ea veniat. Exercitor is est ad quem cotidianus questus navis pertinet, idest ad quem obventiones et redditus perveniunt sive dominus navis sit, sive navem per adversionem a domino conducit. Nec multum differt masculus sit an mulier, servus an liber, filiusfamilias an paterfamilias, dum tamen si, pupillus sit, auctoritate tutoris exerceat. Ex contractu magistri teneri dicitur: magister is est cui totius navis anchora mandata
est ab exercitore, vel si magister alium preposuit volun- c. 29, c.
tate vel sine voluntate domini, et is magister dicitur. Nec distinguitur cuius etatis, cuius condictionis sit qui prepositus est, sibi inputaturo eo cur talem preposuit. Exercitoria ei competit qui cum magistro contrahit in eam rem in qua prepositus est, veluti locandis navibus prepositus et in eam contraxit. Nam si alias contrahit, non obligat exercitorem, nam prepositus dat certam contrahentibus legem. Preterea habet accionem directam contra magistrum, si persona talis sit que conveniri possit; nam ex hoc edicto non transfertur actio, sed adicitur. Quare exercitoria datur contra exercitorem, directa contra magistrum. Sed cum datur contra exercitorem, exercitor aut est in potestate aut est sui iuris. Si est in potestate, et voluntate domini vel patris exerceat, dominus vel pater in solidum tenetur, si sine voluntate, de pecculio tenetur. *Preterea exercitor utili conditione tenetur.* Id venit in hac accione quod in directa que datur contra magistrum venire dicitur. sed cum exercitor supradictis accionibus teneatur propter navigantium necessitatem, e converso exercitori subveniendum est extra ordinem adversus contrahentes cum magistro.

Quia institoria utilitate contrahentium inventa est sicut exercitoria, dicit de institoria. Ubi videndum est quis sit institor, cui competat institoria, adversus quem detur, quid in ea veniat. Institor est is qui taberne vel loco ad contrahendum preponitur; et qui sine loco ad eundem

Source : BIU Cujas

actum preponitur institor est. Institoria ei competit qui contraxit cum institore, et in eam rem in qua prepositus est. Nec distinguitur an is qui prepositus est sit liber an servus, minor an maior, masculus an femina, sibi eo imputaturo qui talem preponit, nisi institor palam prohibitus sit ne cum eo contrahat. Palam sic accipimus: eo sciente cum quo exhibitus est contrahere. Ceterum si ignoravit, quia decipi contrahentes ipsa prepositione non debent, habebunt accionem; sed si palam prescriptum est ne cum institutore contraheretur, sibi imputare debent qui contrahunt. Palam sic accipimus, sive latinis litteris sit scriptum sive grecis, secundum morem regionis, ut evidenter appareant.

Adversus eum datur qui preposuit [1], si sui iuris est; si est in potestate et sciente et volente domino vel pater in merce pecculiari aliquem preponat, non tenetur domi-
c. 29, d. nus vel pater institoria in solidum; sed tributoria tenetur: quod aliter in exercitoria se habet. Nam in solidum tenetur. In hac accione id venit quod in principali; preterea si plures exerceant vel taberne preposuerunt, tenentur omnes; sed uno solvente, ceteri liberantur. Perpetue sunt omnes iste acciones, non temporales.

XXVII. De tributoria actione.

Supra natura eius accionis exposita est que datur contra dominum, si liber vel servus in merce dominica negotiatur; nunc ingreditur exponere naturam eius accionis que datur contra dominum si servus in merce peculiari sciente et non contradicente domino negotiatur. Nec exigitur dominum velle, sed sufficit non nolle. Mercem accipimus etsi nichil in peculio sit, quamvis peculium accipiatur id quod superest deducto quod domino debetur. Unde si servus in merce pecculiari negotiatur, dominus tributoria tenetur. Quare videndum est cui competat tributoria, adversus quem detur, quid in ea veniat. Creditori contrahenti cum servo in merce pecculiari competit tributoria. Adversus dominum datur ut pro rata portione merx peculiaris dividatur; nec in ea conditio domini melior quam cuiusquam creditoris erit. Sed si dominus minus tribuit vel dolo quominus tribuere posset fecit, tenetur. Id venit in hac actione, quod in principali veniret si cum libero contractum esset. Et merito pretor hanc accionem invenit, quamvis pretor alias ex contractu eorum qui sunt in potestate proposuisset. Nam expedit potius agi hac interdum quam alia, nam etsi nichil sit in pecculio, hac tamen agitur. Quandoque expedit de pecculio vel de in rem verso potius agi quam tributoria quia merx pecculiaris parva est, pecculium vero magnum, vel multum in rem domini versum: prout ergo expedit, ita est agendum. Sed una electa per alteram agi ex eodem debito non potest; nam ex diversis et una et altera agi potest.

[1] *Cod.* proposuit.

XXVIII. Quod cum eo qui in aliena potestate est negotium gestum esse dicetur.

Dictum est et mentio habita est quarumdam accionum que dantur ex contractibus ipsorum qui in potestate sunt: nunc vero qualiter conveniatur is qui in potestate sit dicendum est; quod cum eo qui in aliena potestate est negotium gestum esse dicetur; et sciendum est proconsulem omnia proinde agere, dum hoc agit ut accio detur contra eum qui in potestate contraxit, quamvis pretorie deficiant. Quare determinandum est quando detur et in quid. Ecce: filiusfamilias gessit (gestum accipimus contractum vel quasi contractum); filio existente in potestate in solidum convenitur, eo liberato a potestate emancipatione, quatenus facere potest convenitur. Sed si morte parentis liberatur a potestate et est exheredatus, nec hereditas ei restituenda est, vel institutus sed ex minima parte, in quantum facere potest convenitur; idest si alia ratione liberatur a potestate, causa tamen cognita, idest si statim ut liberatur, in quantum facere potest: sed post c. 30, a.
annos in solidum. Interdum si exheredatus vel emancipatus sit, in solidum convenitur, ut puta si cum contraheret, mentitus est se patremfamilias esse. Et sciendum est quod hoc benefitium heredi non competit quia personale est. Que omnia locum habent, si non contraxit contra Macedonianum.

XXVIIII. De peculio.

Exposito tractatu earum accionum que in solidum ex contractu eorum qui sunt in potestate contra dominos vel parentes, vel ex contractu aliarum personarum que non sunt in potestate dantur, et qualiter is qui in potestate est conveniatur si personam conveniendi habet; nunc ingreditur de iure ipsius accionis que non semper in solidum datur; quare de accione de pecculio tractat. Ubi videndum est quid sit pecculium et qualiter constituatur, quando deficiat et ex qua causa competat accio de pecculio, et cui detur et adversus quem detur, et quid in ea veniat. Pecculium dicitur quasi pusillum patrimonium, vel describitur sic: pecculium est quod servus separatim a rationibus dominicis permissu domini habet. Constituitur pecculium re, non nuda voluntate, ut puta si dominus de suo velit pecculium constituere, debet res servo tradere; vel cum apud eum essent, pro traditis habere; nec sufficit velle eas in pecculio esse. Quandoque sola voluntate constituitur peculium, veluti si servus vel filius operibus aliquid adquirant vel prospera fortuna: hoc ipso quia patitur dominus vel pater separatum a suis rationibus haberi, constituitur peculium. Hoc ita verum est si ex honesta causa quesitum sit servo; nam quod servus subripuit, non fit pecculium quamvis dominus patiatur esse apud servum. Deficit pecculium seu minuitur cum servus dederit domino dampnum, vel alias obligatus ei esse ceperit, vel res que in peculio sunt pereunt; sicut e contrario

Source : BIU Cujas

crescit si dominus ei obligatus esse ceperit vel quilibet alius, vel res augeantur fructibus vel quibuslibet accessionibus. Preterea, simulatque dominus noluit esse peculium, desinit esse peculium. Ex ea causa competit accio de peculio, ex qua si cum libero gestum sit, datur accio descendens ex contractu vel quasi; nam ex contractu servorum vel filiorum vel quasi competit accio de peculio contra dominum vel patrem; et interdum si sumatur obligatio ex diversis figuris causarum, veluti si servus furtum fecit, in peculio condicendum est quatenus pecculium locupletius est; ex malefitio enim vel quasi nunquam in peculium agendum est, sed si ex causa malefitii filius familias dampnatus sit, actio in factum que oritur ex sententia datur contra patrem in peculio. Ei competit actio de peculio qui cum servo contrahit vel quasi, vel eum obligatum haberet ex diversis causarum figuris ac
c. 30, b. si cum libero contraxisset, vel si filiumfamilias ex his causis obligatum habet. Excipitur si servus pro alio intercessit non in causa peculiari, et si filius accepit mutuam pecuniam contra senatusconsultum Macedonianum. Nam his casibus cessat actio de peculio adversus dominum vel patrem. Hec accio iurisdictione pretoria in pecculium dirigitur, que postea de peculio vocatur. Id venit in hac actione de peculio quod veniret si cum libero contractum esset, si res peculiares ad solidi solutionem sufficiunt. Nam cum ex peculio solvitur, primum deducitur quod domino debetur, vel patri ex quacumque causa debeatur sive ex contractu vel quasi, vel ex malefitio, dum tamen id quod ex malefitio domino abest solummodo deducatur vel quasi. E converso, quod dominus vel pater servo vel filio ex contractu vel quasi debet in peculium computabitur, vel dolo fecit quominus in pecculio esset. Nam si ex causa delicti pater vel dominus debet, hoc in peculio non computabitur. Non enim verisimile est patrem vel dominum id velle esse in peculium quod ex causa delicti debeat. Preterea deducitur quod his personis per eos (1) debetur qui sunt in tutela vel in cura domini vel patris, vel sunt in potestate domini vel patris, ut puta quod cum servo debet vel filio manenti in potestate. Nam siquidem servus vicario suo debeat, non deducitur de peculio ordinarii, sed quod semel re ipsa deductum est amplius non debet deduci; sed si eandem positionem pecculii reliquid, adhuc posset deduci. Quod dictum est dominum posse deducere, ita accipiendum est si aliud de hoc non potuit consequi, ut puta quis vendidit servum cum peculio, et pretium pro peculio accepit, et omnes res peculiares tradidit: si conveniatur, de peculio non deducet quod sibi debetur; potest enim ab emptore vel indebiti conditione vel ex vendito quod plus solvit consequi. Preterea dicendum est dominum posse deducere non solum quod sibi et supradictis debetur, sed etiam quod sotio omnium bonorum debetur. Idem est si non est sotius omnium bonorum; nam qua ratione unus convenitur in solidum, pari ratione deducet solidum, si pecculium commune est. Hec exposita sunt in domino. Nam et qui usumfructum habet et qui bona fide possidet tenetur de peculio, sed deducet solummodo quod sibi debetur, nisi sint duo fructuarii et sotii. In summa si plures sunt qui agunt, occupantis melior erit conditio et perpetuo agent, servis vel filiis manentibus in potestate; liberatis a potestate, infra annum, preterquam si minori tempore vis accionis concludatur, ut redibitoria. Interdum agent qui contraxerunt, nulla deductione facta, veluti si quis commodavit vel deposuit et res ad dominum pervenit; nam in solidum tenentur sive res extat sive dolo domini res desiit esse. Interdum et c. 30, c.
qui contraxerunt non agent de peculio, ut si sint duo domini et alter contrahat; nam inter se communi dividundo vel pro sotio possunt experiri iuditium. Hoc cum in pecculium agitur.

(1) *Cod. om.* eos.

XXX. De in rem verso.

Sed quia quandoque agitur in aliam formam, veluti quia sit versum, dicendum est de in rem verso, adversus quem detur, quid in ea veniat, utrum sit temporalis an perpetua.

Ei competit qui credidit filio vel servo peccuniam, et in rem patris vel domini versa est et duret versa, ut puta filius accepit peccuniam ut sororem dotaret, cuius honus ad patrem spectabat, et in similibus necessariis causis, vel servus contraxerit in similibus causis, ut si frumentum emit ut familiam aleret. Sed si servus vel filius tantumdem cepit debere domino, quantum expendit in utilitatem domini vel patris, desiit esse versum et datur actio de pecculio. Et generaliter dicendum est dari accionem de in rem verso contra dominum vel patrem quotiens servus vel filius aliquid gerit in rem domini vel patris, quod si a libero et extraneo esset gestum, libero daretur negotiorum gestorum accio vel mandati. Ergo si filius vel servus utiliter negotium patris vel domini gerere cepit, quamvis res secuta non sit, tamen contrahenti cum filio vel servo in hac causa dabitur negotiorum gestorum accio. Et sciendum est in hac actione de in rem verso occupantis esse meliorem conditionem, etiam si gratia eius rei, a diversis contractus initus sit, ut puta servus mutuatus peccuniam ad vestem comparandam, et vestem emit peccunia et vestis periit, utrique accionem de in rem verso competere, sed occupantis erit melior conditio; nam iniquum est dominum condempnari. Id venit quod versum est; perpetua est.

XXXI. Quod iussu.

Quia quandoque, filio vel servo contrahente, iubente domino vel patre contrahunt, datur quod iussu, dicamus ergo de accione quod iussu. Accio quod iussu ei competit qui iubente domino vel patre cum filio vel servo contrahit; nec differt qualitercumque iubeat sive testamento hoc

Source : BIU Cujas

dicat, sive per epistolam, vel per nuntium, sive specialiter in uno contractu sive generaliter hoc modo: QUECUMQUE VOLES CUM SERVO MEO GERE NEGOTIA. Sed si ratum habuerit quod servus gessit, voluntate extensa ad creditorem, datur quod iussu accio; non tamen si fideiussit pater, vel alias intervenit pro filio vel servo, datur accio quod iussu, nam aliud est iubere et aliud fideiubere. In summa sciendum est hanc accionem et de in rem verso perpetuo competere, et post mortem filii vel servi, quamvis de peculio sit inde alias, preterea domino posse condici non dubitatur.

XXXII. Per quas personas nobis adquiritur.

c. 30, d. Quia nomine supradictarum personarum in nos accio datur et sic honeramur; e contrario quia per easdem lucro afficimur, dicendum est per quas personas nobis adquiratur. Nam adquiritur nobis per servum proprium et ea que facti sunt et que iuris sunt, nisi solummodo in suam personam conferat factum, ut puta si stipulatus sit licere sibi ire, agere: tunc enim que facti est nobis non adquirit, sed ipsam stipulationem que iuris est adquirit nobis. Similiter per filium quem in potestatem habemus et que facti sunt adquiruntur nobis et que iuris sunt, divisione tamen facta secundum imaginem proprietatis rerum et ususfructus. Acquiritur nobis non solum per proprium sed etiam per communem servum pro dominicis partibus quas habemus in servum; eo tamen distincto ut si nominatim stipulatus fuerit uni, vel per traditionem acceperit, ei soli acquirit. Similiter si iussu unius stipulatus fuerit, soli ei acquirit; sed si iussio et nominatio concurrant, plus valet dominica mentio quam erilis iussio, nisi iubentis tantum interesset: tunc enim iussio prefertur nominationi. Acquiritur etiam per servum alienum bona fide possessum, dum tamen ex re nostra vel ex operibus suis acquirat. Eque per servum in quem usumfructum habemus acquiritur nobis quod aliunde sibi acquirit, eo tamen adiecto, ut quicquid nobis liber homo vel servus alienus adquirere non potest, sibi vel domino acquirat, eo excepto quod iuris est, ut liber homo: possidendo usucapere non potest quia nec possidere intelligitur qui ipse possidetur. E contrario quicquid domino vel sibi querere non potest, possessori acquirat. Acquiritur etiam nobis Per extraneam personam non subiectam potestati, sed ea solummodo que facti sunt, ut possessio; sed non per omnem extraneam personam, sed per procuratorem, tutorem, curatorem et alium gerentem publicum offitium. Per procuratorem ita acquiritur possessio si voluntas tradentis in unum concurrat cum voluntate domini. In tutore, curatore et ceteris habentibus publicum officium sufficit voluntas tradentis et curatoris et tutoris, non etiam expectatur voluntas eius cuius est tutor, vel cuius administratio publica auctoritate geritur. Sic per omnes supradictos queritur possessio, et per possessionem dominium, si dominium ab ea separari non possit. Sed per gestorem negotiorum non acquiritur possessio nisi cum meo nomine apprehenderit possessionem, et ego ratum habuero, cum per supradictas personas, non expectata ratihabitione, queratur possessio. Cetera que ad factum respitiunt per extraneam personam nostro nomine gesta nobis prodesse possunt, ut puta si denuntiatio sit facta, si fur sit apprehensus in furto; nam tunc nobis acquiritur interdictum et paratur accio furti manifesti; sed ea c. 31, a.
que in iure solummodo esistunt per extraneam personam adquiri non possunt iure directo, eo excepto, si peccunia nostro nomine sit numerata. Nam nobis queritur directa accio. Alias interpretatione legis inveniuntur utiles acciones posse queri per alterum ut per tutorem et curatorem, et per procuratorem, et per patrem et matrem filio in potestate non constituto.

XXXIII. Ad Senatus consultum Macedonianum.

Qualiter parentes ex contractu filiorum teneantur, et acciones adquirantur dictum est. Quia quidam contractus sunt ex quibus in parentes accio non datur senatusconsulto Macedoniano prohibente contrahi, de his tractat exponendo iura et constitutiones habitas ad interpretationem Senatusconsulti Macedoniani. Quare videndum est ubi senatusconsultum locum sibi vendicet prima constitutione, ubi locum habeat per interpretationem, quando corrigatur, quando senatusconsulto a constitutionibus addatur. senatusconsultum ita loquitur: NE QUIS CREDAT PECUNIAM FILIO FAMILIAS; nam in mutuo naturali per numerationem pecunie constituto loquitur senatusconsultum. Nam si vinum vel aliud in quantitate consistens detur mutuo, non habet locum senatusconsultum. Vel si ex uno contractu in creditum sit itum stipulatione, non vendicat sibi locum senatusconsultum. Nam origo contractus inspicienda est. Per interpretationem ibi locum vendicat si aliud in fraudem peccunie datum sit, vel color quesitus est in fraudem senatusconsulti, veluti si mutuam pecuniam accepturus supposuit alium pro se et ipse pro eo fideiussit. Corrigitur senatusconsultum, ut cum senatusconsultum precise prohibuit numerari, constitutiones et responsa prudentum certis casibus concedunt numerationem, ut filio degenti causa studiorum vel filio volenti dotare sororem suam; nam sive patre necesse habet facere expensas, sive pietas eius patris non recusaret facere expensas, cessat senatusconsultum. Quandoque etiam ratione pignoratitie creditoris cessat senatusconsultum, veluti si credidit ei qui publice sui iuris esse videbatur vel affirmabat se patremfamilias, et creditor non vana simplicitate deceptus est, vel sciente patre ei credidit, vel pater postea ratum habet, vel filio militi credidit; nam tunc creditori datur accio quatenus castrense pecculium patitur. Additur senatusconsulto, ut cum senatusconsultum tantum in filio extenditur senatusconsultum ad nepotes et deinceps. Quare sciendum

Source : BIU Cujas

est exceptionem senatusconsulti patri competere et filio, et sive sit in potestate, sive sit liberatus a potestate. Sed si cum esset liberatus a potestate, per ignorantiam se soluturum quod mutuo acceperat obligavit, dabitur ei exceptio in factum que competit fideiussoribus filii. Sed si filius solvat, quia naturale debitum solvit, *cessat repetitio; sed si peccuniam patris solvit*, patri datur vendicatio, si extat; si consumpta sit, dabitur conditio. Con-
c. 31, b. tra creditorem datur exceptio quod sciverit filiumfamilias esse, aut scire potuit.

XXXIIII. Ad senatusconsultum Velleianum.

Tractatus senatusconsulti Macedoniani expeditus est, quo subvenitur filiisfamilias accipientibus mutuam pecuniam; nunc rationabiliter senatuconsulti Velleiani quo mulieribus intercedentibus subvenitur, tractatus explicandus est. Quare videndum est ubi locum sibi vendicet senatusconsultum, quando interpretatur a constitutionibus vel resposis prudentum, quando addatur senatusconsulto, quando corrigatur.

Senatusconsultum ita loquitur: NE PRO ULLO FEMINE INTERCEDANT OBLIGANDO SE VEL RES SUAS; nam sicut moribus civilia officia adempta sunt feminis, ita id officium adimendum fuit eis in quo non solum nudum ministerium et opera earum versatur obligando se, sed etiam periculum rei familiaris sustinent, subponendo res vel se pro aliis. Intercedere mulier intelligitur sive se ream pro alio constituat quia aut ab initio suscepit obligationem in se, aut delegari pro alio passa est; et hic subvenitur ne teneatur, et nova accio contra eum datur pro quo intercessit, ut vetus contra veterem debitorem restauretur, sive participavit obligationem fideiubendo, mandando, constituendo. Non tamen si pignus remisit intercedere videtur sed cum senatusconsultum subvenit mulieribus imbecillitate sexus inspecta, non subvenit ipsis decipientibus sed deceptis; infirmitas enim feminarum non calliditas auxilium sumit.

Interpretatur senatusconsultum, ut si mulier pro alio delegavit quasi suum debitorem qui non erat debitor; nam fraudatur hic senatusconsultum, et ideo interpretatione legis hic habet locum exceptio senatusconsulti.

Additur, ut cum senatusconsultum tueatur mulierem per exceptionem, constitutiones interdum ipso iure defendunt eam, ut puta si mulier intercessit non confecto instrumento et non subsignato a tribus testibus.

Corrigitur senatusconsultum, ut si creditor ignorans eam intercedere, credidit. Item cessat si mulier intercedat apud minorem, et non solvendo sit is pro quo intercedit. Intercedere non creditur si vel in rem suam intercessit, ut puta pro suo creditore cui tantundem debeat, vel pro curatore vel pro venditore hereditatis. Item si accepit pretium ut intercederet, vel pro qualibet dotem promisit vel pro libertate intercessit, vel Velleiani auxilio renuntiavit, vel secundo post biennium pignus vel cautionem conscripsit aut intercessorem dedit; videtur enim ex huiusmodi prolixitate temporis non pro alio se obligare sed pro se aliquid gerere; et non solvendo sit is c. 31, c.
pro quo intercessit. Sed cum mulieri subvenitur sive se obliget sive res suas pro aliis obliget vel obligari patiatur, tamen si mulier donatur propter nuptias a marito, vel ab eius parte accepit et passa fuerit maritum obligare vel alienare, et post biennium confessa fuerit se velle talem obligationem tenere, et alie res sint viro ex quibus ei consuli possit, tenet obligatio prima. Nam nisi res viro esset non lederetur etsi frequenter consentiret; vir tamen obligaretur in omnibus aliis suis rebus, si quod dampnum passa fuerit. Sed causis cessantibus que faciunt cessare senatusconsultum, videndum est cui competat exceptio senatusconsulti. Nam datur mulieri et heredibus eius et intercedentibus pro muliere; et si solvit ignorans se tutam exceptione, datur repetitio. Et merito; nam hec exceptio inventa est favore mulierum, et ideo datur defensio et repetitio. Sed supradicta exceptio Macedoniani inventa est odio creditorum et ideo prestat defensionem, non repetitionem. Nam generaliter traditum est: si pene eius causa cui debetur debitor liberatus est, solutum non repetitur.

XXXV. De non munerata peccunia.

Dictum est de his exceptionibus que favore vel odio invente, prestant defensionem obligatis iure civili et naturali; nunc tractare incipit de iure ipsius exceptionis que equitate rei inventa est, et obligatis sulummodo iure civili prestat defensionem, et vocatur non numerate peccunie exceptio. Ubi videndum est cui competat exceptio, adversus quem, et infra quod tempus. Ei datur exceptio qui spe numerationis future se cyrographo vel stipulatione obligavit, vel creditori eius qui missus est in possessionem bonorum debitoris et numeratione non secuta. Nam equum visum fuit obligationem civilem elidi cum ipsa destituta sit equitate naturalis obligationis. Que naturalis obligatio aut precedere debet, ut puta primum numeravit et postea civiliter se obligavit, vel cum ex precedenti causa deberet, stipulatione, quasi numerata esset, se obligavit; aut debet inesse, ut puta incontinenti numeratio et stipulatio et scriptura facta est; aut debet subsequi, ut si numeratio secuta est.

Adversus eum datur cui se obligavit: infra biennium datur; nam post biennium non datur. Et merito; nam c. 31, d.
obligatio que solummodo civilis dicebatur, transcursione biennii interpretatione iure civilis creditur et naturalis, et ideo cessat exceptio, et ad liberationem conditio. Sed biennio extante, datur exceptio et ad liberationem condictio, que exceptio si infra biennium contestetur, perpetuatur. Sed quia cum in scriptura quis confitetur se suscepisse spe future numerationis, scriptura conficetur ut obligatio inde nascatur et probationis speciem obtineat, ut puta si cirographo cavit; quandoque scriptura conficitur

Source : BIU Cujas

ut vim probationis obtineat, ut apocha et antapocha. Queritur quo tempore adversus apocham vel aliam securitatem se tueri possit; et dicendum est in certis casibus penitus cessare defensionem, in quibusdam brevi tempore concludere. Nam si quis scripsit se suscepisse rem in causam depositi, vel scripsit se suscepisse funtionem publicam, vel confecto dotali instrumento, scripsit se suscepisse dotem, penitus cessat exceptio, super certis vero securitatibus que a creditoribus conscribuntur, significantes aliquid sibi solutum esse, dabitur creditoribus exceptio infra XXX. dies: temporibus preteritis nec iusiurandum creditoribus licet deferre debitori ut debitor iuret se solvisse, vel debitori ut creditor iuret se numerasse. Nam omnimodo creditur solutum vel numeratum. Quid ergo si paratus est creditor probare sibi non esse solutum, vel debitor non esse sibi numeratum? Non est audiendus, quamvis aliqui sunt qui aliter sentiunt, scilicet si debitor post biennium paratus est non esse numeratam probare, audiatur et habet doli exceptionem; si creditor non esse solutam, adiuvatur replicatione doli; et hec aiunt argumento quarumdam legum, ut in prima lege reperitur de condictione ob causam turpem., et lege illa generaliter., et in tit. de procuratoribus., l. licet., in principio; et merito post tempus omnimodo excluduntur, nam infra tempus, missis denuntiationibus scripto, vel ad eum qui dicitur pecuniam numerasse, vel ad iudicem ipsius loci vel ad episcopum, non numerate pecunie possunt sibi exceptionem perpetuare.

XXXVI. De compensationibus.

Tractatus quorumdam exceptionum que eximunt reos a condempnatione explicitus est. Quia compensatio similiter tuetur reos ne condempnentur, dicit de compensa-
c. 32, a. tionibus. Ubi videndum est quid sit compensatio, que persona cui persone obitiat compensationem, quod debitum compensatur, quibus actionibus compensatio obitiatur et que res cui rei compensetur, et qualiter compensatio utrum ipso iure an officio iudicis an per exceptionem fiat.

Compensatio dicitur invicem debiti et crediti contributio. Ea persona que debet, ei cui debet obicit compensationem, nam alterius debiti compensationem obicere non potest, preterquam si fideiussor est qui convenitur; nam de eo quod sibi debetur, et quod reo principali debetur obicit compensationem. Et si pater conveniatur pro filio, et quod sibi et quod filio debetur compensatur; et e converso si pater agat ex contractu habito cum filio, utrumque debitum ei compensatur. Id debitum quod utroque iure est debitum compensatur, si autem est debitum iure civile et non naturali, non venit in compensationem; sed si est debitum iure naturali et tale quod solutum repeti non posset, compensari potest. Sed si repeti posset, in compensationem deduci non potest, ut si mulier tuta exceptione senatusconsulti vel solveret quod naturaliter deberet, repeteret; contra eam istius debiti compensatio non obicitur. Et id debitum quod pure debetur, compensatur et non aliud. Omnibus accionibus obicitur compensatio preterquam accioni depositi. Ea res que in quantitate consistit simili quantitate compensatur. Ipso iure quoad concurrunt quantitates currit compensatio, si debitum liquidum est, vel sententia iudicis vel partium confessione.

XXXVII. De usuris.

Acciones per exceptionem tolluntur ipso iure: eo tractavit de quibusdam exceptionibus et compensationibus. Quia quandoque augentur usuris, tunc tractat nunc de usuris; quare videndum est quid sit usura, in quibus iuditiis prestantur usure ex quibus causis currant usure, et usque ad quem modum currant et quarum rerum currant usure.

Usure quidem nomen ab usu sumunt; inde dicitur usura ob usum rei data. In iuditiis bone fidei et stricti iuris veniunt usure, percetione fructuum officio iudicis prestantur usure. Ex mora veniunt officio iudicis, que mora quandoque fit per interpellationem, quandoque favore persone esse intelligitur, quandoque odio. Ex interpellatione dicitur fieri cum interpellatus est congruo tempore ut solvat, et sine iusta causa recusavit solutionem. Si est iuditium bone fidei et quantitas debeatur et mora interveniat adiudicantur usure; vel si est iudicium stricti iuris, ex ultima voluntate descendens, ut puta in legatis et fideicommissis, si species debeatur, quocunque iuditio mora c. 32, b.
trahit ed se periculum. Cum mora esse intelligitur favore persone tunc parit usuras, ut contingit in minore; nam favore minorum re ipsa, idest ex solo tempore tarde solutionis, mora creditur fieri in iuditiis bone fidei et in quibusdam stricti iuris, ut in legatis et fideicommissis. Odio creditur mora fieri, ut contingit in fure nam fur semper in mora esse dicitur, et mora trahit ad se periculum, nisi sit purgata oblatione vel novatione. Unde fit talis divisio, quod mora quandoque parit usuras et periculum ad se trahit, ut cum ex interpellatione fit, ut in iuditiis bone fidei et in legatis et fideicommissis; quandoque solummodo usuras non etiam periculum, ut cum mora creditur fieri favore persone; quandoque solummodo periculum, non etiam usuras, ut si odio persone credatur fieri. In iuditiis stricti iuris veniunt usure quandoque solo pacto, ut si species fenori date sint, vel pecunia traiectitia fenori data, vel cuntam (1) credidit pecuniam; quandoque tantum stipulatione peti possunt, ut si peccunia data sit mutuo; quandoque peti non possunt sed retentione pignoris conservari, ut puta si pacto convente sunt et pignus in his obstrictum sit; quandoque officio iudicis exiguntur, ut si lis contestata sit; nam lite conveniunt officio iudicis. Modus usurarum spectandus est ex qualitate personarum; nam quandoque trientes, quandoque semisses prestantur: ultra nulla usura exigitur nisi sit nauticum

(1) *Cod.* cuntas.

Source : BIU Cujas

fenus, vel quod similitudinem habeat cum nautico fenore, ut puta si piscatori in apparatum meo periculo credidi pecuniam et in similibus, vel si species date sunt fenori ut vinum vel oleum, vel ex causa iudicati petantur. Nam his casibus, usque ad tantumdem possum exigere usuras, sed si ultra modum statutum a lege sint convente vel promisse, etsi pignus in his obligatum sit, iure non exiguntur. Sed si exacte sint, aut ut indebite repetuntur aut in sortem computantur; tamen sciendum est: ubi per officium iudicis exigantur, si mos religionis expostulet maiores quam lege, sit statutum non sunt exigende. Sed si minores, non licet iudici morem religionis excedere quia usure odiose sunt et ideo contingit quod quandoque tacito pacto viderentur remisse. Sed quamvis lege antiqua modus usurarum ita sit determinatus, tamen lege nova qui fructus aridos credit vel pecuniam in anno pro modio octavam parte modii, pro solido siquidem, unam accipiat.

XXXVIII. De deposito.

Cum de his contractibus dictum sit, qui re contrahun-
c. 32, c. tur, et gratia accipientis vel utriusque gratia contrauntur, nunc merito de eo contractu qui re contrahitur et gratia dantis solummodo fit subiungit; sic de deposito tractat. Quare videndum est quid sit depositum, cui competat accio depositi directa, cui contraria, adversus quem, quid in ea veniat ex natura contractus, iure accionis, officio iudicis.

Depositum est quod cui custodiendum datum est; nam cum in aliis contractibus custodia desideratur non ex natura pacti sed iure accionis, in hoc contractu ex natura pacti desideratur; nam propter hoc solum deponitur ut custodiatur. Ei competit directa et eius heredi accio depositi qui deposuit rem propriam vel alienam sive sciens sive ignorans: nam fur et latro depositi accionem habent. Nec obloquitur quod dictum est: nemo ex inprobitate sua acquirit actionem; nam potius ex contractu acquirit actionem quam ex delicto. Adversus eum depositi accio datur qui rem custodiendam accepit et eius heredem. Utilis ei competit cuius nomine deposita est.

Id venit ex natura contractus quod convenit, idest ut res restituatur; iure accionis ea veniunt que neque dicta sunt neque cogitata: nam si equus depositus est, quamvis de custodia capistri nichil dictum sit, tamen eadem custodia prestanda est in capistro quam in equo. Dolus venit in hoc iudicio, nam sive dolo res abest vel deterior facta sit, tenetur is cuius dolo res abest, deteriorve facta sit; nam res non videtur reddita que deterior reddita est. Quandoque contingit quod nomine culpe tenetur, veluti si obtulit se deposito; quandoque de periculo tenetur, veluti si pacto speciali suscepit in se periculum. Sed cum de ipsa re restituenda teneatur, quandoque res ipsa venit cum suis accessionibus, quandoque etiam duplum rei, in quo duplo res inest, veluti si depositum sit causa incendii, causa ruine, causa tumultus et dolo infitiatus fuerit; nam in ipsum datur in duplum, in heredem in simplum. Sed si ex suo dolo conveniatur, in duplum datur. Officium iudicis est ut accioni serviat, preterea ex suo officio aliquid agat; ut, siquidem deposita est res apud plures vel res plurium uni deposita sit et commode dividi non possit, ille tenetur in solidum qui facultatem restituendi habet, et uni in solidum est restituenda; tamen per officium iudicis *compellitur ad cautionem se defensum iri adversus ceteros. Similiter per officium iudicis* veniunt usure sive in mora est restituendi peccuniam, sive in usus suos conversit.

Ei apud quem res deposita est competit contraria depositi et eius heredi adversus eum qui deposuit et eius heredem. Id venit quod inpensum est, et etiam si impendit cum usurarius esset, venit cum usuris prestandis officio iudicis, et si occasione rei deposite passus sum dampnum, id prestandum est. Sed aliter a sciente aliter ab ingno- c. 32, d.
rante; nam quis sciens servum fugitivum vel animal morbosum deposuit, de omni detrimento tenetur; si ignorans, sufficit relinquere noxe.

XXXVIIII. De mandato.

Expositis contractibus qui re contrahuntur accedit ad ea genera contractuum qui consensu contrahuntur. Sed quia illorum contractuum qui consensu contrahuntur quidam gratuitus dicitur ut mandatum, subiungit de mandato. Et merito, nam sicuti depositum dicitur gratuitum, ita et mandatum debet esse gratuitum; et hac affinitate iusta depositum inserit de mandato. Quare videndum est quid sit mandatum, qualiter contrahatur mandatum, in qua re consistat, quando firmatur, cui competit accio mandati directa, adversus quem detur, quid in ea veniat iure accionis, officio iudicis; cui contraria similiter et adversus quem, quid in ea veniat iure accionis, officio iudicis.

Mandatum dicitur quasi manu datum; eo quod faciendum committo quod per me explicandum erat. Contrahitur mandatum consensu, ideo quia per nuntium vel per epistolam suscipi potest; nam non (1) interveniente nuntio vel epistola, utroque presente et qui mandat et qui suscipit. Contrahitur expressim his verbis: ROGO, VOLO, MANDO, et quibusdam aliis verbis. Contrahitur tacite, ut qui patitur aliquem intervenire pro se. Quod mandatum multis modis dicitur contrahi; nam contraitur V. modis: vel mea gratia tantum, vel aliena, vel mea et aliena, vel mea et tua, vel aliena et tua: ubi tantum tua potius est consilium quam mandatum et ideo non est obligatorium. In ea re consistit mandatum que iure per alium explicari potest, et honesta sit ad explicandum, nam iure regulari per alium accusationes non possunt explicari; nec etiam tibi mandare ut rem tuam mihi vendas, vel meam a me emas, nisi gratia alterius partis hoc contingeret, veluti si mandavi ut rem quam habebas communem cum alio, mihi

(1) *Cod. om.* non.

Source : BIU Cujas

emeres; nam cogor emere et tu vendere cum alias non eram empturus nisi totum, vel nec venditurus nisi totum. Inhoneste sunt ad explicandum, ut mandatum turpis rei.

Quando (1) finitur: finitur cum finitum est negotium quod susceptum erat ad explicandum, vel preventus est morte is qui suscepit mandatum, re integra, vel is qui mandavit, nisi cum conceptum esset post mortem, ut puta mandavi ut monumentum faceret. Tamen si iusta ignorantia ductus explicavit mandatum ne probabilis ignorantia afferat dampnum, intelligitur durare mandatum. Sed utroque vivente
c. 33, a. et qui mandat, et qui suscepit, necesse habet consumare mandatum nisi tempestive renuntiaverit ut ius integrum mandatori servetur, vel intempestive renuntiaverit sed non sua culpa sed alterius, vel renuntiaverit iusta causa inpeditus; vel in mandatorem non redundet captio; veluti quod sibi mandavit per alium commode est explicatum. Sed cum mandatum consumandum est, interdum meliorem conditionem mandatoris mandatarius facere potest, deteriorem minime, veluti qui mandavit de certa re emenda et certo pretio; nam minus emere potest, in plus mandatorem obligare non potest. Interdum nec meliorem facere potest, puta mandavi ut domum seianam emeres: aliam maioris pretii emisti.

Ei competit accio mandati directa qui mandavit et eius heredi, adversus eum qui suscepit mandatum et eius heredem: et tunc competere incipit cum ceperit interesse mandatoris, et eatenus competit quatenus interesse ceperit.

Id venit ex natura contractus quod mandato comprehensum est, ut puta mandadavi ut fundum mihi emeres: debes emere et mihi tradere. Idem in similibus.

Iure accionis, si id quod in mandato comprehensum est non compleverit, ad interesse tenetur. Preterea tenetur de dolo et culpa lata et levi; non etiam cogitur prestare fortuitum casum nisi in culpa esset qui suscepit mandatum ut fortuitus casus contingeret, vel pacto speciali suscepit in se fortuitum casum.

Officio iudicis usure adiudicantur, ut puta mandavi ut negotia mea gereres, et si gessisti, id quod est apud te natura contractus cogeris prestare. Iure accionis de dolo vel culpa in amministratione commisso teneris. Officio iudicis si est in mora restituendi, vel in suos usus convertit peccuniam, debet prestare usuras.

Ei competit contraria mandati qui suscepit mandatum expressum vel tacitum et eius heredi, adversus eum qui mandavit et eius heredem. Ex natura contractus id venit quod per tuum mandatum inpendi in negotiis tuis vel alii solvi.

Iure accionis venit interdum quod abest vel abfuturum est; abest, ut si mandasti mihi ut servum quem sciebas fugitivum emerem, et is mihi dampnum dedit, iure accionis cogeris prestare quod abest; si ignorabas, cogeris relinquere noxe. Abfuturum est in quo sum obligatus alii ut prestem.

(1) *Cod.* quandoque.

Iudicis officio veniunt usure, ut puta impendi propriam peccuniam in negotiis tuis et usurarius eram: prestabis mihi usuras cum eris in mora reddendi. Si autem alio loco accepissem peccuniam sub usuris, iure actionis recuperabo sub hisdem usuris. Sed quia ei qui suscepit mandatum, quandoque sua culpa abest; ideo distinguendum est quandoque recuperare posse quod abest ut ecce: quis mandat servum emendum in genere; is qui suscepit mandatum, cum iam destinaverit se certum hominem empturum, eum fugitivum sciebat. Si mandat et non predixit, omnimodo tenetur ad interesse ei quod emit. Si autem hominem non cognovit furem, cogitur relinquere noxe; sed si ille qui mandavit hunc hominem ante emptionem nullo modo cognovit, sibi ipsi imputare debet qui talem emit. Sed si certum hominem mandavit emendum omnimodo, tenetur de dampno illato ei qui emit sive scivi furem sive ignoravi. Similiter in fideiussore; quare utrum abest ei aliquid culpa an sine culpa, ut ecce: fideiussor solvit cum exceptio ei competeret vel ipso iure tutus esset. Nam cum exceptio competit fideiussori, aut datur ex persona rei principalis aut ex sua persona. Cum ei competit ex persona rei, aut omittit sciens eam aut ignorans; cum sciens omittit, omnimodo sibi inputabit si peremtoria est; si dilatoria est, veluti si reus habebat temporalem exceptionem, inputabitur fideiussori ut ante tempus a reo nichil exigat; si ignorans omittit, *imputabitur reo cur fideiussorem non certioraverit.* Idem est si reus principalis solvit, nec fideiussorem certioravit. Si ex sua persona competit et peremptoria est et honesta, sibi imputabit ut accionem mandati non habeat, sed tamen quia liberavit reum, habebit negotiorum gestorum actionem; sed si dilatoriam exceptionem habet, sive causam ex tempore habet, sive non, sed ex persona actoris opponatur vel ex persona iudicis, et fori prescriptio dicatur, non imputabitur fideiussori si sciens omittit eam; nam non debuit de apicibus iuris disputare. Unde si solvit, mandati agere potest. Quare sciendum est quibus casibus *fideiussor agere potest, et dicendum est eum* agere posse sive solvat sive condempnatus est, sive pepigit cum eo ut liberaret eum quandocumque vellet, sive reus bona dilapidare cepit, sive diu in obligatione permansit ut equius videatur iudici ex diuturnitate temporis liberandus. In summa sciendum est, mandatum gratuitum esse, ideoque accione proposita salarium exigi non posse; sed si est certe pollicitationis, per offitium iudici potest exigi; et actiones ex mandato descendentes bone fidei esse et perpetuas.

XXXX. De sotietate.

Cum de mandato quod consensu contrahitur et in quo alter alterius negotium gerit dictum est, merito de sotietate que consensu contrahitur et alter alterius negotium c. 33, c.
gerit dicendum est. Ubi videndum est quid sit sotietas, qualiter contrahatur, et quarum reum, et propter quas causas, et qualiter retineatur, et quo modo dissolvatur.

Source : BIU Cujas

Sotietas est quoddam fraternitatis ius nostrorum bonorum, vel unius rei.

Contrahitur consensu, qui consensus esse presumitur re, verbis et nuntio.

Contrahitur sotietas aut bonorum omnium aut negotiationis alicuius sive vectigalis, sive etiam alicuius rei. Omnium bonorum aut simpliciter, aut specialiter; et hoc faciunt conferendo rem rei vel rem opere vel operam opere.

Propter has causas contrahitur, idest propter uberiorem questum vel commodiorem usum.

Consensu retinetur societas.

Disolvitur societas ex personis, idest morte sotiorum sive naturali sive civili; et etiam rebus, idest si res que in sotietate erant quovemodo interempte sint; vel condictio earum mutata sit, idest si res que in sotietate erant facte sunt sacre. Accione etiam distraitur societas, idest cum aut stipulatione aut iudicio mutata sit causa societatis.

Cessione bonorum solvitur societas.

Publicatione etiam solvitur, voluntate etiam, idest renunciatione. Sed quod diximus renuntiatione hoc ita est si omnes dissentiant; quod ergo si unus renuntiaverit, si dolo malo, idest forsan ob veniens lucrum alios a se liberavit, *se autem ab illis non liberavit;* nam cogitur lucrum communicare, sed dampnum ad eum qui renuntiavit pertinebit. Sed cum de societate dictum sit, dicendum est de actione que proficiscitur ex ipsa societate que vocatur pro sotio actio, et adversus quem detur, quid in ea veniat natura contractus, iure accionis vel officio iudicis. Sotio et eius heredi competit accio pro sotio, adversus sotium et heredem eius. Id venit ex natura contractus quod in pacto sotietatis specialiter comprehensum est, idest ut res conferantur, et ut opere prestentur, sive spetialiter hoc dictum est, sive actum esse hoc intelligatur, ut puta contraxi sotietatem unius negotiationis: id conferendum est quod dictum est. Si autem contraxi omnium bonorum, aut simpliciter aut specialiter: si simpliciter, omnia que ex questu veniunt conferenda sunt, ut si ex venditione, locatione et similibus aliquid acquisivit; non si aliunde aliquid quesivit, puta hereditatem, vel legatum. Questum venisse intelligitur id quod ex operibus cuiusque descendit; sed si specialiter, tunc et legatum et hereditas et quod donatum est vel quacumque ratione acquisitum est, acquiritur sotietati. Sed si ex prohibitis causis aliquid quesivit sotius omnium bonorum, non cogitur conferre. Similiter si ob malefi-
c. 33, d. tium suum aliquid prestiterit non consecuturum ex sotietate nisi in sotietate contulit. Nam si in sotietate contulit, iure actionis, ingnorante sotio id deducet solum de sotietate, non etiam penam si quam prestiterit. Sed si sciente etiam cum pena deducet. Sed si hac occasione sotietatis passus est dampnum sine sua culpa, deducet de societate: puta servi vulnerati sunt, ipse vulneratus est servis prorumpetibus in fugam, consequitur expensas. Sed si occasione sotietatis non acquisivit lucrum, puta hereditatem vel legatum, vel negligentius res suas aministravit, non consequetur ex sotietate. Sed si expendit in sotietiate, vel abest propter sotietatem, vel ante tempus direpta sit sotietas ut intersit eam non dirimi, iure actionis consequitur interesse. Preterea si dolo sotii, vel culpa lata vel levi dampnum datum est in sotietate, iure actionis venit in sotietate. Officio iudicis si usus est sotius communi peccunia, vel in mora est restituendi, prestabit usuras. Preterea si sotius occasione sotietatis sub condictione est obligatus, vel ei sub conditione debetur, cautione interposita, officio iudicis est explicandus. Vel si sotius omnium bonorum solvere non potest, vel si unius universalis rei, cavendum est officio iudicis, si ad meliorem fortunam pervenerit, se soluturum. Sed cum de sotietate contrahenda, et eo quod venit in societate dictum est, dicamus de partibus sotietatis que equales dicuntur nisi expressim a sotiis aliquid dictum sit. Nam aliam partem totius dampni, aliam lucri habere potest, partem solummodo dampni non etiam lucri non potest; sed solius lucri potest, dum tamen lucrum intelligatur deducto omni dampno, et dampnum deducto omni lucro. Sed si sotii arbitrio alterius commiserint partes, eius arbitrio sunt dirimende, sed si arbitrium eius pravum inveniatur, decurredum est ad arbitrium boni viri. Hec omnia in societate contracta intelligenda sunt; nam sive dolo inita est, sive animo donandi, ipso iure nullius momenti est sotietas, et ideo supradicta non sunt distinguenda. Quid ergo si dolo unius societas coita sit, et peccuniam in communi contulerunt, et peccunia assidua permutatione consumpta sit? Sine causa peccunia cuius pervenit ad alterum, condictione sine causa tenetur. Et si ex peccunia communi res alique sunt empte, communi dividundo agatur. Si deinceps consumantur, communi dividundo, de personalibus prestationibus tenetur.

XXXXI. De contrahenda emptione et venditione.

Quia sotietas consensu contrahitur et dominium pro parte alienatur, venditio similiter contrahitur consensu et dominium in totum alienatur ideo hac affinitate subiungit de contrahenda emptione et venditione. Ubi videndum c. 34, a.
est qualiter contrahatur, in quibus rebus contrahatur. Contrahitur enim solo consensu conventione pretii accedente consensui. Quod pretium in numerata peccunia consistere debet, alioquin potius esset permutatio quam amptio. Nam cum olim non esset nummus, homines permutabant inutilia utilibus. Sed quia quandoque contingit ut quod alteri superest alteri desit, nec invicem habet alter quod alius accipere vellet, materia electa est que habet perpetuam extimationem, accepta publica forma, ut homines valerent omnes res comparare peccunia et certa peccunia que autem diffinita sit conventione partium, ut puta X.; aut in natura rei sit certa, ut puta si emi fundum

Source : BIU Cujas

quanti in archa habeo, cum sit certum quod in archa habeo. Similiter res subesse debet que subiaceat alienationi, ut venditio valeat; nam sine re nulla est venditio, que non sit presens vel esse non speratur. Esse speratur ut fructus futuri, vel id quod alea emi, ut captus piscium. Nam quamvis non sint, tamen quia esse sperantur, valet venditio. Esse non speratur, ut ircocervus. Interdum tamen rei presentis nulla est venditio inspecta natura rei vel ratione rei; natura, ut liberi hominis; ratione ut sacre rei, religiose et quarum rerum commercium non habemus, et cuiuscumque rei cuius est prohibita alienatio. Sed quamvis ratione rei nulla est venditio, tamen inspecta qualitate personarum et natura contractus qui bone fidei est, inter ignorantes tenet obligatio. Interdum nec inter ignorantes tenet obligatio ut puta si emi rem propriam; nam respectu proprietatis nulla est venditio. Sed si velim emere possessionem rei mee, valet venditio vel sub conditione in eventum cuius speratur desinere mea. Constat igitur venditionem posse contrahi re intercedente, facta certa conventione pretii. Hec vera sunt cum venditio sine scriptis sit; nam cum in scriptis conficitur, non aliter valet nisi scriptura sit completa et partibus tradita. Hec omnia supradicta vana sunt, cum herror deprehenditur vel circa rem vel circa pretium. Nam sive in contractu dissentiant, sive in pretio, sive circa rem, quia putabat aliam rem vendere, et alius aliam emere, nulla est venditio. Sed si error sit in nomine, cum de corpore constat, valet venditio. Sed si in corpore consentiamus et in materia error sit, nulla est venditio, puta es pro auro,
c. 34, b. plumbum pro argento, acetum pro vino; sed si in bonitate rei error deprehendatur, valet emptio, ut puta aurum invenitur esse deterius quam esse putabatur. Sed si in materia et qualitate ambo errarent, ut puta putabatur esse aurum, cum magna pars enea esset, siquidem hoc corpus emere proposueram, quia aliquid auri habuerit, valet venditio. Si autem non essem empturus nisi totum aurum esset, non valet venditio. Sed si maior esset substantia auri quam eris, venditio valet. Idem dicitur de domo vendita que combusta est; nam si ambo ignorarent esse combustam cum tota esset combusta, nulla est venditio, vel cum maior pars sit combusta; si vero dimidia vel minor quam dimidia combusta est, valet venditio, sed pretium remittitur emptori. Si autem venditor solus sciebat, emptor ignorabat, si tota domus ante venditionem combusta est, nulla est venditio; si aliquid remansit de domo valet venditio, sed ad interesse tenetur venditor. Quod si emptor sciebat, venditor ignorabat, valet venditio et cogitur totum pretium solvere; quod si uterque sciebat emptor et venditor, dolo ex utraque parte compensando nulla est emptio venditio. Idem et in ceteris distinguendum est. Que venditio quandoque pure contrahitur, quandoque sub conditione. Ubi pure, statim valet venditio, ubi sub condicione, expectatur eventus conditionis. Sed cum conditio inseritur, siquidem condicio est in arbitrio ementis vel vendentis, quia non astringit necessitate contrahentes, nulla est venditio, ut puta si venditor emptori dixerit: si volueris habeas emptum hoc, vel quanti volueris, vel quanti equum putaveris. Sed siquidem conferatur in arbitrium extranei: siquidem arbitrium conferatur ad certum, ut puta: habeas rem emptam si ille voluerit, et pretium non est definitum, nulla est venditio, sed si arbitrium referatur ad pretium ut: quanti ille extimaverit; sub conditione contracta videtur, ut si arbitratus fuerit, valeat. Sed si iniquus est arbitratus, moderatur per arbitrium boni viri. Si autem non est arbitratus quia noluerit aut non potuerit, non valet venditio deficiente conditione.

XXXXII. De hereditate vel accione vendita.

De ipsa venditione contrahenda dictum est; nunc de rebus in quibus emptio contrahitur dicendum est. Quia rerum ex quibus emptio contrahitur, quedam sunt corpo- c. 34, c.
rales, quedam incorporales, ut hereditas et obligatio seu accio, et quia hec specialem et propriam naturam habent, ideo specialiter de hereditate vel actione; unde subiungit. Et sciendum est qualiter, quando quis vendit hereditatem, esse debet hereditas ut sit emptio. Nec enim alea emitur, ut in venatione, sed res emitur, que si non est, non contrahitur emptio, et ideo pretium condicetur. Preterea se heredem prestare debet, et eum a quo hereditas aufferri non possit ut cum effectu ad eum pervenisse videatur, non prima ratione. Quod si in venditione hereditatis id actum est, si quid iuris venditoris esset veniret, comodum negotiationis et periculum ad emptorem pertinet; quod si hoc modo venditio facta sit, si qua sit hereditas, alea emisse intelligitur, nisi sciens ad se non pertinere vendidit: tunc enim ex dolo tenetur. Sed ubi quis heres est et vendidit hereditatem, non tenetur de evictione nomine singularum rerum, nisi specialiter in singulis rebus promissa sit evictio. Nec tenetur de quantitate hereditatis ut prestet tantam esse, nisi specialiter de quantitate hereditatis cautum sit; unde intelligi potest quod omne commodum et incommodum quod circa hereditatem contingit, ad emptorem pertinet. Preterea venditor cavere cogitur quicquid ad eum pervenit ex hereditate se prestaturum. Non tamen si indebitum exegit occasione hereditatis, cogitur prestare, nec ei ab emptore prestandum est, si indebitum solvit. Sed si debitum solvit ex vendito accione recuperabitur ab emptore, sicut e contrario, si quid ad eum pervenerit occasione hereditatis, vel dolo malo fecit quominus perveniret, cogitur prestare emptori. Preterea sciendum est si acciones mandate sunt emptori, eo facto procuratore in rem suam, habebit directas; si non mandate, suo nomine habebit utiles. Sed emptor hereditatis non convenitur a creditoribus hereditariis, nisi sponte petitioni se offerat, vel cum a fisco emit. Tunc enim convenitur a creditoribus heres. Similiter qui vendidit actionem, se creditorem prestare debet et sine exceptione, nisi in contrarium actum sit. Sed si certe summe debitor sit dictus, in eam summam venditor te-

Source : BIU Cujas

netur; si incerte et nichil debeat, quantum intersit emptori: quod interesse ad pretium datum redigetur. Sed solvendo esse debitorem prestare non debet, nisi nominatim hoc actum sit. Sed venditione nominis facta, si mandate sunt acciones, dantur directe; si non sunt mandate dantur utiles: ideo in donatione et obligatione nominis. Similiter de pignoribus accedentibus nominibus venditis dantur acciones utiles, nec distinguitur utrum in personam an in
c. 34, d. rem sint empte acciones.

XXXXIII. Que res vendi non possunt vel que vendi vel alienari vetantur.

Quia sunt quedam res que a certis hominibus emi vel vendi non possunt, inserit titulum: que res possunt vendi et qui emere vel vendere vetantur; nam blacta vel oxiblacta atque iacentina cocto murice non debent emi nisi a comite comerciorum; item quod frumentum quod militibus tribuitur; item arma militibus necessaria, vel ferrum barbaris non sunt distrahenda. Eunuchi in imperio Romano non sunt faciendi nec distrahendi; sed si a barbaris facti sunt, possunt emi. Si quis adversus hec fecerit penas gravissimas sustinebit. Item filii nostri, nisi pater inopia dignoscatur laborare: tunc causa victus sanguinolentos filios vendere vel pignori obligare potest. Sed si idem filius, vel alius pro eo, mancipium offerrat vel pretium quod valere potuit, eripitur ad pristinam ingenuitatem.

XXXXIIII. De rescindenda venditione.

Qualiter emptio et venditio contrahatur dictum est: nunc qualiter ea altero invito rescindatur dicendum est, nam rescinditur venditio variis ex causis: ut ecce rescinditur propter metum, propter dolum, propter pactum, propter iniquitatem rei et propter legem non servatam. Rescinditur etiam si in sexu error sit. Sed cum in omnibus supradictis modis rescindatur, videndum est utrum accione proposita, an officio iudicis rescindatur, et dicendum est ubi iustus metus intercessit ut venderet, proponenda est accio quod metus causa ad rescindendum; ubi dolo intercedente vendidit, si dolus incidens fuit quia alias venditurus erat sed dolo minus vendidit, purgabitur dolus accione ex venditio proposita per officium iudicis, idest ut emptor iustum pretium prestet venditori; sed si causam contractui dedit, idest cum alias venditurus non erat, dolo inductus fuit ut venderet, ipso iure contractus non valuit, idest non tenetur venditor ad rem prestandam, nec emptor ad pretium prestandum. Quid ergo si venditor rem possederit, quia non est permissum ut proprius alicui dolus patrocinetur? Cogetur emptor pretium prestare venditore nolente rescindere id quod processit, sed si venditor rescindere vult quod processit, cum ipso iure nec venditor tenebatur... integrare: quare quo iure repetere possit quod tradidit, et dicendum est quia venditor se obligatum putabat ad tradendum, eum dominium rei transtulisse, et ideo vendicationem ei quasi rei proprie non competere; sed quia putabat se obligatum et ideo tradidit, competit indebiti condictio, si nondum pretium pervenerat ad eum. Si pervenerat et vult rem c. 35, a.
repetere, debet pretium restituere; alioquin quia vellet cum detrimento alieno locupletari, removetur exceptione.

Propter pactum rescinditur, veluti si lege commissoria venditus sit fundus: tunc enim rescissa venditione, lege non servata, venditori competit vendicatio, si velit. Similiter si emptor pepigit ut si res ei displicuisset renderetur, ex empto competit ad rescindendum. Propter rei iniquitatem rescinditur venditio, puta minus dimidia iusti pretii vendidit; nam propter officium iudicis rescinditur venditio, data electione emptori ut, si velit iustum pretium adimplere et rem retinere, an restituto pretio rem restituere, possit (1). Similiter rescinditur venditio proposita accione, puta si quis contemplatione certe rei, alias non venditurus, vendidit, nec secutum est id contemplatione cuius vendidit. Rescinditur cum in sexu error fit, puta si quis putabat se emere puerum, cum venditor sciens mulierem vendidit; nam accione ex empto proposita, rescinditur venditio. Sed si uterque errabat, ipso iure non valet venditio, et eo modo si aliquid secutum est, quod revocatur, si ipso iure venditio nulla est, dolo dante causam contractui. Revocabitur et hic cum ipso iure nulla est venditio, quia uterque errabat. Rescinditur venditio etiam si ab offitialibus nomine fisci res vendita sit, nisi iusto pretio, vel subastatione non facta, vel non bona fide empta. Item si aliquid distractum sit furtive ut munera publica declinent: tunc rescinditur venditio, pretio non restituto, etiam si a palatinis empta fuerit.

XXXXV. Quando licet ab emptione discedere.

Quando altero invito rescindatur emptio dictum est; nunc quando utroque volente ab ea recedatur dicendum est. Nam si res integra est, solo contrario consensu rescinditur quamvis arra data sit; nam datio arrarum est ante emptionem et venditionem, cum archa datur in specie et non in quantitate; nam cum arra datur in quantitate, tunc et pars precii est et argumentum est. Nec solo contrario consensu rescinditur nisi actus similis priori retroagens venditionem intercesserit. Res integra intelligitur si nec pretium solutum est, nec res tradita est, quamvis fideiussor ab alterutra parte acceptus sit.

XXXXVI. Si propter publicas pensitationes.

Quandoque contingit ut res vendatur ob publicas prestationes. Si venditio facta fuerit auctoritate presidis vel iudicis intercedente, et bona fide et iusto pretio revendita c. 35, b.
substatione, ut plus offerenti detur, valet venditio; alioquin

(1) *Cod. om.* possit.

Source : BIU Cujas

rescinditur. Que prestationes necessario prestantur; nam omnes pro his agris quos possiderent, agnoscere debent pensitationes publicas, nec contrariis pactionibus adiuvari possunt. Nam pactis privatorum non leditur ius commune, ergo sine censu vel reliquis, fundus comparari non potest.

XXXXVII. De periculo et commodo rei vendite.

Contractu emptionis perfecto, videndum est ad quem spectet periculum et commodum. Sed quia emptio quandoque contrahitur sub conditione, quandoque contrahitur pure, quandoque dicitur perfecta, quandoque inperfecta, quandoque contrahitur earum rerum que consistunt in quantitate, quandoque earum que consistunt in specie; et ideo quandoque ad emptorem periculum spectat, quandoque ad venditorem; merito describendum est quibus casibus spectet ad emptorem, quibus ad venditorem. Ecce: si venditio conditionalis est, periculum spectat ad venditorem, idest totius rei interitus. Sed si res ante eventum conditionis deterior facta sit et tradita sit emptori, hoc detrimentum spectat ad emptorem. Ante traditionem omne periculum spectat ad venditorem. Ubi vero pure contrahitur, emptio perfecta dicitur, regulariter spectat ad emptorem. Et ideo facienda est talis divisio: cum pure contrahitur aut specierum aut earum rerum que consistunt in quantitate: si specierum, tunc perfecta dicitur, et quantum ad obligationem ut venditor obligetur ad rem tradendam et custodiendam antequam tradat, et quantum ad periculum, idest ut emptor omne periculum sustineat quod culpa vel dolo venditoris non contingit, et quod contingit ante moram a venditore factam. Si vero contractum fit earum rerum que consistunt in quantitate, tunc perfecta dicitur quantum ad obligationem, idest ut venditor cogatur custodire usque ad diem prestitutum ponderationi vel mensure et post cogatur tradere; et talem custodiam cogitur prestare, qualem diligens paterfamilias adhibet suis rebus, quam si prestiterit et in maiori res perierit, tamen tenetur ad interesse, sed tamen pretio debet carere si periculum spectat ad venditorem. Nam cum quantitas venditur, et in quantitate quasi sub condicione vendi intelligitur, et ideo ante mensuram vel ponderationem factam periculum spectat ad venditorem, preterquam si emptor in mora fuit accipiendi; nam cum in mora est emptor, omne periculum spectat ad eum; ante moram emptoris omne periculum ad venditorem spectat. Sed si quantitas venditur, ut per species idem dicendum est in quantitate, venditaque dicitur in aliis speciebus, preter-
c. 35, c. quam si vinum vendatur; nam cum vinum venditur, si in specie venditur, nisi degustatum fuerit *spectat periculum ad venditorem; cum vero degustatum fuerit*, quia licuit emptori probare vel inprobare, spectat periculum ad emptorem, nisi venditor in se susceperit periculum. Nam cum in se suscepit, eatenus sustinebit quatinus suscepit; si non suscepit, usque ad degustationem sustinebit cum in specie venditio facta sit: si in quantitate, usque ad mensuram, nec interesse signata sint dolia necne, nam signatio non facit ut vinum traditum intelligatur, sed ne dolia submittantur, quamvis alias signatio pro traditione habeatur ut in materia vendita; nam dicit res traditas videri que significate sunt; sed cum per adversionem venditur vinum, et hoc specialiter agitur ne degustaretur, periculum accionis et minoris spectat ad emptorem; si vero de degustatione nichil sit dictum, ante degustationem ad venditorem qui cogitur usque ad degustationem vel mensuram custodire die prestito degustationi vel mensure; si per emptorem stat, venditor testato debet denuntiare emptori ut tollat, aut sciat futurum ut vinum effundatur, et sic poterit per corbes interdum effundere. Sed cum de periculo hoc sit expositum, idem de commodo est dicendum.

XXXXVIII. De accionibus empti et venditi.

Qualiter emptio et venditio pretio contrahatur dictum est; nunc que acciones inde proficiscantur dicendum est. Nam cum contracta venditione et emptione alius dicitur venditor, alius emptor, aliud pretium aliud merx, sic alia actio competit venditori alia emptori; venditori ex vendito competit, emptori ex empto. Quare videndum est cui datur directa ex vendito, cui utilis; adversus quem detur, quid in ea veniat ex natura contractus, iure accionis, officio iudicis. Ei competit directa qui vendidit, et eius heredi, adversus eum qui emit et eius heredem. Ei datur utilis cuius nomine res vendita est, puta si procurator meus vendidit nomine meo, etiam mihi venditori datur utilis. Si venditor procuratori ementi nomine domini vendidit, adversus eum datur qui a procuratore emit, vel cuius nomine est empta a procuratore emptoris. Ex natura contractus id venit quod convenit, ut puta prestandum est pretium in primis, et si quid aliud convenit, ut si emptor pluris vendidisset dimidiam venditori redderet. Idem etiam in similibus. Iure actionis ea veniunt que neque sunt dicta, neque cogitata, puta venditor expensas fecit in re distracta, ut fultiendo, curando servum; et si quid c. 35, d.
ad emptorem pervenit quod non accessit rei distracte, puta si fructus separati a fundo et eruti (1) et cesi; quandoque etiam ad solvendum competit, etiam ad hoc ut patiatur servitutem imponi cum sibi exceperat; sed hoc ex natura magis pacti quam iure solius accionis.

Offitio iudicis veniunt usure, puta si fuerit emptor in mora, vel perceperit fructus ex re empta. Item officio iudicis purgatur dolus, si dolus incidens fuit vel res iniquitatem in se habuerit.

Ex empto competit emptori. Similiter videndum est cui competit directa ex empto, cui utilis, adversus quem datur, quid in ea veniat ex natura contractus, iure actionis, officio iudicis. Directa ei competit qui emit et eius

(1) *Cod.* ruti.

Source : BIU Cujas

heredi, adversus eum qui vendit et eius heredem. Utilis datur ei cuius nomine *res empta est, puta procurator tuus, tuo nomine emit.* Adversus eum datur qui non vendidit per se sed per servum, procuratorem. Ex natura contractus id venit quod convenit, puta traditio ipsius rei, et si quid specialiter convenit; nam receptum est ut pacta specialia dent formam contractibus. Iure accionis id venit quod neque est dictum, neque cogitatum. Nam ex bono et equo que neque sunt dicta, neque cogitata veniunt, veluti si res non tradatur que iure pacti in primis tradenda est. Ad interesse iure accionis convenitur; quod contingere dicitur sive quia per venditorem factum est quominus tradi possit sive quia ratione ipsius rei non valet contractus; agitur ad interesse, puta ignoranti vendita est res sacra, religiosa, liber homo. Nam quia res tradi non potest, agitur ad interesse, idest quanti interfuit ne deciperetur. Preterea iure accionis de evictione cavere debet; eo non satisdante, debet condempnare quanti plurimi periclitari oportet. Item emptori tenetur ut in lite de possessione prestet eum potiorem et accessiones prestet. Cogitur etiam prestare dolum et latam culpam et levem et si quas acciones quesivit, venditor re amissa sine dolo et culpa cogitur eas mandare. Preterea tenetur ut in animalibus prestet esse, bibere ut oportet, et non esse vitiosa, et noxiis esse soluta. Sed cum teneatur de predictis venditor et de quibusdam aliis, aliter tenetur sciens, aliter ignorans; sed sciens tenetur ad interesse quod est circa rem et extra rem, ut si vendidit pecus morbosum, aut tignum vitiosum, tenetur quanti
c. 36, a. interest, vel ratione ipsius rei, et quod interest ratione aliarum rerum, ut si pecora tua contagione venditi animalis perierunt, ut edes vitio tigni corruerunt; si ignorans, quanto minoris empturus essem, si scissem. Similiter qui furem vel fugitivum vendidit, tenetur de omni interesse si sciens vendidit, si ignorans interest utrum furem an fugitivum servum vendat: si furem, non tenetur nisi aseveravit bonum, frugi et fidum; et, ubi asseveravit, tenetur quanto minoris empturus essem. Ergo ignorans quis non tenetur; tenetur ideo quia mentitur. Similiter pactum prodesset ignoranti quod scienti prodesse non posset, puta ignorans vendidit rem alienam et pepigit ne teneretur de evictione. Non tenetur ad interesse, quamvis ad restitutionem preteriti teneatur. Sed si sciens pepigit, pactum non excusat eum quin teneatur ad interesse. Idem est si fundus, servus venditus est. Officium iudicis est ut contractui et accioni serviat, et preterea suo officio aliquid agat ut si res iniquitatem in se habeat suo officio in melius reformetur.

XXXXVIIII. Si quis alteri vel sibi sub nomine alterius etc.

Quia quandoque evenit ut aliquis emat nomine alterius, dicendum est quid iuris sit si nomine alterius emat, vel alias procurator emat. Ecce: si aliquis emit nomine alterius est in potestate, ei acquirit in cuius potestate est. Sed si eum habet in potestate cuius nomine emit, sibi acquirit obligationem; sed si est extraneus qui emit nomine alterius, si quidem procurator est et mandato domini et nomine domini emat, non acquirit directam actionem sed utilem. Idem est in tutore et curatore et ceteris habentibus officium publicum. Sed si ministerium gerat mandato domini quia ipse non contrahit, sed per eum contractus impletur quia solummodo verba contrahentium refert, non acquirit ille obligationem, sed contraentes per se acquirunt. Sed si procurator est et suo nomine emit, sibi acquirit, sed tenetur accione mandati ut cedat; si vero gestor negotiorum est qui nomine alterius gerit, sibi non acquirit quia noluit, alii quia non potuit, quare in detinendo dominio is potior habetur cui res tradita est. Si vero cum sibi emeret nomen alterius facit ascribi in instrumento, plus valet quod est gestum quam quod est simulatum; sed si quis emit peccunia alterius, sibi acquirit quamvis peccunia alterius numerata sit; nisi sit miles c. 36, b.
vel minor. Nam cum est minor vel miles, re tradita, datur utilis venticatio minori vel militi.

L. De rebus alienis non alienandis, et de proibita rerum alienatione vel ypotheca.

Dictum est alium alii emere non posse, sic factum alterius alteri non prodesse; dicendum est alium rem alienam non posse alienare, sic factum alterius non obesse. Sic dicendum est de rebus alienis non alienandis, et de prohita rerum alienatione sive ypoteca. Ecce: nemini permissum est rem alienam distrahere nisi fungitur auctoritate publici ufficii vel privati, vel private utilitatis. Ratione publici ufficii, ut publicani et executores litium, et tutores et magistri sotietatum et sindici; ratione privati offitii, ut procuratores; vel private utilitatis, ut creditores qui secundum legem vel pactum distraunt, quod aliis est interdictum; unde si vendiderint, domino competit vendicacio, nisi res sit usucapta, vel prescripta, vel penitus consumpta. Tunc domino rei datur accio negotium gestorum de pretio contra venditorem. Et sicuti interdicta est alienatio rerum alienarum, ita quandoque propriarum. Nam sive lex alienationem inibuerit, ut lex Iulia prodita de fundo dotali, ut si qua alia lex similis invenitur, sive pactio contrahentium in traditione rei adhibita, sive voluntas testatoris hoc fecerit, non solum prohibetur dominii translatio, sed etiam datio ususfructus vel inpositio cuiuslibet servitutis, vel pignoris vel ypothece datio prohibetur, vel emphiteosim vel manumissio.

LI. De communium rerum alienatione.

Non solum prohibita est alienatio rei que in totum dicitur aliena, sed etiam eius que pro parte dicitur propria, pro parte aliena. Nam res communis pro parte sotii alienari non potest, et ideo sotio pro sua parte com-

Source : BIU Cujas

petit vendicatio, nisi ille qui emit tutus sit prescriptione X. vel XX. annorum. Nam is qui vendidit, si ut communem vendidit et sotius ratam habuerit emptionem, et talis res erat, que pro parte vendi poterat, datur *accio negotiorum gestorum; si pro parte expediri non poterat, datur* accio communi dividundo, si inciderit in communionem; si ex sotietate erat communis, datur pro sotio; si ex hereditate, familie herciscunde actio datur. Si autem ratam non habuerit venditionem, dabitur vendicatio pro parte et communi dividundo ad dividendum; si autem propria vendidit et res non est usucapta vel prescripta, similiter competit vendicatio et communi dividundo. Si autem est usucapta, necesse habet facere ratam venditionem et agere negotiorum gestorum de
c. 36, c. pretio. Si res erat communis non ex hereditate, sed si ex hereditate petitionem haberet, petetur pretium. Nec supradicta in quolibet privato distinguenda sunt; nam si fiscus habet rem communem cum alio, et commode distrahi potest, si in solidum vendatur, potest fiscus suo privilegio distrahere, securitate parta emptoribus.

LII. Rem alienam gerentibus non interdici rerum suarum alienatione.

Sicuti prohibita erat alienatio rerum communium, ita videbatur administratione bonorum ex eo offitio unde bona tacite sunt obligata pignori, esse alienatio prohibita; quod removet, nam alienari possunt, sed cum suo honere.

LIII. De pactis inter emptorem et venditorem.

Cum de pacto principali quo constituitur emptio et venditio dictum sit, nunc de accidentibus pactis interserit; sic tractat de pactis compositis inter emptorem et venditorem: quorum pactorum fit talis divisio, quod pacta alia sunt de substantia contractus, alia de natura, alia dicuntur extranea. De substantia contractus dicitur pactum, ut pactum de augendo vel de diminuendo pretio; quod pactum sive incontinenti sive ex intervallo fiat veterem accionem informat, novam minime parit. Sed si pactum de prestando pretio certa die interpositum sit, quo non soluto intra certum tempus res restituetur, quia hoc pacto agitur ut rescindatur emptio, ex vendito agitur ut res restituatur, quamvis contra naturam emptionis agatur. Preterea prescriptis verbis agitur ad hoc ut impleatur quod convenit, quia natura accionis prescriptis verbis ea est ut fides conventionis servetur, quamvis emptio rescindatur. Sed ad hoc ut pactum emptionis compleatur non competit prescriptis verbis accio, cum nominatus contractus sit; sed si pactum legis commissorie sit interpositum, veluti si quis vendidit hac lege ut nisi intra certum tempus pretium solvatur, res inempta efficiatur; quia non hoc agitur ut persona obligetur ad rem restituendam, neque ex vendito, neque prescriptis verbis de restituenda agitur; sed tamen quia hoc pactum pro venditore dicitur interpositum, in potestate est venditoris vel pretium post diem petere, vel ipsam rem vendicare, ipso iure venditione rescissa; et una electa, ad alteram non licet redire. Et hec talis emptio pure contrahitur, sed sub conditione resolvitur; que conditio cum favore venditoris et utilitate dicitur interposita, ex voluntate venditoris dicitur convalescere vel effectu carere. Est et aliud pactum quod vocatur in diem adiectio, ex quo nulla nova nascitur accio, velut: TIBI ESTO FUNDUS EMPTUS C. NISI
QUIS MELIOREM CONDITIONEM INFRA PROXIMAS KALENDAS c. 36, d.
FECERIT; si fundum tradiderit, alius intra kalendas meliorem conditionem attulerit, emptore non parato plus adicere, potest venditor agere ex vendito ut res restituatur cum fructibus et accessionibus, nisi emptor voluerit eam retinere nomine eorum que necessario sunt errogata, et si ea que sunt errogata excederent fructus et accessiones, ex empto posset agi ad ea conservanda. Quod pactum quandoque facit ut emptio pure contrahatur, sed sub conditione resolvatur, et tunc si venditor dominus erat, transit dominium, et fructus accessiones eius sunt, et periculum ad eum spectat. Si res non erat venditoris, incipit usucapere et prescribere, et fructus et accessiones eius sunt, et periculum ad eum spectat. Quandoque sub conditione contraitur; tunc nec dominium transit, nec usucapere potest, nec accessiones eius sunt. Sed ut contrahatur pure vel sub conditione, ex proposito contrahentium distinguitur. Pactum de natura dicitur, ut si paciscatur quis ut de evictione caveatur cum fideiussore. Quod si incontinenti fiat, veterem informat et novam parit; sed si ex intervallo, defensionem, quod male explicatum est dictum. Idem distinguitur si pactum dicatur extraneum.

LIIII. Si servus exportandus veneat.

Quia quoddam pactum adicitur in venditionibus quod speciali iure censetur, ut hoc pactum: si servus vendatur ut exportetur, subiungit in titulo: « si servus exportandus veneat ». Quare videndum est si servus vendatur ut exportetur quid iuris sit. Ecce: si quis vendiderit ut exportetur, et sibi manus iniectionem servavit, si in locis prohibitis inveniatur, habet facultatem initiendi manus, si antequam ad libertatem pervenit inveniatur in locis prohibitis; sed si dominus prius dedit libertatem quam in loco prohibito inveniretur, et postea invenitur, fiscus habet facultatem revocandi mancipium in propriam servitutem. Si venditor stipulatus est penam, homo commissus est fisco quandocumque in locis prohibitis inveniatur, sive ante manumissionem sive post; sed pena a venditore petitur. Hec omnia vera sunt si a venditore pena exportationis remissa non sit, et voluntate emptoris in locis prohibitis maneat. Nam si servus in fugam conversus ibi moratur, propter hoc mancipium non aufertur emptori. Et sciendum est cui interdicitur ne in provintia moretur, nec in Italia morari debet; quia qui caret minoribus non debet frui maioribus. c. 37, a.

Source : BIU Cujas

LV. Si mancipium ita venierit et cet.

Non solum lege supradicta venditur mancipium, sed etiam hac, idest ne prostituatur, et si prostituta esset manus inicere liceret vel pena peti posset. Ea prostituta ab emptore, contra legem insertam in venditione, potest venditor inicere manus cum hanc legem inseruit; vel si stipulatus est penam, potest eam petere. Sed si venditor manus iniectionem sibi non servavit, et prostituta est, auctoritate constitutionis libera vendicatur, venditore sibi ius patronatus vendicante. Sed si venditor manus iniectionem servavit et postea prostituta sit, vel emptori prostituenti consensit, libera tamen adiudicatur quia hanc legem venditor remittere non potuit et ei ius patronatus ut indigno aufertur. Similiter si stipulatus est penam, pena peti potest, et libera iudicatur.

LVI. Si mancipium ita fuerit alienatum etc.

Est et aliud pactum quod cum mancipium venditur adicitur, idest ut manumittatur vel contra; quare videndum est si quis hac lege vendidit mancipium ut manumittatur, quid iuris sit. Ecce: si quis vendiderit mancipium hac lege ut manumittatur, et adiectum est tempus, preterito tempore, si non est manumissus ab emptore, succedit constitutio divi Marci et Commodi, et interpretatur manumissoris factum ut perinde sit liber ac si manumissus esset. Sed si tempus non est adiectum ex quo potuit manumitti, et non est manumissus, pervenit ad libertatem auctoritate constitutionis. Idem iuris est, si servus hac lege donatus est ut manumittatur; sed si pena adiecta esset si non manumitteretur, nulla est petitio pene, quia potius cogitatum fuit de effectu benefitii quam de actu manumittentis. Qui effectus constitutione interpretatur, et ideo non est secuta condicio sub qua pena promissa est. Sed si venditor vel donator voluntatem mutavit, an libertas impediatur? et dicendum est libertatem non impediri, quia contractus isti ratione penitentie non revocantur. Sed si simpliciter ob hoc ut manumitteretur dedit, penitentia dantis facit ne constitutio succedat, que succederet si in eadem voluntate perseveraret. Sed si hac lege mancipium alienatum esset ne manumitteretur, et si manumitteretur pena promissa sit, nulla est petitio pene, quia ipso iure non competit libertas, quia de efectu benefitii cogitatum est, non de actu manumittentis, nisi simi-
c. 37, b. liter ut supra de utroque cogitatum est. Sed si venditor voluntatem mutavit, mutatio voluntatis hoc facit ut nulla sit petito pene, quamvis contra legem factum inveniatur.

LVII. De edilitiis accionibus.

De titulis emptionum et venditionum satis compendiose expositum est. Quia edilitie actiones pedisseque sunt emptionis, merito infert de edilitiis accionibus, idest de reddibitoria actione et quanto minoris: vel aliter: iubent ediles quedam pacta in mancipiorum seu aliorum animalium venditione interponi, de quibus ediles loquuntur et etiam acciones reddunt, sive interposita sint sive non; et ideo de accionibus edilitiis apponit, ex quibus quandoque redibitio datur, quandoque quanto minoris agitur. Aiunt ediles ut in mancipiis distrahendis, item in aliis animalibus spetialiter de morbo et vitio repromittatur; item ut quod dictum est vel promissum prestetur. Morbus quidem dicitur corporis impedimentum qui ad usum a natura permissum corpus inhabile facit; vitium vero est animi, sed tamen aliud in homine, aliud in animali: in homine ut fugitivus et erro, in animali ut iumenta pavida et calcitrosa et ea que sine causa turbantur. Non tamen edilitie acciones de omni morbo et vitio loquuntur, sed de his nominatim que in responsis continentur; de ceteris vero ex empto agendum est. Redibitoria actio emptori datur vel eius heredi in venditorem vel heredem eius. Tenetur quidem sive scivit sive ignoravit, quia scire debuit: differenter tamen; nam si scivit et reticuit, de omnibus detrimentis tenetur; alioquin quanto minoris emptor emisset si scivisset. Venit autem in hac actione redibitio rei vendite et restitutio pretii et quod accessit pretio; item dampna data per servum; sed de his actenus tenetur ut aut dampnum resarciat, aut corpus pro noxa relinquat. Item et contra emptor venditori tenetur, si servus deterioratus sit facto emptoris vel facto familie eius seu procuratoris. Item de eo quod accessit servo, vel quod per eum acquisitum fuit, non ex re emptoris neque ex operis servi; hec tamen omnia officio iudicis expedienda sunt intra sex menses utilis post contractam emptionem. His transactis agi potest quanto minoris empturus esset si hec omnia scisset, intra utilem annum: si vero res distracta sine iudice, ex consensu utriusque partis redibita est, in factum de pretio agendum est. Item ex pacto fit redibitio, per accionem in factum infra LX. dies, veluti c. 37, c.
si convenit ut si emptori displicuisset eam redderet. In animalibus quidem principaliter edilitie actiones locum habent; per interpretationem quoque et in immobilibus competunt, veluti si fundus in quo pestibilis herba erat distractus sit. Hec omnia ita demum vera sunt si emptor ignoravit; alioquin si scivit certiorari non debuit, quia non videtur deceptus qui scit; nec certiorari debuit qui non ignoravit. Item si venditor pactus est ne de morbo seu vitio teneatur, accio cessat; nam remittentibus suas acciones non est regressus dandus in venditorem, nisi tunc cum venditor scivit et reticuit. Ad ea enim que venditor novit et scivit exceptio non prodest quia doli replicatione repellitur, sed ad ea tantum exceptio prodest que interdum venditor ignoravit et nota habere non potuit. Sciendum est in venditione, item in permutatione rerum edilitias acciones locum habere; in donatione vero non, nisi specialiter promissum est.

Source : BIU Cujas

LVIII. De rerum permutatione et prescriptis verbis accione.

De contractibus nominatibus dictum est ex quibus incerte actiones nascuntur rationabiliter; nunc de innominatis ex quibus similiter incerte actiones dantur adnectendum est. Sed quia permutationis contractus precipuus est inter ceteros innominatos, ideo de permutatione premittit ex quo prescriptis verbis actio nascitur. Sed quia hec actio non solum ex hoc contractu sed etiam ex omnibus innominatis competit, ideo generaliter de prescriptis verbis accione apponit. Iurisconsulti tamen in responsis prudentium etiam de in factum actione loquuntur, quapropter etiam nos propter affinitatem iam dicte accionis, iurisconsultorum etiam ordinem secuti, de ea in hoc contractu apponimus. Nunc de permutatione specialiter, et postea de reliquis singulis disseramus. Permutatio quidem materiam emptioni dedit, quia ab initio mummi ita non erant uti nunc sunt, et ideo percussa forma publica inventa est pecunia, cuius extimatio foret communis. Et ideo premisso speciali tractatu additur generalis. Permutatio est cum rem do ut aliam accipiam, non tamen sub extimatione quantitatis; tunc enim emptio foret. Contrahitur enim datione, non etiam solo consensu; dando enim etiam me obligas ad fidem tibi servandam, scilicet vel ad hoc ut dem quod convenit, vel si malis ut id quod dedisti restituam quasi causa datum, causa non secuta. Si autem dedi et evictum est, etiam prescriptis verbis de evictione
c. 37, d. teneor, vel ad reddendum quod accepi condictione. Item si servum dedi ob permutationem vel forte aliud animal, ea omnia et hic prestanda sunt que in venditione mancipiorum et aliorum animalium prestari solent, ideoque servum fugitivum non esse et noxa solutum esse prestandum est. Animalia quoque sana esse et esse, bibere ut oportet prestandum est. In hac autem accione id quod interest venit; cumque bone fidei sit, iudicis officium late patet. Perpetua quidem esse eam nemo dubitat.

LVIIII. De prescriptis verbis.

Explicito permutationum tractatu, nunc ad de prescriptis verbis transeundum est. Solitum quidem erat apud antiquos ut hii qui aliquid petere volebant ad collegia pontificum irent et ab eis accionem impetrarent; qui prescribebant eis verba certa si contractus vel quasi essent que nullo modo mutari poterant, et ita prescriptis verbis acciones dabantur. Si autem maleficium vel quasi esset, in factum a pretore dabatur. Hodie tamen impetratio et solemnitas illa sublata est, et certe acciones et nominate sunt invente. Sed quia natura rerum receptum est ut plures sint res quam vocabula, ideo cum nomina et actiones et contractus vel quasi existunt quorum appellationes iure civili defitiunt, ad prescripta verba decurrendum est, que et in factum appellantur; omnis enim prescriptis verbis in factum datur, non tamen convertitur. Hec autem actio ex his contractibus nasci solet, aut enim do ut des, aut do ut facias, aut facio ut des, aut facio ut facias. Si enim rem do ut pecuniam vel aliud sub estimatione pecunie accipiam, emptio est; si autem rem do ut rem accipiam, quandoque est permutatio, quandoque in generali nomine permanet. Ex quo contractu prescriptis verbis accio ad fidem servandam, vel ad id repetendum quod datum est conditio competit: quod in nominatis contractibus non evenit. Si enim rem vendidi et tradidi, licet pretium non solvatur, non tamen possum agere ad repetendum quod dedi, licet ob causam data fuit; idem ob pretium, si ex vendito agam ad pretium et usuras eius persequendas. Si autem rem do ut facias, quandoque locatio est, veluti si X. dedi ut pingas vel ut facias domum; si autem persona ea est que operas suas locare non solet, vel factum tale est quod locari non possit, veluti manumissio, prescriptis verbis agendum est ut id quod convenit faciat, aut quod interest prestetur; vel condictio ad repetendum competit. Si vero feci ut dares, et tu cessas in dando, regulariter c. 38, a.
quidem civilis accio non datur, sed de dolo agitur. Sed si abest facienti et adest ei qui factum fieri postulavit, prescriptis verbis actio datur, veluti si tu institutus eras si Sticum manumitterem; ego manumisi ut dares, et tu cessas: equum est te teneri prescriptis verbis, cum mihi absit servus per manumissionem, et tibi adsit hereditas conditione impleta. Si autem feci ut faceres, veluti exegi a tuo debitore Rome ut a meo Cartagine exigas, quodammodo mandatum est, sine quo pecunia alieno nomine exigi non potest; sed quia ex pacto contractus excedere et minuere naturam suam possum, et hic quodammodo gratuitum offitium non est, prescriptis verbis actio danda est. Contractus tamen innominati sempre similitudinem cum contractibus nominatis habent et ideo ea facere solent venire que in contractu nominato, cuius similitudinem habent, veniunt. Veluti si commodavi tibi bovem per X. dies ut tuum mihi invicem per tot dares, et meus bos aperte periit, similis est locationi, et ideo in hac prescriptis verbis actione ea omnia veniunt que in locatione prestari solent. In hoc autem differtur contractus innominatus a nominatis, quod si malefitium vel dolus in his admittitur, agendum est accione nomine eius malefitii prodita, vel de dolo si in specialem formam malefitii non cadit, at in nominatis agi potest vel actione ex contractu qua punitur maleficium vel dolus, vel speciali accione nomine eius malefitii prodita. Quare autem hec accio semper incerta appellatur, videndum est hoc ideo, quia ex incerto contractu seu ex incerta obbligatione semper nascitur, vel quia id quod interest semper continet, permittitur tamen iudici incertum extimare et ad certum deducere, quia semper certe rei vel cause sententia ferenda est, licet hec accio iuris stricti sit; quare accioni servire debet. Sunt tamen casus ubi bone fidei sit, veluti in permutatione, et cum res extimata vendenda datur certo pretio, veluti ut C. eam distrahas, et si plus habere potueris, habeas.

Source : BIU Cujas

LX. De actione in factum.

De in factum quoque actione disserendum est rationabiliter; datur enim et ibi ubi supradicta actio competit, et ubi ea non competit, veluti ex malefitio, maxime cum malefitium in proprium nomen non cadit. Si enim per lasciviam peccora mea abegisti, et alius rapuit, in factum
c. 38, b. teneris. Item si ex cenaculo tuo aliquid deiectum effusumve est, in factum actio datur, cuius actionis tenor in multis et variis articulis sepissime est admissus. Datur etenim et in in defectum legis Aquilie; nam in his dampnis que lege Aquilia non tenentur et in eius supplementum, in factum actio datur; in qua et ea omnia prestantur que in lege Aquilia veniunt, veluti si misericordia ductus servum compeditum solvisti vel occasionem mortis prestitisti, vel pecora mea fame necasti, et generaliter quotiens factum intervenit ex quo actio danda sit, et equitas subest, quare actio dari debeat. Utilis in factum danda est, veluti si patronus dolo fecit, datur enim in factum liberto. Idem in exceptione est si stricta ratione exceptio deficiat, et causa et equitas subsit quare exceptio danda sit: utilis exceptio in factum datur.

LXI. De locato et conducto.

Quia eodem modo hisdemque rationibus contrahitur locatio quo, emptio nunc de locatione dicendum est. Contrahitur enim solo consensu, habita conventione mercedis. Quid autem sit locatio, item cui competat et in quem et quid in ea veniat, item quod iudicis sit officium, spectandum est. Locatio quidem est cum usum rei mee, vel operas meas pro mercede trado. Hec accio locatori heredive eius competit in eum qui conduxit vel heredem eius et hoc sive perpetua, sive temporalis fuerit. Veniunt autem in hac actione quedam ex natura contractus, quedam iure accionis. Ex natura contractus ea prestanda sunt que nominatim inter contrahentes convenerunt, scilicet ut merces prestentur et finito usu res restituatur; et si aliquid aliud specialiter convenit, et hoc in primis prestandum est, veluti si instrumentum extimatum vel servum accepit, et instrumentum extimatum vel servus mortuus sit, tunc enim colonus tenetur ad pretium prestandum. Ex accionis natura et supra dicta veniunt, et quedam alia que neque dicta neque cogitata sunt inter contrahentes, veluti ut dolus et culpa late et levis et diligentia quoque prestetur. Item custodia etiam in eo quod rei locate accessit prestanda est, licet dictum non fuit. Vis maior et casus fortuitus non prestatur nisi ex conventione speciali, dampna quoque ab eo, sive ab alio propter inimicitias coloni illata in eadem accione veniunt. Item si male versatus est in re locata, et hoc prestatur. Immo etiam sine pena expelli potest; quod evenit et si per continuum biennium pensiones non solvantur, aut si domi-
c. 38, c. nus propriis usibus eam necessariam esse probaverit, aut si necessario domum reficere maluerit, remissis tamen pensionibus, ex conducto accio conductori heredive eius competit, in locatorem eiusve heredem. In qua similiter spectandum est quod ex natura contractus seu accionis prestandum sit. In hac actione ex natura contractus venit ut ea omnia que inter contrahentes acta sunt prestentur: in primis ut conductori frui liceat, et usus rei secundum conventionem ei prestetur, et ut instrumenta fundi et ea omnia que conductori accedere dicta sunt ei prestentur. Veniunt quidem ex natura actionis quedam, licet neque dicta neque cogitata sint, veluti ut in finita conductione et solutis pensionibus res a colono illate item inducte a domino restituantur. Item si quid vi abstulerit, eodem iuditio restituere debet, et quod in re locata necessario seu utiliter impendit et hoc ei restituendum est, etsi vis maior vel alia iusta causa, veluti uredo vel alia sterilitas omnes fructus tullerit. Et hoc dominus prestare debet, videlicet ut eatenus exoneret colonum a prestatione mercedis, nisi sterilitas probatur repensata cum ubertate precedentium annorum seu subsequentium: quo casu, etsi remissa pensio fuit, licet sub nomine donationis, tamen postea repeti potest. Et generaliter ea omnia que moris et consuetudinis sunt, ab utraque parte prestanda sunt. Et hoc de eo colono qui [1] ad peccuniam conduxit. Ceterum partiarius colonus lucrum et dampnum cum domino partiri debet. Item quandoque ex conducto agitur ad hoc ut ex conductione liberetur, veluti si res locata donata vel legata ei sit, et hoc speciale est. Iudicis officium late porrigitur in utraque actione, cum bone fidei sit. Interponitur enim tunc pro locatore tum pro conductore: pro locatore iubendo restitui ei rem locatam et dampna in ea data resarciri, facta cessione legis Aquilie, et ut merces etiam cum usuris post moram prestentur; licet enim usure in bone fidei iuditiis neque in accione neque in obligatione sint, tamen iudicis officio applicantur; pro conductore veluti ut usum rei vel id quod interest prestetur, et ut compensationes inter eos admittantur et ut omnia supradicta prestentur, et si quid aliud ex fide bona inter eos exigatur. Quin perpetue sint nullatenus dubitandum est.

LXII. De iure emphiteotico.

Est et contractus meliorationis qui videbatur quibussdam alienatio, quibusdam locatio, quorum neutrum admittitur. Ideoque his premissis cum quibus similitudinem
habet, iustissime de iure emphiteotici contractus addicitur. c. 38, d.
In quo spectandum est quid sit emphiteosis, item qualiter contrahatur, et quid sibi invicem prestare debeant, et que acciones exinde proficiscantur. Greco quidem vocabulo emphiteosis melioratio appellatur, ideoque emphiteosis contractus meliorationis dicitur. Contrahitur consensu utriusque partis, scriptura tamen ex necessitate semper interveniente, et in principali contractu et in aliis pactis ex natura contractus ibidem interponendis. Dominus emphi-

---

[1] *Cod.* quia.

Source : BIU Cujas

teoticarium in possessionem admittere debet, eo tamen prius prestante pretium seu pensiones quas se prestaturum convenit; quo id non faciente, domino permittitur rem retinere quasi iure pignoris donec universum quod ei debetur solvatur. Sin autem tradit, et emphiteoticarius per continuum triennium pensiones non solverit, vel apochas tributorum solutorum non reddat, sine pena expelli potest. Si quid autem de periculo, vel de pensionum solutione, vel de reiectione, seu de emponemata vel de alienatione sui iuris pacti sunt inter se, hoc in primis tenendum est: pacto deficiente, particulare periculum ad emphiteoticarium, totius rei interitus ad dominum redundat; non solutis pensionibus vel apocis non redditis per triennium, iure reici potest. Alienatio emponematis, vel sui iuris ita facienda est ut domino denuntietur, et si accipere maluerit ei danda est. Eo non accipiente vel non iustum pretium dante, post duos menses *emphiteota vendit alii, quem dominus mittet in possessionem, si non sit talis qui prohibeatur contrahere sicuti miles, per scripturam accipiens* ab eo quinquagesimam partem pretii: possessio enim procul dubio apud dominum est; civiliter enim, idest animo, per se possidet, naturaliter autem, idest corpore, per emphiteocarium possidet, quia suum factum dominium est. Is enim possidet cuius nomine possidet, quia si emphiteoticarius possideret, per se possessionem tradere posset; quod non amittitur. Domino vero permissum est etiam ignorante et absente emphiteoticario dominium transfere et possessionem tradere ex hoc contractu, antequam emphiteoticarius in possessionem *recipiatur Conditio ex nova lege datur ut in possessionem* admittatur; postquam vero admissus est, utilis ei in rem datur quemadmodum superfitiario et ei qui conduxit agrum vectigalem. Et hoc adversus quemlibet possessorem; verum etiam adversus dominum, si pensiones solverit. Si autem pacta extra naturam contractus interposita incontinenti fuerint, prescriptis verbis agendum est veluti de reiteranda emphiteosi, vel ut in perpetuum, vel usque c. 39, a.
ad certas personas extendatur. Item quandoque pacisci solent quatenus dandum sit pro eius reiteratione; que omnia servanda sunt. Quin autem contractus iste stricti iuris sit, nullatenus dubitandum est, et ideo iudex accioni servire debet. Sed hec quidem omnia in privatis emphiteosibus dicta sunt: in ecclesiasticis vero alie rationes servantur.

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

LIBER QUINTUS

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas



I. Incipit liber V. De sponsalibus.

AUDIVIMUS in superioribus de contractibus rerum, hoc est de contractibus quibus res adquiruntur et ab aliis in alios transferuntur, nunc audiamus de contractibus personarum, idest de matrimoniis sive de nuptiis quibus persone personis, femine maribus consortiantur: vel aliter: expedivimus in superioribus de ea societate que ius fraternitatis habet et gratia lucrandi contrahitur, consequens est ut de societate maris et femine audiamus que et matrimonium appellatur et ob liberorum procreationem cum quadam celebritate copulatur. Verum quia sponsalia preveniunt nuptias, de sponsalitiis primum dicamus; sed quia sponsalium gratia spontalitie arre prestantur et proscenetica tribuuntur, et de sponsalitiis arris et de prosceneticis adnectamus. Videamus itaque in primis que sint sponsa litia et unde dicantur, qualiter contrahantur et in qua etate, qualiter retineantur et dissolvantur alias cum pena, alias sine pena. Equidem sponsalia sunt mentio et repromissio futurarum nuptiarum, idest sperandarum. Sepe enim est ut sponsalia ad effectum non adducantur et nuptie sperate non adimpleantur. Dicta sunt autem sponsalia a spondendo, eo quod in veteribus moris erat stipulari et spondere sibi uxores futuras, unde sponsi sponseve appellatio tracta est. Contrahuntur autem sponsalia consensu mutuo eorum qui contracturi sunt; inde est ut si non habent vel aliquem sensum, vel non valeant adhibere consensum, ut furiosi, infantes et qui sunt similes.... Sed et consensum parentum in quorum sunt potestate oportet accedere: hoc ita, si parentes illi sunt mente compotes. Nam si in furore laborent, illorum tam filii quam quam filie et sponsalia contrahere et nuptias rectissime celebrare poterunt. Consensum autem parentum sic subesse oportet ut vel precedat, vel saltim subsequatur, rati enim habitio mandato comparatur. Nichil autem refert tam in sponsalibus quam nuptiis pater expressim consen- c. 39, b.
tiat vel non contradicat: intelligitur pater consentire semper, nisi evidenter dissentiat, ut Dig. de sponsalibus., l. in sponsalibus.; sane consensum patri filia in omnem casum compellitur accomodare nisi pater ei turpem et ignominiosum sponsum eligat, in filio secus, ipse enim consentire non cogitur. Si tamen a patre compulsus sponsalia contraxit vel alias invitus uxorem duxit, maluisse videbitur, ut ff. de nuptiis; ex his apparet quod voluntas coacta voluntas est. Contrahunt sponsalia post VII. annum indifferenter tam masculi quam femine, idest post infantiam, siquidem infans est qui minor annis VII. est, ut C. de iure deliberandi. l. si infanti. Dicitur infans quasi non fans, vel quia non fatur, vel quia non intelligit quod fatur; nam et vulgo non fari dicitur qui non intelligit id quod loquitur. In nuptiis autem secus est; nam mares demum post IIII. X. annos nuptias copulant, femine post XII., siquidem illarum sexus maturior atque fragilior est, ut Instit. de curatoribus. Retinentur autem sponsalia consensu contracta: eatenus durant quoad sponsorum consensus integer perseveratur; dissolventur itaque abeunte consensu, idest dissensu; sed non simplici, sed cum renuntiatione solemni que et per libellum fiat et sollempnia verba contineat: hec autem omnia fiant repudiis. In repudiis autem que proprie inter sponsam et sponsum habent, sollempnia ista verba sunt prodita: CONDITIONE TUA NON UTAR; in divortiis autem coniuges hec alia: RES TUAS TIBI HABETO (1), ut ff. de divortiis., l. II. Hodie tamen promiscue et repudium divortium et divortium repudium

(1) *Cod.* habeo.

Source : BIU Cujas

appellamus. Dissolvuntur autem sponsalia et sine pena et cum pena; sine pena si vel propter personam, vel propter aliam causam legibus vel generalibus constitutionibus interdictam futurum matrimonium constare prohibetur, ut C. de sponsalibus., l. IIII., sed si qua fuerint data, ut si arre fuerint prestite, restituuntur, nisi is qui dedit causas predictas agnoverit, sicque vitio laboraverit. Eadem et in suscipientibus dicta intelligantur, ut C. de sponsalibus., l. IIII. Ex his itaque colligere licet quia sponsalia nullo repudio disolvantur, alias cum pena, alias sine pena, ut non reputantur que fuerint prohibita. Dissolvuntur quoque sponsalia morte, quo casu tam arras quam cetera que sunt data iubemus restitui, nisi causam ut nuptie non adimpleantur persona defunta non prebuit, ut C. de sponsalibus., l. III.; tunc enim nec sponsalitie arre sunt restituende. Dantur autem sponsalitie arre, res sive pecunie, que a muliere, vel ab eius parte sponso vel eius parti
c. 39, c ob matrimonium perficiendum prestantur, vel e contrario. Sepius tamen fit ut a sponso vel ab eius parte dentur arre, quam a sponsa vel ab eius parte. Quid ergo si per datorem steterit ut matrimonium non adimpleatur? Debebit arras amittere. Si per susceptorem, arras debebit duplicare, non quadruplicare sicut olim institutum fuerat, nisi quadruplum in pollicitationem sit deductum, ut C. de sponsalibus., l. ult.. Nec obloquitur quod matrimonia debent esse in contrahendo libera, licet pena arrarum displicandarum vel admittendarum ex lege immineat; quod enim dicitur non debere obstringi matrimonia vinculo pene, sic exaudiatur: si pena conventionaliter promittatur. Quid ergo dicemus de conventionali pena in quadruplum quam super arris datis stipulari permittitur? et forte dici potest utrumque, quia hoc in casu non matrimonia, sed sponsalia vinculo pene obstringuntur, vel quod melius est alias matrimonia debent esse libera ubi nichil nec arrarum nomine prestitum est; sane si arre fuerint date, is qui eas dederit etiam in quadruplum sibi debere restitui ab accipiente, si per ipsum steterit, stipulari poterit. Si ergo dixerimus de sponsalibus constare, quia sponsalia sepissime interpositis personis que proscenetice appellantur sive proscenece expediuntur, ut Dig. de sponsalibus. l. ult.. de prosceneticis audiamus. De his dumtaxat loquitur constitutio greca: illi proxenetici dicuntur sive proscenece persone appellantur, vel alias proscenete nuncupantur, qui matrimoniorum conditiones inquirunt et alterius alteri statum renuntiant. Hii placitatores vulgariter appellantur, sed forte in titulo de prosceneticis neutraliter debet intelligi: hoc est ut prosenetica ea intelligantur, scilicet munera que proxeneticis idest predictis mulierum placitatoribus dantur; hec, inquam, proxenetica honestate accipiuntur, sed cum rubore petuntur, ut ff. de censibus. Nam et alias generaliter verum est honestius dare quam petere; quod tamen si proxenetica fuerint sollempniter in stipulatione deducta, certe iure licito, accione quoque proposita poterunt exigi. Ad hec queri solet si sintne sponsalia contractus. Et quidem cum sint pacta sponsalia et obligatoria non frustra contractibus obligabuntur, quippe nichil aliud est contractus quam pactum obligatorium. Emergit et alia questio: oriturne ex tali contractu c. 39, d.
accio? Sed cur non est? Ecce enim si stipulatio intercesserit, ex stipulatu agatur; si iuramentum prestitum fuerit, in factum accio intendatur. Tertia deinde sequitur questio: ad quid scilicet agatur cum nullum interesse hic peccuniarium deprehendatur sponsalitii? Et certe si arre fuerint prestite, de arris agitur, sive precise uterque compellitur, nisi libellus repudii sollempniter dirigatur. Cum enim condictionis accionibus precise quis compellatur dare vel facere, non est absurdum si et is qui sponsalia contraxerit per presidem presulemve compellatur complere et ad effectum matrimonium deducere. Amplius revocatur in dubium si sitne matrimonium consensus et idem seu alius consensus sponsalium. Et certe nihil aliud est matrimonium quam precedentis consensus adimpletio sive perfectio: hoc quoque fit per ductionem uxoris in mariti domum: ex ordine, quippe consensui sponsalium addita ductio, ipsaque sola addita, matrimonium facit et complet, eo salvo quia scriptura interdum ex necessitate exigitur, ut si concubinam in matrimonium velit sibi copulare. Ergo matrimonium nec idem consensus est nec alius ac consensus sponsalium; nempe nichil aliud est matrimonium quam consensus in sponsalibus initiatus ad factum usque perductus. Matrimonium ergo nomen non est iuris, nomen sed facti; sic ergo quod promiseris vel vendideris tradendo post alium contractum non instituis sed satisfaciendo illum contractum qui institutus fuerat ad effectum deducis; ita si sponsa fueris et me te in domum meam ducere patiaris, alius sive novus consensus non initur, sed qui retro fuerat initus ductione perficitur; quippe, sicut se habet traditio in contractibus rerum, sic se habet ductio in contractibus personarum: hoc est sicut traditio exigitur post contractum realem, sic ductio perficit et consumat contractum sponsalitium sive sponsalem.

II. Si rector provincie vel ad eum pertinentes sponsalia dederunt.

Exposuimus in superioribus de sponsalibus et de sponsalitiis arris in genere; nunc audiamus in quadam specie, idest si rector provincie vel ad eum pertinentes dederunt sponsalia et sponsalitias arras; sic enim verbum istud exponitur in C. si nuptie ex rescripto petantur., l. I.; ad eum autem pertinentes hic oportet intelligi non quoscumque sibi subiectos sed filios aliosve domesticos; hii, inquam, omnes cum ea que de provintia est oriunda vel alias ibi domicilium habet, nuptias non possunt contrahere, licet c. 40, a.
sponsalia valeant celebrare, ut ff. de nuptiis., l. si quis.: hoc est licet permittantur matrimonium initiare, non tamen possunt consumare. Nam et alias mulier marito mortuo, infra annum non nubet, licet eam sponsam fuisse non nocet, ut Dig. de infamibus., l. solet. Quid ergo si predicte persone, idest rector provintie vel ad eum per-

Source : BIU Cujas

tinentes arras dederint? Profecto distinguitur mulieres sibi subiecte et earum parentes voluntatem spontaneam adhibuerint coactamve, cum modo mutaverint voluntatem post depositum officium; nam si primum sponte voluerunt et nunc deposito presidatu nolunt, arras acceptas debent restituere, sed tantummodo in simplum, ut Dig. de nuptiis, l. si quis.; verum rigor iuris suadet in duplum; quia per mulierum remanet vitium. Porro si ab initio coacte voluerunt, postque depositionem officii nolunt, pignora sibi data retinent, arrasque sibi prestitas poterunt lucri facere: sane si mulieres earumque parentes voluntatem non mutaverint, idest in eodem consensu perseveraverint, matrimonium quod fuerat inutile fit utile, quod fuerat irritum efficitur ratum. Enimvero qui in patria sua militant, eadem ratione uxorem ducere non prohibentur, ut ff. de nuptiis., l. eos.

III. De donationibus ante nuptias vel propter nuptias et sponsalitiis.

Audivimus in superiori tractatu de quibusdam preparatoriis nuptiarum; et quia tam donationes sponsalitie quam ille que vocantur ante nuptias sive propter nuptias plerumque preveniunt nuptias, antequam ad tractatum nuptiarum veniamus, de his omnibus audiamus. Videamus itaque que sit donatio sponsalitia, quando fiat et quot modis sponsalitia dicatur, et qualiter revocetur eadem, et de donatione propter nuptias explicemus. Et quidem donatio sponsalitia appellatur quam sponsus confert in sponsam vel contra: hoc fit perraro, quippe genus mulierum avarissimum atque tenacissimum promptius est ad accipiendum quam dandum. Fit autem donatio ista antequam nuptiarum festivitas celebretur; inde est quod, si sponsus sponse donaverit die nuptiarum, sic distinguendum est ut, si penes se donaverit, donatio sit nulla; si in domo sponse, valeat, ut C. de sponsalitiis donationibus., l. cum in. Idem fortassis erit si in via, cum ducit illam, illi do-
c. 40, b. naverit. Invenitur autem donatio ista sponsalitia facta alias firma alias prorsus simpliciter, ut nec nuptiis non secutis restituatur, ut C. eod., l. si mater., alia fit matrimonii tantum intuitu.

Donatio quoque propter nuptias equivoce et contra ydioma sermonis sponsalitia nuncupatur.

Prima donatio sponsalitia non, nisi iure communi repetitur, idest vel per ingratitudinem, vel si acceptor dictam non adimpleverit legem, puta quod sponsus ei que modo est sua sponsa antequam fieret sponsa donare proposuit.

Ea autem donatio sponsalitia que matrimonii contemplatione celebratur ita repetitur, si per accipientis vitium matrimonium non sit adimpletum; ergo si per dantem eiusve partem steterit, repetitio cessabit, ut Cod. eod., l. cum veterum. Quid ergo si ante nuptias alterutrum mori contigerit? Distinguitur osculum intervenerit necne. Si non intervenerit, donata restituantur; si intervenerit distinguitur cui donaverit; sponsus sponse vel sponsa sponso, Si sponsus sponse donaverit osculumque perceperit, interveniente morte sponsus heresve eius rei donate dimidiam tantum partem revocabit; si vero sponsa sponso donaverit, licet osculum dedit totum revocabit, ut C., eod. l. si a spons.; hec ita tam varie, quia ivir dicitur osculum accipere non dare, mulier dare non accipere; sed et eo quia mulieris condictio ubi prebet osculum, cum incurrat ruborem, fit durior, vir autem accipiendo osculum nichil creditur amittere, eiusque conditio redditur melior, posteaque ad propria remeat alacrior.

Donatio propter nuptias ea dicitur que a sponso vel marito eiusve parte sponse vel uxori constituitur; hec et antiferna nuncupatur, quippe est donatio: ferna, idest dos, anti: contra, inde antiferna: contra dotem donatio seu propter nuptias; parapherna: iuxta dotem. Fit autem donatio ista propter nuptias, ut iam dictum est, et ante nuptias et postea; augetur similiter et ante posteave. Sed et insinuatur non tantum ante eam sed etiam postea; insinuatio tamen nullatenus desideratur etiam si ab alio in viri personam celebretur. Hoc quantum ad mulierem; a viro autem qui eam dederit insinuatio omissa illi est offectura, etiam si pacta dotalium instrumentorum sue parti concedant.

Augmentum autem ita fieri oportet, ut si altera pars augeat et altera ex necessitate augere debeat, eo notando quia si mulier inmobilis substantie domina res mobiles c. 40, c.
dederit in augmentum in hac parte nullum habebit privilegium, secus circa constitutionem primam. Nempe quod post matrimonium augmentum fit, machianatum creditur, et sinistram gratia creditoris suspitionem adducit, ut Auth. in coll. VII. de qualitate dotis § dedimus.

In summa illud sciendum est: quod et dotes et donationes propter nuptias equis passis in omnibus et per omnia ambulare debent, idest in constitutione, quippe dos data vel pro data habita donationem propter nuptias meretur si a muliere petatur. Quid enim si mulier dotem dare voluit et ubi accipere recusavit? Mulier in quid danti similis est et donationis exactio non est declinanda, ut in Auth. in coll. VII., constit. V., ut exactio., § illud. Sed et in auctione debent esse pares; in pactione quoque, adeo ut si pactum de lucrando in dote fuerit factum non in donatione, vel e contrario utrobique, tamen factum interpretemur; sed et si pacta fuerint disparia, maius pactum deducemus ad minus.

Hec autem promisse donationis nomine non tantum personalis actio sed et in rem utilis mulieri decernitur et presertim post dissolutas nuptias.

IIII. De nuptiis.

De his dicendum, videamus itaque quid sint nuptie et unde dicantur, qualiter contrahantur et in qua etate, et que nuptie sint permisse et que prohibite. Nuptie sive matrimonium sunt maris et femine coniunctio, individuam vite consuetudinem continens. Et certe nuptie sunt con-

Source : BIU Cujas

iunctio animorum, scilicet non ex necessitate etiam corporum; nec enim defloratio virginitatis facit matrimonium sed pactio coniugalis. Sed nec coitus matrimonium instituit, sed consensus solus, quod qualiter intelligi debeat infra uberius exponemus. Sed et vir et mulier non ideo minus coniuges erunt quia nunquam corpore convenerunt; nam et virum forte in scolis Rome agentem et a cena non nuptiali ad ospitium redeuntem inque Tyberim devolutum, uxore deducta domi puta Tybule in suum domicilium per illius viri nuntium, ab illa muliere lugendum iuris interpretes responderunt, inque eo casu mulier forte virgo et dotem habet et de dote accionem, ut Dig. eod., l. denique.

Sequitur « individuam vite consuetudinem continens »: individuam equidem quod ad propositum et animorum votum mutuum; licet enim sepe divortio vel naturali interitu dividantur, eo tamen proposito conveniunt ut si per-
c. 40, d. petuo viverent similes essent; nam et imperator perpetuus Augustus apellatur, non quia perpetuo vivat vel augeat, sed quia si perpetuo viveret, perpetuo regnare deberet imperiumque Romanorum regere et augere. Et quia quicquid de nuptiis dictum est, de facto contingere posset inter fratrem et sororem, idcirco huic diffinitioni ita aditiendum est: coniunctio, scilicet legittima, idest cum voto coeundi probabili sive legittimo: quippe hec duo concurrere necesse est licet postea voventes castitatem nunquam coeant, idest et coeundi votum, ut ipsum sit legittimum; alioquin nullum erit matrimonium. Vel aliter nuptie sive matrimonium sunt coniunctio maris et femine, consortium omnis vite, divini humanique iuris communicatio. Idem connubium, atque coniugium: hec enim IIII. vocabula puto consignificantia: nuptie, matrimonium, connubium, coniugium.

Acceperunt autem nuptie nomen ab altera duntaxat sui parte, idest a nubendo: nam nubere mulierum est et non virorum; inde est quod mulier dicitur nupta non vir nuptus, vel ut Ysidorus ait: Nuptie dicte sunt ab obnubendo, idest a velando, vel quia mulieres velate incedunt, vel quia a viris velantur cum in ecclesiis a sacerdotibus ambo benedicuntur.

Contrahuntur autem nuptie, interveniente scilicet consensu eorum qui coituri sunt, etiam si filii familias fuerint; verum si inviti uxores duxerint, et tunc adhibita voluntate vel coacta maluisse videbuntur, ut ff. eod. l., si patre. Consensum quoque eorum in quorum potestate sunt oportet intercedere saltim vel post contractum matrimonium. Quid ergo si parentes, puta in furore agentes, sensum sicque consensum adhibere non possunt? Certe tunc filii familias citra parentum consensum nuptias celebrabunt. Sed et si contra fas et ius parentes filios suos uxores ducere non permittant, per presides compellendi sunt, ut Dig. eod., l. qui liberos. Sed et citra parentum consensum, si filia nupserit post XXV. annum stabit matrimonium, ut Auth. Contrahuntur autem nuptie consensu sicut dictum est, interveniente tamen ductione uxoris scilicet in viri domum, et hoc ex ordine; verum quandoque citra ordinem, ubi vir ab uxore ducitur, ut C. soluto matrimonio, l. si ingnorans. Quid est ergo quod dicitur matrimonium contrahi consensu solo? Et certe istud solo non dicitur ad remotionem ductionis, que secundum leges ex necessitate exigitur ad consumationem matrimoni, sed ponitur ad remotionem dotis, donationis propter nuptias, pompe atque scripture, que omnia sunt c. 41, a.
nuptiarum accidentia, namque cum his et sine his nuptie celebrantur. Verum sunt certi casus in quibus circa nuptias scriptura necessaria est, veluti inter inpares honestate personas, vel si concubina tuam uxorem tibi facere volueris, vel si tu maxima dignitate decoratus, libertam aliquamve de plebe minori in matrimonium tibi iungere destinaveris, ut C. eod., l. imperialis; et Auth. ut liceat matri et avie. Coll. VIII, § quia vero., et quibus modis naturales., § quia.

Contrahunt autem nuptias mulieres duodennes, masculi puberes, idest post IIII. X. annum completum, ut C. eod., l. sancimus; in ea enim etate vehementer citius contrahuntur nuptie, ut Auth. de tempore non solute dotis., quippe post has etates et sexuum qualitates calefiunt et nature incentiva moventur.

Illud autem sciendum est cum de nuptiis puelle queritur, distinguitur patrem habeat vel non: si in patris sit potestate, patris expectetur arbitrium: idem et si sui iuris sit puella, etiam vidua maxime si intra XXV, annos sit constituta. Hoc ita si patris voluntas filie sententie non repugnat, ut C. eod., l. in copulandis., et l. vidue. Sed si mulier alium sibi exposcit, aliumque pater ei dare laborat, is potior extimabitur quem sibi consulens mulier approbaverit, quippe plerumque est ut ipsius femine adversus commoda propria inveniatur laborare consilium, ut C. de sponsalibus. l. si pater,: si patris auxilio sit destituta et matris et propinquorum et presertim ulteriorum, et ipsius puelle requiratur arbitrium, eiusque stabitur arbitrio si bene sibi consuluerit. Sed si puella cultu verecundie propriam volet deprimere voluntatem, predictarum personarum concordantem sententiam preses confirmabit. Sed si discordaverint, ei deliberare permissum est, cui adulta melius sotietur, ut C. eod. tit., l. ni coniunctione.

Illud quoque notandum est quod et viri et femine quantecumque etatis et sexagenarii vel forte centenarii recte contrahunt nuptias, ut C. eod., l. sancimus.

Exposuimus qualiter contrahantur nuptie et in qua etate, quid sint et unde dicantur; modo videamus que sint prohibite et que permisse. Ut autem sciamus que sint permisse, in primis exponamus que sint prohibite; sic etenim ceteras intelligemus fore permissas.

Proibentur autem nuptie multis ex causis. Ecce: in primis ratione sanguinis inter adscendentes et descendentes in infinitum. Ex latere quoque est observanda similiter, c. 41, b.
sed non tanta: hoc est usque ad gradum tantum VII. hodie per ius canonicum; sed et iure fori non tamen populi filii duorum fratrum iungi possunt.

Source : BIU Cujas

Ratione quoque etatis prohibentur nuptie, ut inter impuberes, licet sponsalia valeant.

Affinitatis quoque ratione: est autem affinitas congnatio factitia per personas matrimoniales contingens.

Ratione quoque honestatis ut inter te et sponsam filii tui, et inter novercam tuam et filium tuum; ait enim Iulianus rectius eos facturos qui talibus nuptiis se abstinuerint, ut Inst. eod., et Dig. eod., l. si qua.

Prohibentur quoque nuptie legibus: puta lege Iulia: hoc est ne senator libertam ducat, vel scenice filiam ipsamve scenicam etiam post expurgationem. Hodie tamen senator, etiam si patronus fuerit, si dotalia instrumenta intercesserint, recte matrimonium cum liberta copulabit, ut Auth., ut liberti de cetero, § Si quis. Sed forte patrona, nisi tam ignobilis sit ut vel liberti sui honeste sint ei nuptie, nec ullam hodie habebit nurum, ut ff. eod., l. si patrona.

Prohibite sunt quoque nuptie senatusconsulto, ut inter te tutorem sive filium tuum *et pupillam tuam, inter te curatorem sive filium tuum* et adultam tuam; preterquam in casibus sicut infra dicemus, ut Dig. eod., l. non est.

Prohibentur quoque nuptie principum mandatis ut inter presides suosve domesticos et sibi subiectas, licet ipse voluerint; multo fortius, si reclamaverint. Sane si ante presidatum sibi desponsatam preses in presidatu duxerit, filiove uxorem ducenti et antea sibi desponsatam consenserit, in senatusconsultum non incidit, sane sibi subiectam desponsare potest, licet illam oriundam vel ibi domicilium habentem uxorem ducere non valeat, ut ff. eod., l. qui in provincia.

Prohibentur quoque nuptie constitutionibus principum, ut inter te et filiam tuam quod sacro fonte susceperis, inter te quoque et eam quam expositam levaveris, locoque filie illam habueris, et ut filiam educaveris, ut C. eod., l. si quis.

Sed et eam quam rapueris, etiam si rapta consensum accomodaverit, uxorem ducere constitutionibus prohiberi quippe hoc ipse velle raptarum ab insidiis raptorum inducitur, ut C. de raptu virginum.

Proibentur quoque nuptie inter te et commatrem tuam, inter te et monacham. Sed et si quocumque ecclesiastico honore gaudeas, nuptias non celebrabis nisi fueris simpliciter clericus vel lector aut cantor, ut Auth. tit. e od. c. 41, c.

Proibentur quoque nuptie legibus ut inter te liberum et servam, et inter utrosque servos sane iure populi admissum est tale matrimonium. Sed et si uxorem habeas aliam deinde superinducere non valebis, ut C. de interdictis matrimoniis., l. neminem., et C. de adulteriis, l. eum. Cetere nuptie intelligantur permisse; videlicet que non sunt proibite: prohibitarum autem alie inceste vocantur, alie inutiles nuncupantur.

V. De incestis et inutilibus nuptiis.

Videamus itaque que nuptie dicantur inceste, et que sunt pene contrahentium illas, et que sint nuptie ille inutiles. Iste autem nuptie sunt que contra castitatem atque naturam fiunt, puta inter ascendentes in infinitum, et ex latere secundum distinctionem legum et canonum. Incestas autem nuptias contrahentium pene sunt he: tales nuptie nuptie dicende non sunt, nec dos data dotis nomen habebit, sed nec de dote actioni locus erit, ut Dig. de nuptiis., l. inceste. Sed et si quid ab utrolibet coniugum fuerit datum, nullatenus repetetur: hec ita si utrumque ponamus conscium vel datorem tantum; sed fisco applicabitur, ut Cod. eod., l. qui contra. Si vero utrumque ponamus ignarum vel solum dantem, locus est repetitioni, ut Dig. de condictione sine causa., l. avunculo. Preterea ea pena imminebit, quia sicut hic incestuosi coniuges appellandi non sunt, sic et filii ex tali coitu nati nec naturales nominandi sunt, sed nec a tali parente alendi sunt, ipsumve alere debent, ut Auth. quibus modis naturales fiunt sui § ult. Ad hec et in eo puniantur tales persone tam mares quam femine, quia filiis ex tali coitu natis nec aliis quibuscumque personis quippiam dare vel relinquere poterunt hodie, licet olim liberis legittimis usque ad gradum tertium si quos haberent et adscendentibus usque ad gradum secundum et ex latere fratribus dumtaxat et sororibus relinquere permittebantur. Sed hodie incestas nuptias contrahentium pena est omnium bonorum amissio, illaque bona liberis legiptimis, si quos habent, sunt applicanda, *nisi in illis nuptiis contrahendis monstrabunt non inisse conscilium;* si desint liberi, sunt confiscanda, etiam si pater, mater, frater, sororesve, cognati fuerint in medio, secus in proscriptis dampnatisque, eorumque enim bona et agnatis congnatisque deferuntur usque ad gradum tertium c. 41, d. preterquam in maiestatisque crimine, ut Auth. ut nulli iudicum.; aut dicemus hanc autenticam utpote priorem corrigi per illam posteriorem.

Ad hoc exilium inminebit et exactoracio, verberatio quoque si plebeius fuerit incestuosus masculus, incestuosave femina.

Ad hec et ea pena incestuosum patrem commitabitur, quia, si qui filii in eius fuerant potestate, post tales nuptias sui iuris efficiuntur, ut Auth. ead., § I. Cetere prohibentur nuptie, alias inutiles esse sentimus, quibus si ius non assistit, puta si instrumenta desint ubi ius ea exigit, vel si alias matrimonia sint interdicta ut inter pupillam et tutorem seu curatorem liberosve eorum.

VI. De interdicto matrimonio inter pupillam et tutorem vel curatorem liberosque eorum.

De his agamus, et certe tutor neque sibi neque filio suo pupillam suam iure collocabit in coniugem; idem circa curatorem. Sane, si vel de facto fecerint et infamabuntur et adulterii accusabuntur, ut ff. de adulteriis., l. qui pupillam. Tale autem matrimonium ea ratione inhibitum arbitror, ne tutores pupillas et curatores adultas commodo suo immoderate dotarent, et (1) ea ratione quia

(1) *Cod.* sed.

Source : BIU Cujas

velut confessi fraudem aministrationis huius modi connubio tegere laborant, ut C. eod., l. I. Sane matrem pupilli pupilleve, adulti adulteve tam tutor quam curator filio dabit in coniugem, ut C. eod., l. II.; sed et filiam suam tam tutor, quam curator pupillo suo sive adulto nuptui collocabit, ut C. eod., l. curatorem. In talibus enim matrimoniis nichil suspitiosum occurrit. At vero tribus in casibus tutor, curator pupillam quondam suam adultamve tam sibi quam filio collocabit in coniugem, puta si fuerit a patre eis desponsata, testamentove destinata, ut Dig. de ritu nuptiarum. l. non est.; idem si post rationem redditam annumque XXV. exactum talis mulier fuerit ducta, ut C. eod., l. si patris. Hec ita se habent que de interdicto matrimonio inter tutorem et pupillam, curatorem et adultam liberosve eorum exponuntur, si quis in veritate tutor fuerit curatorve; enimvero si quis pro tutore negotia pupille aministraverit eamque sibi filiove copulaverit, tales nuptie stabunt plus valente veritate quam oppinione, nec
c. 42, a. liberi ex his progeniti vel dotes date promisseve aliquam calumpniam sustinebunt occasione amministrati officii.

Et quia similiter propter officium impediuntur nuptie quas quis potestate preditus aliusve ad eum pertinens cum sibi subiectis contraxerit, de his audiamus.

VII. Si quacumque predictus potestate vel ad eum pertinentes ad suppositarum iurisdictioni sue aspirare tentaverint nuptias.

Et certe si postestate preditus nuptias contraxerit cum sibi subiectis, invitis ipsis vel parentibus earum, sive volentibus, et presertim invitis, penis IIII. subictientur. Ecce enim licet nuptias utpote probibitas non peregerit, attamen pro tali conatu, licet conatus talis effectum non habuerit, affectu dumtaxat inspecto, in X. libris. auri mulctabitur, licet non tam male quam nichil videatur egisse; nam et qui uxorem secundam superinduxit, licet de iure id facere non potuerit, et ideo nec id fecerit, infamatur ut superius dictum est. Nec enim quod contra leges fit fieri posse dicendum est, sed et alias qui servum, suadendo ei furtum, corrumpere voluit, licet non corruperit, servi corrupti tenebitur, ut C. de furtis.

Sed et tales nuptias tam sibi quam suis preditus potetate contrahens eam penam reportabit, quia cum honorem obierit peractam dignitatem non iterabit. Immo si iterare temptaverit in ea provintia quam sibi usurpaverit habitare periuge biennium non sinatur.

Illa quoque pena quarto loco affitietur preses, quia etsi adhuc in potestate agat huinsmodi mulier cum tota sua domo eius iurisdictionem vitare valeat. Et quia nuptie vetite quandoque ex rescripto petuntur, de his explicemus.

VIII. Si nuptie ex rescripto petantur.

Petuntur autem nuptie ex rescripto quandoque que sunt permisse, quandoque que sunt inibite. Et quidem nuptie inibite, puta que fiunt contra naturam vel contra rationem divini romanive iuris, nec ex rescripto petito impetratoque valebunt; puta si quis impetraverit ut filiam fratris sororisve habeat, ut C. eod., l. ult., vel fratris premortui uxorem, etiam ab illo nunquam cognitam, ut C. de incestis nuptiis., l. penult., et ult. Sane permisse nuptie etiam ex rescripto exhabundanti inpertito valebunt, ut C. eod., l. I., circa finem. Sed et si mulier mortuo marito a principe inpe-
traverit ut infra annum nubat, ut ff. de infamibus., l. c. 42, b.
solet., nuptie ille secunde ommifariam valebunt.

VIIII. De secundis nuptiis.

De his videndum; exponamus itaque que nuptie dicantur secunde et que sint illa propter que puniantur secundo nubentes et que sint pene secundo nubentium Secunde nuptie dicuntur quecumque sunt post primas, etiam si fuerint III. vel IIII. vel ulteriores; vulgari tamen sermone secunde nuncupantur que statim post primas secuntur. Nam et alias substitutio, quoquo gradu fuerit, secunda dicitur institutio. Duo autem sunt que puniuntur in mulieribus secundo nubentibus; nimia festinatio et liberorum prioris matrimonii non servata affectio. In viris autem dumtaxat punitur quod est ultimum. Punitur autem mulier que mortuo marito nimium festinaverit tripliciter: in persona propria, in bonis propriis et in alienis. In persona propria punitur quia, si infra annum, spatium quod est luctui prefixum, nupserit, perpetuo erit infamis, nisi vel infra annum peperit, vel cum virum non elugendum habuerit, vel nisi a principe licentiam nubendi impetraverit abolitionemve infamie, ut C. eod. tit., l. si qua. In bonis propriis punitur quia licet illa non privetur ultra partem tertiam, tamen in dotem dare vel alias relinquere non poterit. Sed nec semper usque ad tertiam, puta si plurium fuerit honorata numero liberorum; verum, ut puto, in aliam quamcumque personam quicquid de suis bonis ei libuerit transferre valebit. In bonis alienis ita punitur, ut ex extraneorum voluntatibus ultimis nichil capiat. Sane congnatis agnatisque suis usque ad gradum tertium tam ex testamento quam ab intestato succedet. Quid ergo si maritus mortuus huic luxoriosissime mulieri aliquid relinquerit? Nec usumfructum habebit. Eisdem penis subitietur et que infra tempus luctus peperit si modo indubitatum sit partum ex defuncto non existere, puta si mense XI. peperit, sed etsi non cum matrimonio nupserit, sed per stuprum subcubuerit, et hoc evidens fuerit, similiter punietur ne magis luxuria honoretur quam pudicitia; nec enim leges luxuriantibus favent sed caste viventibus, ut Auth. de triente. Sed et si facto divortio infra annum alii nupserit, ne quis de prole
dubitet postea forte, penas patietur easdem. Liberorum c. 42, c.
autem non servata affectio sive prioris thori contemptio, transeundo scilicet ad secundum matrimonium, licet ipsum sit licitum, penis multiplicibus affitietur. Nam et matrimonium secundum quod mulier mortuo marito contra

Source : BIU Cujas

leges contrahit infra annum et de iure tenet et omnimodo est licitum; ergo et permissum est et vetitum; idest licitum, quippe ex eo nati liberi legptimi sint, vetitum quod ad mulieris pertinet factum. Licet ergo mulier delinqueret que secundo nubit, et presertim si infra annum nupserit, illud tamen quod fecit omnimodo de iure tenebit. Pene autem secundo nubentium etiam post annum: si quid a priore coniuge quoquo titulo percepit, eius amittit dominium et habebit usumfructum solum. Inest quia et donatio propter nuptias, quam mortuo marito, intercedente tamen pacto, lucri fecerit, omnino idest quantum ad proprietatem et quantum ad usumfructum, illico ubi convolat ad secunda vota... etiam post annum, eius donationis admittit dominium, licet usumfructum in diem vite sit potitura: quippe in donatione propter nuptias etsi alius pro viro dederit, deserit eam proprietas, ut Auth. de nuptiis., § si vero ex; si tamen liberos habet. Ergo et dominium mortuo marito habuit, et convolando postea illico amisit. Inde est ut nec ipsam propter nuptias donationem inter liberos sicut velit distribuere non possit; siquidem hoc lucrum in liberos equaliter lege distribuitur, non arbitrio parentis permittitur. Sed et hoc lucrum cedit liberis: heredes sint utrius vel utriusque, ut Auth. de nuptiis., § si vero ex.; nempe quod viro mortuo uxor ex donatione lucratur, vel quod vir ex dote uxore premortua liberis cogitur reservare quantum ad proprietatem, usufructu retento, ut Auth.; enimvero, licet per autenticam dominium quod post mortem viri statim habuerit et post convolationem illico amiserit, per Codicem tamen et habebat et post migrationem ad secundum thorum retinebat, licet quicquid ei libuerit facere non poterat. Nec enim de his que a priore viro perceperat quippiam in quamcumque personam transferre poterat preterquam in liberum liberosve quem quosve dignissimum dignissimosve censuerat. Ergo per Codicem, ut C. eod., l. femine., dominium habuit et convolando retinuit, licet non prorsus quicquid ei libuerit facere potuerit; per autenticam et habuit et amisit. Ipsum tamen dominium et postea redit si quis ex his premoriatur absque legittima sobole quantum adquiritur ex pacto non existentium liberorum. Pone enim quod mulier pepigerat, nullis liberis superstitibus se tertiam
c. 42, d. partem donationis lucraturam, si tres liberos habeat et ex his unus decesserit, tertiam tertie lucri faciet et residuum communicabitur quibuslibet defuncti heredibus, ut Auth. Quid ergo? nonne cum deficiant huic filio descendentes, ascendentium, ut matris, causa potior esse debet? Ita equidem, sed in bonis aliis secus in donatione propter nuptias, quia et thorum primum liberosve contempserat. Si ergo in predictis casibus post convolationem mulier alienaverit propter nuptias donationem, in suspenso alienatio facta manebit; si nulli decesserint evacuabitur; si vel unus decesserit, pro era parte valebit; si omnes decesserint, prorsus confirmabitur. Hec ita si due concurrant, idest si liberos habet et convolat, predicta tenebunt; si vero liberos habet et a secundis nuptiis abstinet, etiam portionem proprietatis pro numero liberorum percipiet et alienabit; sed si non alienaverit, filii postea vendicabunt, ut Auth. et C. eod., l. generaliter. Fieri potest ergo trina distinctio. Pepigit mulier aut non. Si non, nichil lucri faciet, convolet aut non, ut infra de rei uxorie., § illo.; si pepigit, vel liberos habebat vel non; si non, omnia et prorsus lucri fatiet etiam si convolet. Si liberos habet, convolat, aut non; si convolat, solum usumfructum possidebit; si non convolat, pro numero liberorum portionem proprietatis habebit et eam si volet alienabit; si ergo non alienaverit, et hec ad liberos transibit. Quid ergo si vir uxori que convolaverit, vel uxor viro similiter secundo nubenti simplicem usumfructum dederit relinqueritve? Numquid ex secundis nuptiis interibit? Nequaquam nisi a lege datus fuerit relictusve, ut Auth. de nuptiis., § si vero solum.

Ad hec et eam penam reportabit qui queve secundo nupserit, ut licet ex testamento, liberis suis succedat sicut institutus quilibet, idest et quod ad dominium et quod ad usumfructum. In successione tamen ab intestato distinguitur; nam ab intestato bonorum filii et dominium et usumfructum percipiet, paternorum vero binuba mater et maternorum pater binubus solum usumfructum habebit, ut Auth, de nuptiis. § hinc nos. Quid ergo quod in Auth. de successione ab intestato., defuncto sine liberis cavetur? Quia secundarum nuptiarum nulla mentio idest distinctio habetur, sed certe nec in hac successione distinctio est quod ad succedentis substantiam, quamquam in modis succedendi sit differentia nempe convolaverit vel non, pater materve succedet filio ab intestato. Verum diverso modo, c. 43, a.
nam sicut dictum est propriorum omnem causam possidebit, maternorum sive paternorum solum usumfructum habebit. Huic generi sermonis similis est illa locutio que circa donationes a parentibus in liberos collatas exprimitur, ut C. de donationibus inter virum et uxorem., l. donationes., vel forte dicemus autenticam de nuptiis predictam corrigi per illam alteram, utpote ultimam.

Amplius parens secundo nubens in hunc modum punietur ut viro secundo in dotem, mulieri vel uxori secunde in donationem propter nuptias dari amplius non poterit quam in unum liberorum contulerit dando reliquendove cui minus concesserit. Verum hoc mortis tempore inspici debere sciendum est, ut Auth. de nuptiis., § quia vero ac. Ergo si quid amplius marito secundo datum relictumve fuerit, post mortem dantis sive relinquentis retrahi oportebit; quippe quamdiu vivit et vir uxori in propter nuptias donationem, et uxor viro in dotem universa sua concedere potuit.

Sed in eo punietur mulier que secundo nupserit relictis liberis ut debeat cavere de restituenda donatione propter nuptias quam lucri fecerat quando decedet. Pater autem filiis nec cavere nec ratiocinia reddere compellendus est, licet universa eius bona pro rebus tacite sint ypothecata. Quod si mulier vel nolit, vel non possit

Source : BIU Cujas

cavere per fideiussorem de rebus omnibus a marito ad se devolutis restituendis vel de rerum mobilium extimatarum pretiis prestandis, res penes liberos esse debebunt, ita tamen ut caveant de danda tertia parte centesime matri usurarum nomine annuis quibuscumque temporibus, et preterea de rebus predictis restituendis, si ante matrem eos obire contigerit. Sed si aurum fuerit in donatione, cautio dumtaxat usurarum exigitur, nisi viri patrimonium habuerit aurum, ut Auth., in coll. I., const. II., § aliud.

Quid ergo fiet si neutra pars cavere velit vel possit? Res equidem penes matrem remanebunt, et eius omnia bona que habet, queque habitura est erunt obnoxia, ut C. eod., l. hac edictali. Sed et quid fiet si mater et liberi cavere desiderant? Profecto aut mater prefertur, aut qui queve primo obtullerit amittetur. Si vero similiter et eodem momento temporis tam mater quam liberi cautionem obtullerint, aut inter eos rerum fiet divisio, aut forse dirimetur contentio.

In summa sciendum est inter res donatas propter nuptias et res dotales et res ceteras quas pater materve
c. 43, b. lucri fecerint qui queve secundo nupserint hanc differentiam, ut extimo, posse notari, quia in rebus donatis propter nuptias nulla matri dispositio detur, sed legi committitur. Cetera autem lucra ita demum presumitur liberis ex eo matrimonio natis, unde illa lucra obtingeret, conservare, si non expressim transposuerit in alios ex alio matrimonio progenitos, ut Auth. de nuptiis secundis., § deinceps licet., C. eod., l. si quis.; talem vero licentiam contrariam inducat sententiam et liberos ex primo matrimonio natos ad equale participium ceterorum a donatione propter nuptias lucrorum ex secundo matrimonio obvenientium cum liberis ex illo secundo matrimonio natis vocare videatur.

X. De dotis promissione et nuda pollicitatione.

Dos quidem in primo et in secundo matrimonio datur seu promittitur, ideo de dotis promissione et nuda pollicitatione apponit. Promittitur dos per stipulationem: pollicitatio vero est solius offerentis promissio; quo casu prescriptis verbis accione peti poterat. Hodie vero in omni dotis conventione tacita stipulatio inesse intelligitur et ideo omnes dotes ex stipulatu peti possunt. Et hoc verum est sive a muliere, sive ab alio pro muliere dos promittatur. Pater tamen cogitur; item mater in casu; paternum enim officium est dotare filiam, mater vero si heretica sit dotare cogitur. Cetere persone ex voluntate hoc faciunt, dum tamen de suo qui dotem promittit semper eam dotare debeat. Et hec ita, si certa species vel quantitas promissa sit vel arbitratu boni viri se dotem daturum promisit, specie tamen vel quantitate non adiecta. Item arbitrio cessante promissio nulla est et datio. Item promissio ita demum valet, si matrimonium de facto et de iure constet.

XI. De iure dotium.

Data dote vel promissa sive ab ipsa muliere, sive ab alio pro ea, sive ipsi marito sive parti eius, quid iuris in ea maritus habeat rationabiliter spectandum est. Dos est que a muliere eiusve parte marito eiusve parti datur seu promittitur propter matrimonium, ea tamen destinatione ut semper apud maritum sit. Datur quidem dos quandoque estimata, quandoque inestimata; sed sive estimata sive inestimata, si res tradite sint marito vel alii pro eo, dominium transfertur si dominus est ille qui tradit; alioquin prescribendi conditio, seu usucapiendi, vitio rei cessante, paratur. Fructus quidem et omnes c. 43, c.
utilitates ad maritum pro honore matrimonii pertinent. In extimatis omne commodum ad eum pertinet, et ideo emptor eas alienare potest, et si predia sint et his evictis, ex empto de evictione agere potest. Si autem inestimate res evicte sunt, ex stipulatu vel conditione, si pollicitatio intercessit, agi potest; alioquin de dolo, nisi a muliere interpositus sit. In rebus non estimatis et dolum et culpam et diligentiam prestare debet; alioquin si aliter res pereunt, periculum ad mulierem spectat. Et contra si ancille dotales peperint, partus ad mulierem pertinent, et quod mancipia dotalia quesierint mulieris est, nisi ex re mariti vel ex operis suis questum fecerint. Ea enim omnia ad maritum pertinent, cum enim operas ei prestare debeant. Exhibitio quoque ipsorum ad eum spectat. Manumittere quoque mancipia dotalia, si solvendo sit, potest. Item res dotales in peccunia convertere et peccuniam in rebus potest, si utilitas dotis hoc expostulat, et gerendo negotium dotis hoc faciat. Alioquin si suo nomine ex peccunia dotali aliquid emerit, dotale non efficitur, et ideo ad eum tantum pertinet, licet ad restitutionem peccunie teneatur. Predia quidem dotalia, lege Iulia prohibente, maritus alienare non potest; licet enim in dominium eius res transeat iure civili, naturali tamen ratione et in dominio mulieris sunt evidenter. Unde conveniens est in prediis inestimatis alienationem esse prohibitam. Sine traditione vero dos constituitur si mulieri maritus C. debeat, et ipsa, dotis constituende causa, eum liberet, vel si speciem debebat velui Stichum et convenit ut pro X. eum retineat. Constante quidem matrimonio semper apud maritum esse debet, nisi ad inopiam devolvatur; tunc enim ex lege Iustiniani ab ea repetitur, dum tamen eius utilitas in usu mariti et mulieris expendatur.

XII. De rei uxorie accione.

Dictum est de dote constituenda et quid iuris maritus in ea habeat: nunc autem non solum in ea constituenda, sed etiam qualiter maritus eam, tacita stiputatione interposita, petere possit dicendum est. Itaque sublata rei uxorie accione omnes dotes petuntur accione ex stipulatu, sive insit stipulatio sive non, sive etiam inutiliter interposita sit; et hoc verum est sive a muliere sive ab alio c. 43, d.

Source : BIU Cujas

pro ea dos promittatur. Semper enim ex novo tacita stipulatio inest constante tamen matrimonio tam de facto quam de iure. In qua accione non solum id quod in dotem promissum est venit, sed et usure promisse. Si autem in conventionem deducte non sint post biennium, tamen usure peti possunt, si dos in peccunia vel in auro sit. Item si in aliis rebus constet, similiter accessiones post predictum tempus prestantur. Tacita quoque ypotheca huic accioni coheret; item bone fidei est.

XIII. De pactis conventis tam super dote etc.

Premisso tractatu ipsius dotis et propter nuptias donationum, rationabiliter natura pactorum que in his incidenter imponuntur intuenda est. Pacta enim dotalia quandoque communi iure, quandoque nituntur speciali: Communi iure veluti si pater vel alius quis dotem dando in iuditio rei sue legem imponere quam velit possit; data autem, adeo mulieri quesita est ut nec etiam pater paciscendo contra voluntatem eius ei preiudicare possit: quemadmondum e converso pactum filie patri non obstat. Speciali vero ratione censetur, veluti si mulier ius nature quod lege dotis prestitum est pacto suo destituere velit, maxime in eo casu ubi soli mulieri restitutio datur, quod pactum non admittitur, veluti si paciscatur dolum tantum non etiam culpam in rebus dotalibus prestari; non enim ideo minus diligentia et culpa prestanda est. Quamvis autem ex iure periculum ad maritum pertineat, ex conventione tamen transferri potest in mulierem, nam et dotis permutatio ita recte ex conventione fit ut peccunia in speciem vel species in peccuniam convertatur prout superius dictum est, intercedente utititate mulieris. Item fiunt quedam transmutande dotis causa, veluti si hoc actum est ut non res principales sed fructus earum in dotem sint. Estimatio quoque earum rerum que in dotem date sunt, per conventionem inminui potest, veluti si mulier paciscatur ut tanto minus in dotem habeat, quanto maritus res dotales estimatas sine dolo et culpa sua vendiderit. Item maritus ius persequende dotis *per pactum potest deteriorare, et uxor fructus dotis* ad se suosque exibendos habet. Pacta autem retentionis inita in casu mortis seu divortii ita obstant mulieri si maritus in donationem propter nuptias hec eadem adiecit. Iubentur enim in quantitate et in partibus paria esse, scilicet quod
c. 44, a. iam nobis relatum est; et si disparia facta sunt, maiora ad minora reducentur, ita ut uterque minorem partem lucretur. Sin vero uxor minus quam promisit dederit, nichilominus ex donatione percipiet, quia etsi maritus scripserit se dotem accepisse que ei numerata non est, tamen exceptio non numerate dotis adhibita distinctione ei competit.

XIIII. De donatione inter virum et uxorem.

De contractibus qui nuptiarum gratia fiunt dictum est: nunc de his qui propter matrimonium prohibentur dicendum est. Donationes enim simplices inter virum et uxorem probite sunt; nam hec non fiunt propter nuptias sed gratia nuptiarum: prohibentur, sed quia etiam inter patrem et filium (1) ratione potestatis similiter interdicte sunt, ideo et de his apponit, et qualiter ratihabitione utrequs confirmentur. Maritus et uxor et hi in quorum potestate sunt invicem inter se donare prohibentur, ut consoceri; item hii qui in eorumdem potestate sunt constituti. Desideratur quidem ubi matrimonium de iure et facto sit; alioquin tenet donatio. Sed ea quandoque utiliter revocatur, veluti si libertus filiam senatoris duxit, et donatio inter eos facta fuerit; nam et ea revocatur ne melioris conditionis sint delinquentes quam hi qui legittima contrahunt matrimonia. De personis vero inter quas donationes probite sunt dictum est; nunc qualiter revocentur, item quatenus et in quo casu permisse sunt et qualiter ex post facto convalescant dicendum est. Si enim corpus donatum est, dominium quidem non transfertur sed apud donantem remanet, ideoque vindicari potest. Quod enim uxor viro vel quod vir uxori donavit, pro possessore possidetur. Si enim quantitas est, si extat, et hec vindicatur; si autem consumpta est, condicitur ex iniusta causa; si autem aliquid donationis causa inter eos promissum est, vel exceptio datur seu, quod melius dicitur, ipso iure denegatur accio. Eatenus tamen revocatur quatenus persona que accepit locupletior et ille qui dedit pauperior est; et ideo si maritus rem alienam uxori donavit, eaque usucapta est, licet illa locupletior est, cum ille pauperior non fit, non revocatur; nec enim tamquam inter infestos et malivolos tractandum est, sed ad bonum et equum redigendum est, et ne occasione maritalis amoris invicem se spoliarent, ideo prohibitum est ut nec per interpositam personam inter se donent. Dignitatis quidem causa permittitur inter eos donatio. Item menstrui et an- c. 44, b.
nui causa, scilicet ad exibitionem furis, verum nec non etiam causa sepulture ac etiam unguentorum. Item servum manumissionis causa inter se donare possunt. Mortis quoque causa donatio permissa est; confirmantur autem donationes morte, sive coniuges inter se donaverint, sive parentes liberis. Et hoc verum est sive expressim, sive tacite ratihabitio retro redigitur, et confirmat ea que ab initio gesta fuerint, eatenus tamen quatenus tempore mortis donare vel relinquere posset, ideoque vim relicti habent, et lex Falcidia et senatusconsultum in his locum habet. Sed si pater meus uxori mee donavit, cum brevi manu pater mihi donare videtur, et ego uxori, non morte scilicet mea donatio confirmatur; quod evenit, ut si non naturaliter sed ob penam mortuus est. Sin autem ille qui accepit premoriatur, semper imperfecta est donatio, vel si quid iuditium revocare volentis appareat. Receptum tamen est ut Imperator et Augusta inter se donare possint.

---

(1) *Cod. om.* et filium.

Source : BIU Cujas

XV. De repudiis et iudicio de minoribus sublato.

Qualiter sponsalia item matrimonia contrahantur dissertum est; nunc quomodo repudio seu divortio dissolvantur dicendum est. Repudium quidem proprie fit inter sponsum et sponsam misso tamen libello: CONDITIONE TUA NON UTAR; divortium autem a diversitate, matrimonii distractio est, quod in diversas partes eunt qui disssentiunt. Quod fit quandoque cum causa iusta, quandoque sine causa. Si enim iusta causa intervenit, sine pena hoc fieri permissum est; alioquin cum pena. Que sint iuste cause facile tam ex constitutionibus imperialibus sive ex veteribus sive novis, quam ex responsis prudentium colligi potest. Si autem sine causa dissolutum est matrimonium vel altera persona prebuit causam distrahendi, tunc pena imponitur. Viro quidem permissum est lucrari dotem, si culpa mulieris matrimonium dissolutum est: e contra, si maritus prestitit causam distrahendi matrimonii, donatio propter nuptias lucrari mulieri permittitur. Si autem matrimonium sine dote et propter nuptias donatione est, tunc maritus vel uxor qui queve causam dissidii prebuit in quartam partem substantie sue puniatur: hec ita si habeant usque ad CCCC. libras auri; alioquin, si hanc quantitatem excesserit, in C. libras dapnificabitur. Sin autem bona gratia dissolvatur matrimonium, vel forte vir
c. 44, c. seu mulier ad solitariam vitam migraverit, tunc ab utraque parte dos et donatio restituatur. Mulier vero etiam annum expectare debet propter sanguinis confusionem. Sin vero mulier culpam prestiterit, tunc etiam quadriennium expectandum est. In confectione vero libelli, etiam sollempnitas desideratur, ut septem testes adsint, puberes quidem non etiam liberti.

XVI. Soluto matrimonio quemadmodum dos petatur.

De matrimonio sive morte sive divortio dissoluto satis dictum est; nunc qualiter eo dissoluto dos per accionem petatur tractandum est; ideoque cui et in quem competat, item quid in ea veniat, et quod iudicis sit officium compendiose exponendum est. Pro dote quoque restituenda mulieri partive eius ex stipulatu accio tacita et bone fidei similiter comparata est; matrimonio vero non contracto, quod dotis causa datum est translato dominio condicitur; alioquin vendicatur. Extraneus quoque dotem dando quod is pactus vel stipulatus est dotem reddi, communi iure repetere potest sive contractum matrimonium sit, sive non. Quod semper necesse est fieri in personam extranei; alias maxime et pro his dotibus que ab extraneis dantur tacita stipulatio mulieri introducta est.

Mulieri vel parenti eius competit hec accio; nam cum dos profectia est, idest sive ex re patris vel occasione eius proficiscatur, ipsi competit accio, exercenda tamen voluntate filie, nisi tunc cum filia sine consensu patris reconciliavit matrimonium. Tunc enim et invita filia soli patri competit, alias autem vel expressus consensus filie desideratur, vel pater ratam habere petitionem filiam habituram cavere debet. Si vero interim filia sui iuris effecta sit, ei vel eius heredi in solidum competit. Item si adventitia sit, et extraneus sibi pactus non est, tunc et ab initio ei soli defertur; ad heredes vero patris, filia non existente vel eius sobole, transit.

Adversus maritum competit, sive per se sive per alium dotem accepit. Item in parentes mariti quorum in potestate est, si ipsi dotem acceperant: quo casu et heredes eorum teneri procul dubio est.

Veniunt autem in hac accione, si dos inestimata est, res immobiles statim, et non tantum fructus ante matrimonium perceptos sed etiam postea, habita tamen ratione eius partis anni pro qua matrimonium stetit. Item illud quod in fructu non est restituendum est, ut ea que per alluvionem accesserunt, item ancille dotales et partus earum, et quicquid non ex re mariti neque ex operis suis quesierunt. Res vero mobiles seu se moventes, et si quid in quantitate debetur, intra annum restituenda sunt; alio- c. 44, d.
quin facta estimatione, usure ex tertia parte centesime crescunt: si vero dos estimata sit, estimatio tantum debetur. Item si quantitas fuerit, in tantumdem obligatur. Si autem res evicte fuerint, quod mulier pro evictione marito prestiterit, hoc restituendum est. Quod si id quod vir uxori debebat in dotem retentum est, cum usuris ante matrimonium debitis restituendum est, si debitum usurarium fuit; alioquin ex natura huius actionis usure post annum veniunt. Sepissime autem evenit ut in rebus estimatis prestatio vel prorsus tollatur vel minuatur. Si autem res dotales sine dolo et culpa mariti extincte vel deteriores facte sunt, non tenetur, cum maritus dolum et culpam et diligentiam tantum in his prestare debeat. Fatalitatem autem non prestat, nisi ex pacto speciali. Sed si dos ab extraneo iussu mulieris marito promittatur, eius est periculum, maxime si mulieris debitor promissor fuit, vel si postea debitum novavit, quapropter evenit ut interdum solidum, interdum nichil nisi dolo malo suam diminuit substantiam, vel cum necessarie impense ipso iure minuunt dotem, tacita tamen ypoteca in hac accione semper locum habente.

Officium vero iudicis, cum hec accio bone fidei sit, late patet; usure enim post moram offitio eius applicantur; item cautiones prestantur, vel de dote suo tempore restituenda, vel, si ad meliorem fortunam pervenerit, solidum restituturum; eo tamen non cavente, statim et in solidum condemnatur, habita videlicet estimatione temporis; item si volente muliere servum dotalem maritus manumissit, ut eius hereditatem liberti et quod ex operis eius consecutus fuerit, caveat se restituturum. Item servitutes rerum dotalium, que ob id amisse sunt, officio iudicis imponende sunt.

Source : BIU Cujas

XVII. Rerum amotarum.

Qualiter dos restituatur matrimonio soluto expositum est; nunc autem si res gratia divortii amote sunt vel a marito vel ab uxore, quomodo accione rerum amotarum repetantur exponendum est. Rerum amotarum accio marito seu sotio vel eius heredi competit in uxorem vel eius heredem, quatenus tamen ad eum pervenit. Iniquum enim hoc videbatur eam furti teneri quia quadam ratione sotietatis vite domina videtur, et ideo introducta est rerum amotarum accio ne turpis accio in mulierem detur. Item si maritus res uxoris ex eadem causa amovit, mulieri vel eius heredi datur in maritum vel eius heredem, secundum quod dictum est, rerum amotarum accio. Veniunt
c. 45, a. in accione res ammote et fructus earum; item si non extant vel nolit restituere, estimatio earum venit, iureiurando in litem admisso. Habetur enim ratio dampni et in quod postea res crevit; et etiam eius quod interest. Item qui rerum amotarum agit, si velit res in iusiurandum dimittere, cogitur pars adversa iurare nichil se divortii causa amovsise, eo tamen prius de calumpnia iurante. Compensatio quoque in hac accione admittitur, si quantitas admota sit, vel si species ad estimationem reducatur. Competit quidem hec accio dissoluto matrimonio sive divortio: constante enim matrimonio turpes acciones inter coniuges non dantur. Oritur enim ex delicto. Rei tamen persecutionem continet, ideo perpetua et in solidum datur ex hac causa etiam condictio; ideoque si filiusfamilias amovit, in pecculium datur quatenus locupletior est, vel dolo patris factum est quominus.... Idem dicendum est si filius amovit. Spectat ad officium iudicis ut redintegrato matrimonio iuditium solvatur.

XVIII. De fundo dotali.

Fundus dotalis qui proprie estimatus est non alienari nec obligari potest a marito, nec etiam muliere consentiente, et hoc lege Iulia prohibente. Alienatio tamen necessaria permissa est, vel si maritus ad divisionem provocatus fuerit.

XVIIII. Divortio facto apud quem liberi morari debeant.

Divortio facto, si liberi maiores sint, apud patrem debent morari, si minores apud matrem; iudici tamen permissum est ut is estimare possit cum quo melius morari possint.

XX. De alendis liberis a parentibus.

Alendi quidem sunt liberi a parentibus et agnoscendi; unusquisque enim sobolem suam nutrire debet, sive in potestate sint sive emancipati. Quare etiam mater vulgo quesitos alere debebit. Iudex quidem parentes cogere debet ad alendos et agnoscendos liberos pro modo facultatum, nisi hoc renuant ex iusta causa, et captis seu distractis pignoribus cohercere. Parentes hic intelliguntur omnes per virilem sexum ascendentes. Et contra, si liberi in ea causa sint ut alere parentes possint, similiter a iudice compellendi sunt et etiam puniendi. De plano quoque hoc iudici expedire permissum est.

XXI. De concubinis et naturalibus liberis.

Matrimoniorum tractatus explicitus est, ex quibus liberi nascuntur qui a parentibus alendi sunt: nunc de concubinis ex quibus quandoque liberi nascuntur qui similiter a parentibus alendi sunt, cum ex concubina que unica et in domo fuit nati sunt; item qualiter naturales sui et in potestate fieri possunt. Permissum quidem est concubinam unicam et in domo habere, maxime propriam libertam et alienam, et ideo hoc crimen stupri cessat. Naturales c. 45, b.
autem sui et in potestate efficiuntur si curie tradantur. Item si cum matre eorum legittimum matrimonium contractum fuerit, dotalibus tamen instrumentis compositis, quo casu et hic qui antea nati sunt et posteriores legittimi in potestate fiunt. Item ex nova costitutione, qui legittimos liberos non habet sed naturales tantum, ex huiusmodi licita consuetudine potest eos efficere legittimos etiam cessante matrimonio precibus principi porrectis; et hoc sive mulier iam defuncta sit, sive se se occultet, sive deliquit, vel qualitercumque venire prohibeatur, vel matrimonium impediatur sacerdotio forte. Item cessantibus legittimis, si naturales scribat in testamento heredes et hoc aditiat se velle eos fore legittimos, permittitur, dum tamen post illius mortem principi testamentum hoc ostendatur, et hoc ab eo supplicent ut imperiali et legis dono successionem optineant; filiis tamen in omnibus his casibus patri consentientibus, alioquin inviti non coguntur. Item hii qui ex ancilla nati fuerint, et libertatem ac iussu eorum habent, si cum matre eorum dotalia instrumenta contracta fuerint; et hoc ei tantum permittitur qui legittimos non habet. Iura tamen agunt ut omnes ex legitimo matrimonio querant successiones; iniusta enim libidinum desideria nullo modo a iure approbantur, immo prohibentur. Nunc de naturalium successione: permissum est parentibus totam substantian suam in liberos testamento relinquere, vel inter vivos donare, liberis legittimis non existentibus, si parentes autem eis extant quibus legitima portio debetur, ea eis relicta, quicquid residuum est in naturales trasmittere seu relinquere possunt. Intestato vero parente naturali defuncto, defitiente prole legittima, item uxore legittime copulata, existentibus naturalibus ex concubina que unica et in domo fuit et affectu indubitato copulata, in duas paterne substantie untias succedunt una cum matre, si extat, partecipandas pro virili tamen portione. Qui etiam a parentibes et a fratribus legitimis, si extarent, alendi sunt arbitratu boni viri vel a coniuge vel ab extraneis si heredes instituti sunt. E contra isti, si in ea

Source : BIU Cujas

causa sunt, et opus est, parem debitam parentibus reverentiam prestant, tam in alimentis quam in successionibus. Hii vero qui ex illecito et dampnato coitu seu ex effusa concupiscentia sunt, ab omni prorsus benefitio excludantur; qui nec etiam alendi sunt, cum a iure civili im-
c. 45, c. probati sunt. De naturalibus vero nepotibus scitum est ut in universum admittantur ad avorum successiones, legittima prole non existente.

XXII. De tutelis; qui tutores dari possunt; qualiter administrare vel conveniri debeant.

De contractibus huc usque dissertum est; nunc de quasi contractibus disserendum est. Et inter quasi contractus tutele tractatus precipuus est, ideo de tutela apponit. Tutela quidem est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum qui propter etatem se defendere nequit, iure civili data ac permissa. Qualiter autem tutores dentur, item qui dari possunt, et quo modo ad administrationem compellantur, et qua accione conveniantur summatenus videamus. Pupillis tutores a parentibus, quorum in potestate sunt, dantur in testamento; item si parentes in tutoribus dandis cessaverint, leges succedunt et agnatos ad tutelam vocant. Item patronos et liberos eorum, item parentes, si impuberes manumiserunt vel emancipaverunt. Hodie tamen novis constitutionibus et agnati et cognati tam ad tutelam quam ad successionem sine delectu admittuntur, ut qui in proximiori gradu sunt tam ad lucrum quam ad honus admittantur. Item deficientibus testamentariis et legitimis, a iudice tutores dandi sunt, qui dativi appellantur. Equum quippe est ut iudices seu magistratus provideant his qui in ea causa sunt ut se et sua tueri non possint; et ideo tutores et curatores pupillis et adultis dare debent. Dari autem possunt tam patresfamilias quam filiifamilias, dummodo perfecte etatis sint et sane mentis; item neque muti neque surdi esse debent. Compelluntur quidem ad aministrationem et satisdationem tam tutores quam curatores captis pignoribus, nisi ex iusta causa fuerint, bonis videlicet omnibus tacite pro administratione pupillis et adultis obligatis. Tutores autem tutele accione conveniuntur; curatores utili negotiorum gestorum. Veniunt quidem in his accionibus ea omnia que ex bonis pupilli vel adulti apud tutores vel curatores resident. Item si gesserunt non ut oportuit: tenentur enim de gestis et de gerendis, et quicquid dolo seu culpa in his admissum est prestant. De vi maiori et casu fortuito non tenentur. Heredi et in heredes datur etiam de eo quod dolose factum fuit. Officium vero iudicis in his accionibus, cum bone fidei sint, late patet, ideo etiam
c. 45, d. usure applicantur.

XXIII. De contrario iuditio.

Contra, tutores vel curatores contrarias actiones habent contra pupillos et adultos de eo quod eis abest vel abfuturum est propter administrationem, nisi in directo iuditio compensatio facta vel res probata fuit. Que acciones similiter bone fidei et perpetue sunt. Possunt autem plura dici de tutoribus et curatoribus; sed cum hodie fere neque dantur neque petuntur et usus eorum minime frequentatur, ideo hec compendiose dicta sufficiant; ex lectione enim tam constitutionum quam responsis prudentium ea omnia apertissime colligi possunt.

XXIIII. De curatore furiosi vel prodigi.

Et quia curatores non solum minoribus dantur, sed etiam his qui propter furorem seu propter alias causas sufficere sibi non possunt, ideo de curatore furiosi et prodigi additur. Agnati quidem ad curam furiosi ex lege vocantur: his deficientibus, a iudice dandi sunt curatores qui data satisdatione propter sacramentum prestare debent se omnia cum utilitate furiosi acturos et neque utilia pretermissuros neque inutilia admissuros. Quod nunc ex nova constitutione in omni curatore verum est; non tamen ideo a ratiociniis excusantur. Et insuper inventarium cum omni subtilitate conscribere debent, et ita res cum omni diligentia administrare, dum predia sine decreto non alienent.

XXV. De prediis et aliis rebus minorum, sine decreto non alienandis vel obligandis.

Qualiter tutores et curatores res minorum administrare debeant diligenter tractatum est; nunc quomodo alienatio vel suppositio prediorum vel aliarum rerum sine decreto prohibita est non solum in minoribus sed etiam in furiosis, dicendum est. Predia autem tam urbana quam rustica item suburbana seu mancipia necnon ea que non inter mobilia computantur, sine decreto nec a tutore seu curatore alienari possunt. In hoc verbo non solum venditio, sed etiam permutatio et in solutum datio et cetere alienationis seu suppositionis species continentur; quare nec per emphiteosim alii concedere possunt, nec usumfructum, nec aliam servitutem constituere, nec ad iuditium communi dividundo sotium provocare, licet ipse a maiori sotio possit provocari. Si autem aliquid in predium habet, veluti si emphiteoticum vel vectigale sit, idem iuris est, quod admittitur in fundo bona fide possesso vel pignori obligato, inpetrato eo vel a patre minoris ut iure dominii possidere ei liceat. Quod evenit, etsi causa dampni infecti seu legatorum iussi sunt possi- c. 46, a.
dere, quo in casu dominium longa possessione capere possunt. Et in summa nichil distrahere possunt preter ea que servando servari non possunt, ut fructus et vestes detritas et supervacua animalia. Decretum autem a quo et qualiter interponendum sit videndum est. Pretores autem seu presides decretum per se interponere debent, non etiam alii hoc mandare possunt. Ita vero decretum interponendum est si causa subest iusta, veluti es alie-

Source : BIU Cujas

num, maxime usurarium. Sed hoc in primis examinandum illud est an aliunde solvere peccuniam debitam possit, sive in numerato sive in nominibus minor habet, sive redditus sive obventiones ei debeantur. Item requirendum est an alie res mobiles seu se moventes sint preter mobilia ut ex pretio earum creditori satisfieri possit: his non extantibus, tunc predia distrahi permittendum est, creditore urgente vel usuris crescentibus. Item spectare debet utrum distrahere an pignorare permittat, et si distrahendum sit, hoc arbitrandum est ne magna possessio pro parvo debito venundetur; quapropter minores possessiones et minus utiles permittendum est ut distrahantur, prout melius minori expedire prospexerit. Et insuper requirere debet eum qui se instruat de facultatibus minoris sive libertos fideles sive parentes sive alios necessarios vel extraneos qui rerum minorum notitiam habeant, vel forte his omnibus defitientibus, rationes edende sunt ut ex his veritas probetur; et in summa hoc curare debet ut peccunia acepta creditoribus solvatur, et constituere eum debet per quem sollicite agatur ne minor decipiatur. Sin autem aliter facta est alienatio, nullius momenti est, nec decreti interpositio tenet. Sed etsi decretum adhibita sollempnitate interpositum est et minor lesus est, in integrum restituitur. Donationes tamen nec cum decreto, nisi propter nuptias donationes vel in causam dotis, fieri possunt. Sed si alienatio a minore vel cum tutore vel curatore seu cum decreto non legittime interposito facta sit, peccuniam salvam minor habeat, aut in utilitate eius versa sit, et rem seu ius suum cum fructibus vendicet, doli mali exceptione repellitur, nisi peccuniam cum usuris minor restituat. Alioquin etiam res minorum immobiles et sine decreto alienari possunt, veluti cum hoc a parente seu testatore cui minor heres est, iussum fuerit, et cum tradidit rem a defuncto venditam vel si specialiter ius c. 46, b.
venditionis a principe impetravit. Item creditor alienare potest possessionem a patre minoris vel ab alio cui minor successit sibi pignori nexam; sin autem ab alio res minoris distracta est, a bona fide accipiente prescribi X. vel XX. annis potest, post legittimum autem tempus currentibus. Item si res a minore vel curatore eius alienate sunt et maior effectus ratum habet tacite seu expressim, ex post facto confirmatur alienatio: tacite, veluti si minor distraxit vel ex alio contractu non gratuito alienavit, et quinquennium post XXV. annos preterierit; vel si forte donatio fuit et post X. vel XX. annos post perfectam etatem tacuerit; tunc enim alienatio confirmatur. Sed si a curatore predium minoris distractum sit et in ea causa pignora rei proprie curatoris obbligata sunt, licet alienatio non valet, tamen cum contractus naturaliter tenet, pignoris obligatio admittitur.

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

LIBER SEXTUS

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas



I. Explicit liber V, incipit VI. De servis fugitivis.

TRACTATUS tutorum et curatorum explicitus est quorum culpa seu negligentia vel nimia asperitate servi minorum fugiunt; cuius rei nomine non solum supradictis accionibus tenentur, sed etiam specialis accio huius delicti nomine prodita est. Et ideo generaliter de fugitivis et furtis et servo corrupto apponitur, quia etsi aliter contractaverit res minorum quam ratio administrationis postulat, et his accionibus tenentur. Item alia affinitate superiori tractatui annectitur: propositum quidem est quod de quasi contractibus; et relicta, maxime testamentarie successionis, inter quasi contractus computantur; ea ratione de his disserendum est. Sed quia successiones pretorio et civili iure deferuntur, pretorie et hereditates libertinorum patrono pretorio iure debentur, ac propterea liberti fugiunt ne operas interpositas prestent, et ut patroni debita successione defraudentur, quapropter de libertis fugitivis ac servis, sive civitatum sive privatorum sint, edicit. Fugitivi sunt qui eo animo se dominis subtrahunt, ne cum his morentur: fugere est cum tractatu aliquo latitare. Facti enim et animi est fugere; et ideo posquam fugere ceperit, etsi se peniteat, non desit penitentia
c. 46, c. tali facto nocens esse. Pena inponitur receptatoribus et his qui ad hoc eos corruperint. Recipere intelligitur qui factum scivit, idest fugitivum eum esse, et eo animo celavit ne eum domino reddat; quo casu et furti tenetur. Item tenetur, ut Dig. tit. tali., l. I., nisi infra XX dies in publicum detullerit, ut eum cum pari alio restituat vel XX. sol. pro unoquoque domino representet; que pena ei inponitur etsi bis vel ter eum receperint. Hoc verum est, nisi callide a domino missus fuerit. Si autem dominus velit fugitivos requirere, officio iudicis hoc ei permittitur, et pena inponitur apud se requirere prohibenti. Sive enim in Cesaris vel senatoris vel privatorum predio sint, hoc permittendum est.

II. De furtis et servis corruptis.

Sed quia evenit ut fugitivi non solum se subtrahant, sed etiam res dominorum, quarum rerum nomine furti accio prodita est, ideo de furtis generaliter tractat. Furtum quidem est rei contractatio fraudolosa lucri faciendi causa, vel gratia ipsius rei intercipiende vel usus intercipiendi vel possessionis. Res enim semper contratatur sive propter rem sive propter usum vel possessionem intercipiendam. Cum aliud nisi corpus contratari non potest, et ideo quod tractatum est duplatur seu quadruplatur, nisi in casu aliud dictum sit. Lucrum enim intelligitur etsi aliud donavit, quia species lucri est ex alieno largiri et debitorem benefitii sibi constituere; vel si causa libidinis alienam ancillam non meretricem subripiat, contratare intelligitur. Non solum si corpus baiuletur sed etiam si servum apud se detinuit vel rem depositam seu commodatam reposcenti non reddidit, nulla iusta non (1) restituendi causa interveniente vel etiam si aliter quam accepit usus est, quod et in re ipsa propria admittitur, veluti si debitor rem creditori obligatam subtraxit, vel cum forte aliud aliquod ius retinendi habebat. Evenit

(1) *Cod. om.* non.

Source : BIU Cujas

quandoque ut furti accio cesset, licet domino invito fiat contratatio, veluti si filius vel servus subtraxit. Furtum enim, licet furti non tenentur, faciunt. In furto quidem spectandum est personam [1] facientis ut affectum delinquentis habeat, et eius cuius furtum factum est; quemadmodum enim non est furtum, nisi sit persona doli tantum capax que faciat; ita non sit furtum, nisi cui invito res contratetur, et ideo hereditati furtum non fit nisi ea res sit in qua ususfructus alienus est, vel commodata, vel pignorata a defuncto fuerat, quibus casibus et heres furti
c. 46, d. agere potest. Alias autem in defectum accionis furti, crimen expilate hereditatis succedit. Invitus debitor videtur qui solvit ei qui se creditorem simulabat, cum conscius erat nichil omnino sibi deberi, quo caso accipiendo furtum facit. Item procurator qui ab administratione prohibitus est, et peccuniam a debitore accepit eo ignorante creditori furtum facit cum debitor ex iusta ignorantia liberatus sit. Deprehensio seu illud quod pro deprehensione habetur furem manifestum facit, nec tamen si ei ablata est, sed etiam si ab eo proiecta est; licet enim aufugit, cum visus sit ita ut non facile deprehendi possit, fur tamen manifestus est. Deprehensus accipiendus est sive ab eo cui furtum factum est sive ab alio qui re ipsa eius negotium gessit; hoc tamen antequam perferat rem eo loco quo destinavit cum re furtiva in ipsa die permanere; et ideo, licet postea cum re subtracta fur deprehendatur, manifestus non est, cum prima tantum contratatio spectatur ne ex contratatione assidua sepius furtum committatur, nisi ex prima causa furti accio defitiat, veluti si servus domino surripiat et manumissus postea contratavit, tenetur et ille qui opem et consilium dedit ad furtum faciendum. Opem fert qui ministerium atque adiutorium ad res subtrahendas prestat; consilium autem dat qui dolo malo persuadet atque inpellit ac consilio instruit quemadmodum furtum fiat, licet non sui lucri causa, veluti si gratia inimicitiarum. Et hoc ita etiam si furtum fit ab eo qui furti non tenetur, veluti ab uxore vel filio vel servo: licet enim furti non teneantur, tamen hi qui opem et consilium dederint, tenentur.

Huc usque ratio facti exposita est, nunc iuris inspectio edisserenda est. Contratata re ita ut dictum est, furtiva fit; et ideo nec emi a sciente nec usucapi a bone fidei possessore potest, nisi in potestatem domini reversa sit, nisi ipse dominus eas surripuit. Furti accio ei competit cuius interest vel eius heredi in furem et in eum qui dolo opem et consilium dedit ad furtum fatiendum. Interesse eius videtur qui dampnum passurus est non qui lucrum facturus, dum tamen ex iusta causa intersit, nemo enim ex dolo suo sibi furti accionem parit. Domino igitur semper datur nisi tunc cum eius nichil interest rem non perire. Item bone fidei possessori et usufructuario, item conductori et colono qui umum colit, quia quam statim
c. 47, a. fructus separari possunt, fiunt eius. Quadruplum in hac accione venit. Estimanda quidem res est non ex eo quod interest, sed verum rei pretium, spectanda tamen ratione temporis quanti res plurimi fuerint postquam subrepta sunt. Estimantur etiam cause rei coherentes veluti si res sub pena promissa est, vel instrumentum surreptum sit; item in liberis surreptis quod interest prestatur. Et cum aliquid ex re contratata separatur ut in lance rasa et in vino seu in acervo frumenti; hinc enim quod ablatum est estimatur. Hec autem accio cum inter dominum et alium dividitur, veluti inter debitorem et creditorem; item inter proprietarium et fructuarium, item inter dominum et bone fidei possessorem, quanti eius interest possessori habere prestatur, usufructuario sui iuris estimatio. Creditore vero agente, quandoque quod sibi debetur tantum estimatur, et tunc credito tenus agit; quandoque tota res veluti cum periculum ad eum pertinet, quo casu domino denegatur: his personis defitientibus, vel non etiam agentibus, tunc in solidum domino competit, facta ipsius corporis estimatione, maxime cum nichil aliud intersit. Communis quidem estimatio, non singularis facienda est ut supra dictum est, et ideo non quod interest, sed verum rei pretium duplatur vel quadruplatur. Evenit autem quandoque ut sepius eiusdem rei nomine furti accio nascatur vel competat, veluti si res ad dominum reversa sit et iterum ab eodem contratata fuerit. Sin vero ab alio, non furi sed ipsi domino datur; quod evenit ut alia accio detur etsi persona domini mutata sit. E converso sunt casus ut furti accio, etiam furto facto, non nascatur, veluti si a liberto vel servo, sive mercenario vel cliente admissum sit. E contra que nata est deficit, ut si falso procuratori solutum sit et dominus ratum habet. Item si maiorem penam, puta criminalem, fur passus sit, eliditur furti accio; vel si res comodata surrepta sit, et dominus commodati elegit; tunc enim a furti exceptione repellitur. Officium iudicis non late patet quia hec accio stricti iuris est, et ideo factum tantum examinare debet et de eo pronuntiare, non etiam penam imponere cum a lege interposita sit, sed hoc proferre debet utrum fur sit et an manifestus: rei tamen estimatio ei permissa est. Preter hanc accionem, personalis accio rei ipsius nomine datur, idest condictio furtiva que in heredem furis competit. Item vendicatio et ad exhibendum, et adversus quemlibet possessorem datur. Condictio tamen adversus eum qui opem et consilium dedit non competit, nisi res ad eum pervenit. Sed hec demum persone furtum facere opem et consilium prebere possunt, que doli capaces sunt et animum delinquendi habent; et ideo
furiosus et pupillus non tenetur nisi proximus puber- c. 47, b.
tati sit.

III. De operis libertorum.

Liberti, ut dictum est, subtrahunt se patronis ne operas inpositas prestent; qua de causa de operis libertorum apponendum est. Opere quidem sunt diurnum officium;

(1) *Cod.* persona.

Source : BIU Cujas

alie tantum offitiales, alie fabriles; offitiales sunt que in offitio solo et obsequio consistunt; fabriles sunt que in artifitio et pecunie prestatione constant, ut pictorie et cetere. Quis imponere operas possit et cui, item qualiter inponantur seu debeantur et quomodo exhigantur necnon, qualiter liberti a prestatione earum liberentur intuendum est. Patronis qui gratuitam libertatem prestant facultas imponendi datur: his vero qui debitam dant non hoc permittitur, cum neque operas inponere, neque ut ingratum libertum accusare possunt. Liberto non etiam servo opere inponi possunt, dum tamen si suis nummis emptus et manumissus est ei non inponantur, sed his demum quibus libertas gratuita imposita est. Inponuntur fabriles post manumissionem sive per stipulationem sive per iusiurandum; libertum enim esse optinet qui iurat, et quidem presente patrono iurandum est. Debentur vero offitiales, etsi imposite non sunt, etiam ab his qui debitam libertatem accipiunt: fabriles autem nullo modo debentur, nisi inponantur; dum tamen libertatis honerande causa hoc non fiat, propter quem metum quodvis, precipiente patrono, sustineat. Nam in hoc casu vel exceptio datur, vel ipso iure acciones denegantur. Ideoque et sotietas inter patronum et libertum honerande libertatis causa inita, ipso iure nullius momenti fit. Patroni autem et eorum liberi operas a libertis exigent, dummodo post tempus quo edi debeant. Tacite quidem inest spatium temporis inter quod prestari possunt relicto quidem temporis spatio quod ad curam corporis necessarium sit: quo casu statim committitur stipulatio. Cum patronus operas poposcerit, sive hoc adiectum sit in stipulatione sive non, *liberis quidem patronorum semper opere prestande sunt, sive hoc expressum sit sive non,* dummodo per se parentibus heredes existant. Fabriles quidem opere per se edende sunt vel etiam preterite ad estimationem pecunie rediguntur; quo casu et si indebite prestite sunt, repetuntur. Quod in offitialibus non optinet, quia natura libertus eas debet et ideo repeti non possunt. Ad estimationem autem pecunie non rediguntur; item pretium pro his deberi non potest, nisi extra ordinem id fiat. Patrono autem verguente ad inopiam, liberantur liberti a prestatione eorum ex concessione patroni, veluti si ius patrona-
c. 47, c. tus remisit; vel etiam ex lege, veluti si duos liberos vel ex eodem tempore vel diversis temporibus in potestate habuerit. Item si libertus valetudine impediatur, remittitur ei necessitas prestandarum operarum; vel si liberta voluntate patroni aut iure nupta est, aut si ad eam dignitatem pervenerit ut inconveniens sit patrono prestare operas; item si maior sit quinquaginta annis.

IIII. De iure patronatus et de bonis libertorum.

Item videndum est quomodo patroni ad bona libertorum admittantur. Id iure patronatus equissimum visum est, ut patroni et patrone itemque liberi eorum ad successionem libertorum et libertarum tam pretorio quam civili iure admittantur, liberto vel liberta sine filiis decedente. His enim existentibus, repelluntur patroni nisi exheredati fuerunt. Ideoque, si libertus testatus decesserit, iubetur patrono seu liberis eius tertiam partem suorum bonorum relinquere; quod si non fecerit, datur eis bonorum possessio contra tabulas usque ad tertiam partem bonorum liberti; sin autem intestati decesserint, vel filii ab eis instituti abstinuerint se, in solidum patroni eorumque liberi vocantur per constitutionem que de iure patronatus facta est. Item parentes patroni patrone similiter admittuntur; agnati quoque, item cognati patroni et patrone simili modo per eandem constitutionem vocantur. Et hoc verum est de his patronis qui integrum ius patronatus habent, nec suo facto, veluti ius patronatus remittendo, vel aliquo malefitio, hoc ius amiserunt, veluti si iterum libertum in servitutem petierunt, vel capitis eum accusaverunt. Item et hi ab hoc benefitio excluduntur quibus ut indignis ius patronatus aufertur: quod evenit et si liberti a principe natalibus restituti fuerint; tunc enim loco ingenuorum habentur. Quod non optinet si ius aureorum anulorum impetraverint; tunc enim patroni ad successionem admittuntur. Ius autem patronatus ad omnes liberos patroni equaliter pertinet, nisi forte patronis uni ex liberis quem in potestate habet libertum assignavit: tunc enim ille solus ius patronatus habebit cui assignatus est. Sin autem in fraudem patroni legittima portio a libertis alienata fuerit per Calvisianam revocatur, nisi forte patronus quod alienatum est ratum habuerit. c. 47, d.

V. De obsequiis patrono prestandis.

Obsequia quoque a libertis patronis seu liberis eorum prestanda sunt; ideoque famose acciones nec impetrata venia contra eos instituende sunt, item illud quod famam patroni sugillet, ut in integrum restitutio, seu in locum earum in factum actio verbis temperanda datur ut ulla doli mentio in ea habeatur. Eapropter ex omnibus causis ex quibus inter eos accio competit eatenus patroni condempnantur quatenus facere possunt, et quemlibet fideiussorem accipere debent. Item nullam iniuriam, etiam si in alias personas levissima foret, nullamque ingratitudinem similiter in eos inferre debent, nec insiurandum de calumpnia exigere. Quod quidem si fecerint, ut ingrati punientur. Que accusatio, etiam per procuratorem exerceri potest. Persona enim parentis et patroni semper honeste a liberis et libertis prospici debent; ideoque obsequia accionum reverentiam his prestare debent.

VI. De bonorum possessionibus.

Pretorio quidem iure libertorum successiones patronis deferuntur; quapropter de bonorum possessionibus generaliter apponit, ideoque qui ad bonorum possessionem et intra quod tempus admitti possunt videndum est. Bono-

Source : BIU Cujas

rum quidem possessio iuris est nomen et pluralitatem et universitatem significat; successio enim est in ius universum quod defunctus habuit, ideoque in omnibus bonorum possessores vice heredum habentur, et commoda et incommoda ea petita ad eos pertinent, et dominium rerum in omnibus his bonis que defuncti fuerunt eis attribuit, sive in corporibus, sive in accionibus consistant. Hereditas enim et bonorum possessio iuris intellectum habent magis quam corporum possessio. Itaque etiam sic bonorum possessio recte diffinitur ius persequendi ac retinendi patrimonii seu rei cuiusquam cum is mortuus fuerit. Bonorum possessionis auxilium duplex est. Datur enim quandoque contra voluntatem, quandoque secundum voluntatem defunctorum; item et ab intestato sive habentibus ius legitimum sive non: bonorum enim possessio inspecta equitatis ratione datur. Quandoque enim confirmant ius civile, quandoque impugnant, quandoque supplent. Ex testamento SECUNDUM TABULAS que signis VII. testium signate sunt, vel secundum nuncupationem que institutis heredibus datur. Item est et alia que contra voluntatem datur, que CONTRA TABULAS appellatur, que liberis preteritis, idest neque heredibus institutis neque ut oportet exheredatis, pretor pollicetur ab intestato; UNDE LIBERI,
c. 48, a. que liberis suis et emancipatis datur, nec non et UNDE LEGITTIMI ex qua agnati vocantur; item UNDE COGNATI, ex qua parte sola naturalis cognatio seu communis natio spectatur, ubi quoque et uxor sibi invicem succedit cum parentes et descendentes defitiunt; item defitientibus agnatis et cognatis UNDE VIR ET UXOR eis accomodata. Sed ex nova constitutione si coniux premoriens locuplex sit, superstes autem inopia laborat, in quarta admittitur *una cum liberis communibus alteriusve matrimonii si tres vel pauciores liberi eis sint;* sin autem plures, pro nunumero liberorum admittitur. Est et bonorum possessio extraordinaria que datur his qui ex legibus, vel senatusconsultis, seu ex constitutione, aut qualitercumque succedunt, dumtamen omnes qui quolibet modo succedere possunt sublata differentia sexus, agnationis et cognationis, item potestatis et emancipationis iure civili ad successionem admittantur. In bonorum possessione petenda liberis et parentibus annuum spatium datur; ceteris, C. dierum utilium, in qua successione partes non petentium petentibus accrescunt. Item priore cessante seu aliqua ratione ex dolo sequentes ex edicto successorio admittuntur. In hac successione desideratur ut apud quemlibet iudicem petatur bonorum possessio.

VII. De collationibus.

Qualiter quis pretorio iure ad successionem vocetur diligenter enodatum est; nunc autem qualiter ab eodem pretore ad honus collationis cohartentur pertractandum est; ideoque quid sit collatio, item quis conferre debeat et cui et quam rem in qua successione et quatenus seu qualiter quis conferre cogatur, videndum est.

Collatio quidem est ius quo res non hereditaria in hereditatem redigitur vel expressim vel per interpretationem.

Emancipati suis conferunt ea que ex bonis patris per emancipationem consecuti sunt, vel ea omnia que patri quesita essent, si emancipatio facta non esset, et tempore mortis patris in bonis eius fuerunt, eo deducto quod ab his aliis debetur, sed hoc ita demum si sui ex interventu emancipati incommodo afficiuntur; alioquin, si nichil suis ablatum est, collatio cessat. Sui emancipatis non conferunt; item sui inter se nichil conferunt, nisi dotem et propter nuptias donationem, et si aliquid aliud expressim lege dictum est, ut simplex donatio; quando ab altera parte dos seu propter nuptias donatio confertur, quamvis alias hec donatio non confertur, nisi sub ea lege data sit. Liberi qui neque sui neque emancipati sunt suis et emancipatis conferunt dotem et propter nuptias donationem a substantia eius profecta de cuius bonis agitur. Quod opti- c. 48, b.
nebat cum inminutione tertie partis, que imminutio novo iure coartata est.

Que res conferri debeat per singulas species dictum est: emancipati, ea omnia que ex bonis patris vel que patri quesita forent; sui, dotem et propter nuptias donationes, item in casu simplici omnem donationem. Quod dictum est fundum filiefamilias a patre donatum in divisionem venire, et precipuum non ei adiudicari, sic intelligendum est cum neque in eam futurum iuditium contulit, neque pure donavit; immo in peculium fundum ei habere permisit, prout ab iurisconsultis in titulo de rei vendicatione responsum est. In successione intestati collatio erat facienda, sed hodie ex nova constitutione tam ex testamento quam ab intestato et inter omnes liberos qui quolibet iure succedunt, nisi specialiter a parente prohibitum est, collatio facienda est ex omnibus iam dictis causis; videlicet ut interim conferant quantum tempore mortis parentis in bonis habent vel dolo fecerint quominus habeant, vel tamen exceptis que aliis debent. Quod honus in heredes quoque eorum ab utroque parte transit: hii vero qui ex testamento iure ex voluntate aliquid capiunt, non etiam iure universitatis succedunt, ad collationem non artantur.

Eatenus pretor seu ius civile eos ad collationem conpellit ut his qui conferre renuunt commodum seu acciones hereditarie denegentur.

Ita collatio facienda est ut si res que conferende sunt apud eos sint, in divisione veniant; alioquin si apud alium sint, veluti dos apud maritum, eatenus minus ex portione hereditatis sumere debet quatenus dos est, computata dote in portione hereditaria. Hoc ita si maritus solvendo est vel si mulieri inputari possit cum marito ad inopiam vergente dotem constante matrimonio ex lege Iustiniani non repetiit; alioquin solam accionem, licet inanem, conferre debet prout nova constitutio dicit.

Source : BIU Cujas

VIII. De testamento militis.

Successiones pretorio iure prout dictum est deferuntur. Item et collationes eodem iure fiunt. Qua de causa de hereditatibus iure civili deferendis dicendum est. Hereditates quidem deferuntur tam ex testamento quam ab intestato, et prima causa est testamentarie successionis; ideoque de testamentis premittendum est. Et quedam testamenta iure singulari nituntur, quedam iure communi et adhibitis sollempnitatibus constituuntur: ea ratione ea que privilegiis gaudent, ut militaria, in initio pertractantur. Testamenta militaria sunt que a militibus facta sunt. Milites enim erant qui iurabant se non evitaturos mortem propter salutem rei publice; equum quippe erat eos immunes esse a iure communi seu a solempnitatibus, cum
c. 48, c. cotidie pro republica certabant. Testamenta eorum admittuntur, sive cum scriptura fiant sive non, sive testes adsint sive non, dum tamen hoc constare possit eos testari voluisse. Qualitercumque enim voluntas eorum inveniatur, rata est etiam cessantibus omnibus sollempnitatibus; et hoc ex principum constitutionibus. Sed hoc actenus eis permissum est quatenus in militia constituti sunt. Quod conceditur et filiisfamilias militibus. Dimissis enim a militia hoc privilegium non datur, immo iure communi testamentum facere debent. Factum vero in militia intra annum post missionem valet.

VIIII. Qui testamentum facere possunt vel non.

Nunc de testamentis (1) in quibus sollempnitates desiderantur; in quibus ratio personarum que testamentum facere possunt vel non, spectandum est.

Omnes persone testamentum facere possunt, nisi hec specialiter prohibentur. In initio quidam natura, quidam casu quidam propter turpitudinem suam, quidam ratione potestatis prohibentur.

Natura: ut pupilli et pupille.

Casu: ut furiosi, mentecapti, item muti et surdi. Sed quandoque hoc a principe eis permitti potest, vel si litterati sint. Item ceci prohibentur nisi secundum observationem Iustiniani.

Propter turpitudinem: ut hi qui muliebria sui corporis passi sunt et quos leges inprobos et intestabiles vocant, item ob carmen famosum dampnati, et qui maximam vel mediam capitis diminutionem passi sunt.

Ratione potestatis; ut filii et servi qui in parentum vel dominorum potestate sunt; quod etiam prohibitum est his qui de statu suo dubitant vel errant. Idem et in servis pene iuris est.

Et in summa hoc spectandum est, ut is qui testatur integritatem mentis habeat, licet corporis valetudo interveniat.

(1) *Cod.* testamento.

X. De testamentis et quemadmodum testamenta ordinentur.

Inspecta ratione persone an is qui testatur testamenti factionem habeat, sequenti loco querendum est an secundum iuris civilis regulam testamentum factum sit: quapropter ordinandorum testamentorum gratia intuenda est.

Testamentum est voluntatis nostre iusta sententia de eo quod quis post mortem suam fieri voluit; quod elogium sive supremum iuditium dicitur cum in eo hereditas maxime directo transmittitur, cuius caput ac fundamentum heredis institutio est; cetera enim que in testamentis ascribi solita sunt appendices sunt, que sive inserta sint sive non, non tamen plus vel minus testamentum dicitur.

Ideoque et hoc maxime spectandum est, an his qui heres scriptus est testamenti factionem habet

Manifestatio autem voluntatis seu dispositio huiusmodi non qualiscumque fieri debet, sed multe sollempnitates de- c. 48, d.
siderantur, maxime cum per scripturam conficitur, et hoc ideo ne falsitas in elogiis committatur.

Forma seu sollempnitas talis est, ut VII. testes adsint his exceptis qui specialiter lege prohibentur: conditio seu prohibitio testamenti tempore consignandi testamenti, non etiam tempore mortis spectatur, et ideo nichil nocet si quid eis postea contingit. Et eorum quidem presentia uno eodem tempore et loco exigitur, ut nullo alio actu interveniente testamentum et initium et finem accipiat et ita per testes mentis manifestatio seu notificatio fiat. Sed hec voluntas quandoque in scriptis redigitur, quandoque memorie testium testantis dispositio committitur. Cum autem in scriptura recipiatur, quandoque nota sunt eis omnia que in scriptura continentur, quandoque hoc tantum eis notum est quod hec scriptura testantis sit, licet ea que in eo scripta sunt ignorentur; quod testamentum non ideo minus valet quod testator noluit omnibus suam voluntatem manifestare.

Subscriptiones autem et signacula testium in huius scripture consumatione necessarie sunt; item testatoris subscriptio in qua nomen vel nomina heredum manifestare debentur, nisi forte propria manu tota testamenti series scripta sit, et hoc nominatim expresserit; alioquin non eo interveniente, testes illud in suis scriptionibus exprimere debent, prout nova constitutione expressum est.

Anulo quidem tantum caracterem habente signandum est testamentum, sive ipsa materia signetur, sive in quo testamentum involutum est signa inpressa sint.

Scribi vero potest testamentum vel a testatore vel a tabellione vel a quolibet scriptore, etsi servus sit, dum tamen sollempnitates adsint. Sed hoc heredi non permittitur. Quando autem sine scriptura conficitur idem numerus exigitur et eadem causa evocandi sunt, quia etsi ob aliam causam collecti fuerunt, tamen ante certiorandi sunt huiusmodi ordinationi adhibitos esse et ut sine scriptis testetur testator edicat: quo facto, palam, viva voce, et

Source : BIU Cujas

per se suam voluntatem recte exprimere debet, et ita suam nuncupationem memorie testium tantum committere; quod testamentum iure civili perfectum est.

Item et hoc desideratur ut, si testator liberos seu parentes habet quibus debita seu legitima portio relinquenda est, ut eos heredes instituat vel exeredet nominatim, et causam exheredationis testamento inserat, que a scripto herede probari debet; alioquin quantum ad institutiones testamentum evacuatum est; libertates vero et cetera que in eo relicta sunt valent. Et hoc per no-
c. 49, a. vam constitutionem obtinet. Antiquo enim iure diffinitum est ut testamentum in quo sui scripti non sunt, vel exheredati, ipso iure nullius momenti est; pretor tamen sive sui sive emancipati preteriti sunt, bonorum possessionem, contra tabulas dat solis liberis et parentibus, ex eo testamento legatis prestandis.

Est et aliud testamentum quod ante imperatorem conficitur, in quo sollempnitates non desiderantur: sufficit enim ibi presentia imperatoris et ceterorum magistratuum; hoc enim pro sollempnitate habetur. Item si ex speciali privilegio persone seu certis locis hoc remissum est: hec autem sollempnitas quibusdam remittitur ut rusticanis qui in eo loco sunt ubi inlitterati homines sunt, et ubi civilis scientia incognita est; antiqua enim rusticanorum consuetudo vicem legis optinet. Quandoque tamen testes exiguntur, dum tamen, si litterati adsint, pro ingnorantibus litteras subscribant et post mortem testatoris iurati deponant. Testamentum quoque recte factum rumpitur seu ad irritum devocatur, ut secundo testamento perfecto seu testatore capite diminuto; item si decennii tempus transactum est post confectionem testamenti et voluntas mutata fuerit, et evidentissime per tres testes ostendatur, aut si in secundo testamento succedentes ab intestato scripti fuerint cum in primo testamento extranei instituti erant. Nam et prius tunc testamentum evacuandum est, si secunda immo supprema voluntas cum V. testium depositione approbetur. Item ordinatio perfecti testamentis in scriptis redacta eliditur, si linum incisum, seu signacula contraria testatoris voluntate remota fuerit et post testatoris mortem testamentum vitiatur seu rescinditur, si insinuatio incongrue facta fuerit, quia et in his quoque apperiendis sollempnitas desideratur.

XI. De heredibus instituendis.

Disertum est rationabiliter que in persona eius qui testatur spectanda sint; nunc consequentur que in persona eius qui instituitur instituenda sint videndum est. Sive enim voluntas talis sit qualis supradicta est, sive omnes iam dicte sollempnitates adsint, non tamen admittitur, nisi delectus persone habeatur. Persona enim heredis qui instituitur testamenti factionem habere debet ad hoc videlicet, ut ex testamento alterius capere possit, et ideo filius et servus et furiosus heredes institui possunt, licet testamentum facere non possunt. Sunt autem persone que prohibentur, sed ex testamentis propinquiorum usque ad tertium gradum capere possunt, ut mulieres que secundo loco nubent infra tempus luctus. Item sunt persone que usque ad certum modum capere possunt ut liberi naturales.

Evenit tamen quandoque ut ille qui instituit et ille qui institutus est factionem testamenti habent, sed tamen institutio deficiat, veluti si ut filium vel ut fratrem qui non sit filius c. 49, b.
vel pater; vel ut liberum qui servus est heredem instituat non instituturus si rei veritatem sciret. Voluntas enim errantis nulla est, et ideo institutio non iusta dicitur immo nulla. Verba enim manifeste sententie nullo modo preiudicant. Sed cum de voluntate dubitatur, ut in libro Instit., ibi aliquid medium colligitur, scilicet cum voluntas incerta est, ut substitutus in partem admittatur, videlicet in quadrantem, ut ff. tit. isto, r. si pater. Si enim in obscuro testatoris voluntas sit, nec in aliquo iuditio a parte declarari potest, tunc ex ipsius iuris interpretatione dirimitur, sumptis aliunde coniecturis, tum ex interpretatione verborum, tum iudicis arbitrio hoc ad indagandum permittitur, nam defuncti voluntas in estimatione iudicis est. Evenit quandoque ut heres scriptus ad legatariorum ius redigatur, veluti si certis verbis contentus esse iussus sit, quo casu actiones hereditarie neque ei, neque in eum competunt, ideoque neque agere adversus debitores, neque conveniri a creditoribus hereditariis potest, sed iudex in familie herciscunde iudicio hoc adiudicare debet, ita ut his contemptus sit.

XII. De institutione vel substitutione vel restitutionibus sub conditione factis.

Institutiones autem, item substitutiones seu restitutiones quandoque pure fiunt, quandoque ex die vel ad diem (quo casu adiectio diei pro non scripta habetur), quandoque sub conditione: dicimus autem conditiones que tendunt ad esse vel non esse; conditiones quidem quedam potestative, quedam casuales, quedam mixte; item quedam impossibiles, quedam probrose seu contra bonos mores sunt. Potestativa est que in heredis potestate est, ideoque omnes heredes tam sui quam extranei huic conditioni parere debent, alioquin etiam filius submovetur, Falcidia legittimave tamen retenta. Casuales sunt que ex insidiis fortune vel ex facto alterius pendent, ideoque liberis non nocent nisi in eius defectum exheredati sunt, qua de causa patremfamilias intestatum efficiunt. Extraneis vero nocent, ideo ut conditio impleatur expectandum est. Mixte sunt que partim ex potestate, partim ex insidiis fortune pendent, veluti si ancilla filio nupserit, in eo quidem quod potestativa est, si per heredem stat quominus impleatur, etiam liberis nocet; si vero casus obstet, liberis non preiudicat, cum pro impleta habetur; extraneos prorsus excludit ut conditionis eventus defitiat. Optinet quandoque ut etiam alio modo conditio impleatur non quo defunctus dixit et tamen pro impleta habeatur, veluti si mater filium sub con-

Source : BIU Cujas

ditione emancipationis heredem instituit et interim pater
c. 49, c. mortuus vel deportatus est vel alias liberi sui iuris facti fuerint. Inpossibiles condictiones sunt quibus natura impedimento est, vel etiam ius quominus inpleantur, ideoque tam in stipulationibus quam in legatis nec non fideicommissis seu libertatibus pro non scriptis habentur, et hoc tam in liberis quam in estraneis verum est. Probrose vel contra bonos mores sunt que etiam a legibus interdicte sunt, veluti, si filia heres instituta sit si a marito divertit vel si homicidium vel incendium vel aliquid improbatum fecerit; ea enim omnia similiter respuuntur. Item ea que sub conditione iurisiurandi relinquuntur contra bonos mores sunt et a Pretore improbantur; ideoque relicta valent etiam si iusiurandum non prestetur, nisi libertas sub ea condictione relicta sit; tunc enim iusiurandum prestandum est. Hec autem vera sunt si condictiones inpossibiles vel alias prohibite in eorum personis quibus relinquitur imposite sunt; sin autem in eorum personis a quibus relinquitur apposite sunt, nec conditiones inplende, nec relicta prestanda sunt. Condictiones quoque expresse, quandoque alio modo intelligende sunt quam verba sonent ut in illa constitutione « Si filius meus absque testamento vel sine liberis decesserit. » lex enim non facit locum substitutioni, si alterum tantum eveniat. Item similiter substitutionem expressam verbis excludit in eadem constitutione, veluti si pater filium rogaverit ut post mortem suam hereditatem restitueret. Liberis enim legittimis vel naturalibus existentibus usque ad eum modum quo eis relinqui permissum est substitutione excluditur; quod optinet per novam constitutionem. Si filius rogatur hereditatem restituere, si sine liberis decesserit et ad monasterium vel ad aliquem venerabilem locum se et sua postea transtulerit et in eodem habitu perseveraverit, cum Deum sibi quodammodo elegerit, equum est restitutionem seu substitutionem cessare, quod evidenter in constitutione expressum est.

XIII. De impuberum et aliis substitutionibus.

Substitutiones quidem directe fiunt tam vulgariter quam pupillariter; vulgaris est que vulgo tam maioribus quam minoribus fieri potest, pupillaris est que pupillis tantum facienda est, licet ad exemplum eius et in mentecaptis quoddam simile introductum est. Est et fideicommissaria que usque ad mortem, non in specta certa etate, porrigitur. In omnibus tamen mens et voluntas testatoris, sive ex pressa sive tacita sit, spectanda est. Tacite enim quedam ex
c. 49, d. ipsius legis interpretatione colliguntur, quedam iudici ut hec examinet committuntur. Si enim in institutione expresse sunt partes heedem, et in substitutione invicem facta inter eos intelliguntur. Item substitutio pupillaris sub vulgari expressa intelligitur, veluti si heres non erit, quo casu, etsi heres erit et intra pubertatem decesserit, substitutus ex pupillari fit heres maxime cum instituti eiusdem condictionis sunt. Porrigitur enim usque ad tempus pubertatis, nisi ratio coniunctissime persone excludat eam vel evidenter contraria voluntas ostendatur. Si emin matris persona interveniat que ex senatusconsulto succedit, in preiuditium eius neque tacita neque compendiosa admittuntur, nisi forte ex voluntate privilegiate persone, ut militis, hoc eveniat, vel si manifeste probetur paternam voluntatem eam fuisse ut mater nihil ex bonis eius, seu filia haberet, maxime cum filii instituti et substituti eiusdem conditionis fuerint; quod colligitur ex constitutione illa que dicit matrem admittendam ad luctuosam fiilii successionem quia voluntas patris ea fuit; cum et partem sue successionis ei dereliquit. Et ideo tacita substitutio contra matrem non admittitur; alioquin si voluntas paterna matri evidentissime repugnet, dicimus eam non admittendam. Sed cum vulgaris substitutio, veluti si heres non erit, manifesta est, adita hereditate expirat; pupillaris veluti si heres erit et intra pubertatem decesserit, pupillo pubescente finitur. Compendiosa autem, veluti si heres erit et decesserit, quod et infra pupillarem etatem evenire potest et postea, quantum ad pupillarem pupillo pubescente expirat, quantum ad fideicommissariam usque ad tempus mortis prorogatur; differenter tamen substitutus admittitur. Si enim infra pubertatem decesserit, in totum substitutus admittitur, et in eo quod aliunde pupillo adquisitum fuit; sin autem postea, ex substitutione fideicommissaria quesita retinetur. Sin autem ex institutione adita hereditas non est, substitutus ac si institutus esset admittitur; quando et partes coheredum repudiantium et eo invito ei accrescunt. Pupillaris duplicem habet causam; si vero pupillus non adiit hereditatem patris, substitutus heres fit ipsi patri; sin autem adiit et intra pubertatem decesserit, substitutus fit heres ipsi filio etiam in his que aliunde ei obvenerunt, quod foret etsi filium exheredasset. Parentibus enim permissium est in quo- c. 50, a.
rum potestate liberi sunt, ut testamentum eis faciant cum filii eius sint etatis ut testamentum facere non possint, masculi usque ad XIIII. annos, femine usque ad XII.: eis postea vero per fideicommissum substituere possunt, de quo inferius compendiose dicendum est.

XIIII. De necessariis et servis heredibus instituendis.

De heredum institutione huc usque dictum est, sed ex his quidam necessarii sunt, quidam sui et necessarii, quidam extranei; hic tamen de servis necessariis tantum apponit. Permissum quidem est in fraudem creditorum servum necessarium heredem scribere etsi solvendo non sit, dum tamen pignori obbligatus non sit. Cum enim alius heres domino estiturus non est, equum est ut saltem servum suum heredem habeat, et hoc verum est, sive cum libertate sive sine libertate heredem instituat, quia ex ipsa institutione et libertatem habebit. Quod evenit etsi sub libertorum nomine heredes scripti sunt. Sin autem alicui legatus sit, et postea hereditas ei etsi sine libertate relinquatur, hereditatem et libertatem

Source : BIU Cujas

eum habiturum palam est. Item si sub conditione heres institutus est, si conditio potestativa est omnimodo implenda est; alioquin sua culpa et libertatem et hereditatem amittet; sin vero casualis, libertas quidem ei competit, hereditas vel ad substitutum vel legitimum defertur. Necessarii ideo dicuntur quia sive velint sive nolint omnimodo heredes sunt, etsi in prima parte testamenti libertatem et in alia hereditatem consecutus sit. Sed hoc necesse est ut utrumque ex domini testamento habeat; alioquin, si inter vivos libertatem et in domini testamento hereditatem, non fit necessarius, dum tamen si coactus adiit, ut potius nomine servi bona a creditoribus possideantur, distrahantur et inter eos dividantur, et hoc ideo ne defunctus iniuria afficiatur, et quod a servo postea quesitum est a creditoribus non inquietetur. Sin vero necessarii, ipso iure et ignorantes etsi nolint heredes fiunt. Pretor tamen eis dat abstinendi facultatem, ne dampnosa hereditate honerentur. In extraneis hoc desideratur, ut testamenti factionem habeant et animum adeunde successionis, de quibus plenius inferius tractandum est.

XV. De liberis preteritis vel exheredatis.

Hactenus de heredibus instituendis: nunc de liberis exheredandis vel preteritis loquitur. Si enim liberi, maxime qui in potestate sunt, neque heredes instituti neque exheredati sunt, ipso iure nullum est testamentum. Exheredandi quidem sunt nominatim tam a patre quam ab avo paterno filii tam masculi quam femine; quod et in his verum est qui ex masculis descendunt, antiqua differentia sublata. Mater et avus maternus possunt preterire et eorum preteritio pro exheredatione habetur. Nominatim exeredantur cum proprium nomen vel illud quod pro eodem habetur additur, quod intelligitur etsi alienum a sua substantia filium esse dicat; hodie tamen ex nova constitutione, remota omni differentia, parentes omnes coguntur suos liberos heredes instituere et hereditario titulo debitam portionem eis relinquere, vel exheredare, causa tamen ingratitudinis inserta; alioquin quantum ad institutiones testamentum deficit; in ceteris vero perseverat. Cause vero ingratitudine ex quibus parentes suos liberos exheredare possunt XIIII. sunt, prout novis constitutionibus expressum est; e contra hec ex quibus liberi suos parentes exheredare possunt septenario numero continentur. Quod et in postumis heredibus instituendis servandum est: exheredari vero permissum est; ideoque si preteriti sint, valet quidem testamentum, sed a gnatione postumi eodem modo infirmatur. Hec ita si perfecte natus sit, ut quantum ad institutiones deficiat.

XVI. De iure deliberandi et de adeunda.

Heredibus institutis permissum est ut se immisceant et hereditatem adeant, nisi tempus ad deliberandum petierunt; ideoque de iure deliberandi et de acquirenda seu de adeunda hereditate adicit. Si enim aliquis quocunque gradu institutus est, cum supradictis sollempnitatibus, nec post institutio (1) aliquo modo vitiata sit, oportet voluntatem tam suorum quam extraneorum heredum ad hereditatem acquirendam, licet differenter adhibeatur; sive enim, licet ignorantes, ipso iure heredes fiant, ad hoc tamen ut se immisceant vel plene acquirant animus vel actus eorum spectatur; extranei autem adeundo hereditatem acquirunt. Que ex sola voluntate fit sive verbis sive re hoc ostendatur, veluti si pro hereditaria parte debitum paternum seu hereditarium solvat. Siquidem institutio sollepniter facta est, nec in aliquo vitiata est, scriptis heredibus iure civili hereditas defertur. Pretorio vero iure secundum tabulas vel secundum nuncupationem bonorum possessio datur. Sed evenit quandoque ut ex testamento bonorum possessio tantum, non etiam civili iure hereditas deferatur, veluti si testamentum, testatore capite diminuto, irritum factum est. In bonorum vero possessione querenda voluntas cum sollepnitate legis constantiniane desideratur, licet sola voluntate repudiari possit. Si autem filiofamilias bono- c. 50, c.
rum possessio delata sit, etiam paternus consensus necessarius est quemadmodum pupillo tutoris auctoritas vel iudicis hoc ipsum cognoscentis necessaria est; quod enim per etatem pupillo deest, per tutorem pretoria auctoritate suppletur. Infanti vero seu simili persone etiam voluntate alterius queritur. Quotiens autem quis petit partem, partes non petentium petenti, eo etiam invito, accrescunt; et hoc iure pretorio. Civili vero iure prout dictum est, sive ipso iure queritur quamvis ignorent. In extraneis aditio est necessaria ad acquirendum secundum distinctiones supradictas. Sed in filiisfamilias patris consensus exigitur licet, patre dissentiente, finita potestate vel ea durante, per novam constitutionem pleno iure agere potest et sibi acquirere. Si pupilli adeant, tutore auctore vel pretore hoc faciendum est; si vero infantes sint, patre non existente, tutores nomine eorum hoc facere possunt. Sed si pater adhuc vivit et hereditas infanti delata sit, eo vivente vel mortuo, hereditatem eorum nomine adire possunt. Spectandum tamen est ut si plures instituti sint et quidam ex his repudient, ut eorum portiones adeuntibus etiam invitis accrescant. Item capiendo quod in prima parte testamenti relictum est, etiam quod in secunda vel tertia seu quod ex substitutione pupillari datum est accipere coguntur vel omnia relinquere. Ergo secundum has omnes distinctiones hereditas queritur, sed quidam in dubietate immiscent se vel adeunt, unde sequuntur omnia commoda et incommoda hereditaria ad eos transire; ideoque omnibus creditoribus hereditariis in solidum suppositi sunt; adeundo enim quodammodo contrahere videntur, ideoque obligant se. Item e contrario qui non titubanti animo abstinent sese vel repudiant, statim ab omni commodo vel incommodo alieni sunt. His autem equidem de emolumento duplex via tributa est, ut ex Iustiniani

(1) *Cod. om.* institutio.

Source : BIU Cujas

constitutione, observata eius sollepnitate, sine dampno succedere vel deliberacionem petere et ita veteri gravamini supponere. Ex Justiniani constitutione inventarium facere debent, tabulario testibusque adhibitis; et si presentes sint, infra tres menses, et si absentes, infra annum conficere debent; postea autem hoc non permittitur. Quo facto, sollepnitate quoque servata, non conveniuntur nisi quatinus in hereditate inventum est seu quatenus res hereditarie valent. Si vero deliberationem secundum antiquum ius petere maluerint, tunc et inventarium conficere debent, nisi intra statutum tempus repudient; et omnibus honeribus hereditariis subiacebunt. Inventario vero non confecto hoc expensum sue negligentie fertur quod legis Falcidie commodo non utantur; immo et legatariis in solidum obstricti erunt. Intra quod tempus hereditas petenda sit, hoc a lege prefinitum non est, nisi creditores
c. 50, d. vel alii quorum interest instent; alioquin qui non repudiavit semper adire potest. Creditoribus vel aliis instantibus, certum tempus, scilicet annuum, prefinitum est, vel etiam a iudice statuendum est intra quod debet adire vel repudiare, dum tamen creditores circa temporalem prescriptionem preiudicium non patiantur. Hereditate vero non adita, ad successores quod minime acquisitum est non transmittitur; deliberatione tamen petita, hoc ius ad successores intra annum transmittitur.

XVII. De repudianda et abstinenda hereditate.

De acquirenda hereditate dictum est: nunc de ea abstinenda vel repudianda dicendum est. Immiscere et abstinere proprie suorum, adire et repudiare extraneorum est. Sin quidem abstinere extranei qui non adierunt, repudiare sola animi destinatione possunt; sicut enim hereditas sola volutate queritur, ita contraria voluntate amittitur, dum tamen hereditas iam quesita repudiari non possit. Presumitur quoque adquisitio, ut in eo qui domo vel rebus paternis utitur, quo casu ab eo abstentio probanda est. Postquam autem quis hereditatem repudiavit, frustra ad eam regressum conabitur; permissum tamen suis est infra certum tempus, rebus nondum distractis, triennio videlicet instante, res hereditarias recuperare et suam abdicationem revocare.

XVIII. Quemadmodum testamenta aperiantur, inspiciantur et describantur.

Voluntas seu paternum testamentum vel aliud quid ad testamentum pertinens, ut codicilli, in publicum ea omnia proferenda sunt ut fides eorum in publicum proferatur et insinuetur. Quemadmodum autem apperiantur et inspitiantur et describantur videndum est. Ad iudicis quidem officium spectat an testamentum seu alia voluntas proferatur et in publicum recitetur, et eosdem vel alios testes adesse faciat ut testamentum iterum resignetur, quod et eo permittente faciendum est, eo tamen pro tribunali petente cuius interest et de calumpia iurante; quo facto et facultatem inspitiendi et describendi fatiat. Offitium autem publicandi ac insinuandi seu inspitiendi in civitate magistri census est, in provinciis ad iudices quorum interest redundat. Codicilli quoque cum eadem observatione publicandi, item aperiendi sunt.

XVIIII. Quemadmodum scriptus heres in possessionem mittatur et de edicto divi Adriani tollendo.

Publicato edicto divi Adriani ac testamento aperto, nichil aliud restat nisi ut scriptus heres in possessionem mittatur. Sed cum queritur inter institutum et substitutum, prima quidem fronte institutus in possessionem mittendus est. Heredes quandoque scripti legittimis preponuntur, dummodo legittimum testamentum ostendatur, priori ideoque loco, ut potiores, a iudice in possessionem admittuntur. Si vero ex pari causa, similis contradictio oriatur vel ex alia voluntate, seu ex alio testamento, tunc necessarium est causam utriusque ventilari et ei c. 51, a.
possessionem acquiri qui meliorem causam et legibus habere iussus fuerit, sive qui iam missus est, sive qui rationabiliter contradicit, nisi forte ea temporis ratio interveniat que posset principalem causam excludere, scilicet XXX. annorum curricula.

XX. Si quis aliquem testari prohibuit.

Licet superius dictum sit ut scriptus heres in possessionem mittatur, tamen quandoque evenit ut commodum hereditatis ei qui heres factus sit auferatur ut indigno, forte si testator contra suam voluntatem aliquem scripsit heredem quem non scriberet si liberi arbitrii foret, vel e converso si ille qui ex lege ad successionem admissurus esset defunctum prohibuit ne testamentum ordinaret.

XXI. De iis quibus ut indignis hereditas aufertur.

Item si mortem defuncti adita hereditate vindicari per iudicem neglexerit: et hoc ita si maior annis erat et necis vindicta possibilis erat, nec ille qui fecisset in occulto foret; sive testamentum falsum heres scriptus dixerit et in causam usque in finem perseveraverit et contrariam sententiam substinuerit, sive inofficiosum et non obtinuerit: utrobique enim id quod in testamento ei relictum est aufertur. Idem esset si testator antea eum quem heredem instituerat, suam voluntatem postea non mereri declaraverit, aut si dolo scripti seu legittimi defunctus interemptus fuerit; omnibus enim his casibus hereditas cum suis etiam accessionibus fisco vendicatur, licet mero iure heredes extiterint. Ea enim que ut indignis auferuntur, fisco applicantur, nisi nominatim dictum

Source : BIU Cujas

sit cui accedant. Sed ea tantum que heredibus relicta fuerunt: ceterum libertatibus et legatis in eo testamento datis non preiudicant, cum nec mora facta in nece defuncti vindicanda his obesse possit.

XXII. De codicillis.

Quemadmodum universitas directo relinquitur dictum est: nunc autem quomodo per obliquum relinqui possit, veluti in codicillis, dicendum est. Codicillus enim ad testamenti differentiam parvus codex appellatur. In quibus et numerus testium quemadmodum in testamentis distinctus est, licet pauciores idest V. desiderantur, sive in scriptis fiant, testes sua subscriptiones seu subnotationes accomodare debent; sive per nuncupationem codicilli fiant, in sola memoria testium voluntas relinquenda est. Differunt quidem a testamento quod institutio et exheredatio quidem in testamentis, in codicillis autem hereditas neque dari neque adimi directo potest. Per fideicommissum vero le-
c. 51, b. gittimus vel scriptus heres rogari potest ut vel totam hereditatem vel partem hereditatis restituat; unde sequitur minorem codicillorum observationem esse quam testamentorum. Sed hoc desideratur ut defuncti voluntas ea sit, ut codicillos conficere voluisset, non et cum directo aliquid relinquere voluit. Quod evenit si nominatim hoc dixerit quod faceret codicillos, vel testamentum fecit et ideo adiecit ut pro codicillis valeret seu vim codicillorum optineret. Sin autem de hereditate directo transmittenda cogitavit, hoc proprie est velle testamentum facere, non codicillos; et ideo quod voluit non fecit, quod potuit noluit. Quando autem in testamento hoc adiectum est ut pro codicillo seu iure fideicommissi valeat quod in eo relictum est, si quis ex eo testamento directo instituetus (1), peteret, postea ad fideicommissi prestationem aspirare non poterit; in initio enim electionis potestas permittitur, post electionem autem alterius aditum is preclusisse certum est. In parentibus tantum et liberis usque ad quartum gradum, item in agnatis et cognatis usque ad tertium hoc permissum est ut postea variare seu eligere possint si scripti heredes vel nuncupati fuerint in eo testamento in quo hoc adiectum est ut pro codicillo valeret; hoc ita tam varie quia longe aliud est lucrum non capere et debitum amittere; ideoque hii sibi non preiudicant, cum ad debitam successionem vocantur. In omni quidem ultima voluntate V. testes eodem tempore adesse debent, dum tamen si in scriptis fiant, testes per se vel per alios subscribant.

XXIII. De legatis.

De universitate in testamento seu in aliis ultimis voluntatibus directo seu per obliquum relinquenda dictum est, nunc de specialibus relictis ibidem relinquendis dicendum est. Et inter specialia relicta legatum est precipuum, ideoque de legatis apponitur. Legatum quidem est donatio quedam, licet non pura, a defuncto relicta et ab herede prestanda. In legatis spectandum est personam legantis, item personam eius cui legatur, nec non et res; item utrum pure, an in diem, vel sub conditione, et an voluntatis questio interveniat, et quomodo legatum deficiat vel ad irritum recidat, et que acciones exinde competant.

Persona legantis esse debet que factionem testamenti per dispositionem habet, et ut alias suas disponere res possit, dum tamen bona solvendo sint.

Persona quoque eius cui legatur similiter testamenti factionem saltem per captionem habere debet.

Res quidem que legantur eiusmodi esse debent ut in bonis sint vel future fiant, sive proprie sive heredis sive c. 51, c.
aliene sint; ideoque si a dominio sive a commertio exempte sint, legari non possunt, ut res sacre et religiose, necnon que publico usui destinata sunt. Sed si res aliena legata sit, ita demum debetur si defunctus sciebat rem alienam esse; alioquin, si ignorabat non valet, nisi forte proxime persone reliquit, ut uxori, vel alii cui legaturus esset etiam si scisset alienam. Item tam corporales quam incorporales legari possunt, ideoque acciones.

Si pure vel in diem certam aliquid est relictum statim a morte testatoris cedit dies et incipit deberi, ideoque petitio huius legati parenti et domino datur; ad heredes quoque transmittitur: si vero sub conditione vel in certa die, post condictionis vel diei eventum incipit deberi. Et hec omnia ita vera sunt si voluntas testantis seu legantis certa sit.

Alioquin si de ipsa voluntate queritur, cum hoc sepissime eveniat, vel demonstratione eius seu conditione, vel e contra de voluntatis mutatione, cum et legatum adimi potest, si probationes in prontu sunt in talibus que omnibus inprimitus hec admittuntur; quibus deficientibus legum conditione in quibusdam casibus voluntatem de qua queritur interpretatur tum propter presuntionem, tum propter vestigia verborum. Ubi autem interpretatio legittima cessat iudici comittitur voluntatis examinatio et expeditio. Cum queritur de voluntate mutata, is qui dicit, idest heres, voluntatem esse mutatam probare debet. Sed cun legantis voluntas certa apparet et iure subnixa est nec mutata, valere quidem constat, nisi aliqua ratione defitiat vel propter personam tam legantis quam legatarii vel eius a quo legatur; legantis, ut in eo qui solvendo non est; legatarii, ut quod relictum est in testamento servo non manumisso; a quo legatur, veluti si aliquid relictum est a substituto exeredati filii. Ratione quoque rei deficit, ut si id quod legatur tibi, tuum sit; item ad irritum legatum quod ab initio validum fuit ex post facto recidit, veluti si defunctus ademit, vel aliquid fecit per quod mutasse voluntatem videatur, vel si legatarius testamentum celavit, vel si rem sibi legatam subtrahat, vel si pater rem filie legatam se vivente pro ea in dotem

(1) *Cod.* instituerit.

Source : BIU Cujas

dedit. Sed cum legatum validum est, ratione ei undique
c. 51, d. oppitulante, parit quam accionem personalem ex testamento proficiscentem que legatario competit vel eius parenti, seu domino; item eius heredi si dies semel cessit. In heredem quidem ex quasi contractu obligatum competit, nec liberatur propter venditionem hereditatis. In rem quoque accio si res mortui fuit, legatario datur. Si autem nomina legata fuerint, utiles acciones legatario suo nomine dantur. Ipothecaria etiam in res mortui experiri permittitur. Si autem liberatio, vel res que apud eum est, legata est, multo magis exceptionem et retentionem ei competere dicimus.

XXIIII. De verborum significatione.

Cum legata vel quedam alia relinquuntur evenit ut verba seu res relicte plura significent, seu contineant; quapropter verborum et rerum significationem apponit, licet in prudentium responsis latius hoc tractatur et experiatur. Si enim fundus instructus vel cum instrumento legatus fuerit, principes manifeste diffiniunt que hac appellatione contineantur, scilicet ut ea omnia que in fundo inducta, ut perpetuo essent nisi causa temporis seu custodie, sive ut pater familias ibi ea uteretur, sive ut fundus esset instructior, hac denotatione relicta videantur.

Item si testator cautionem prestari iussit, non satisdationem, non fideiussionem neque pignori dationem intelligendum, sed tantum nudam promissionem que fit per stipulationem.

Si autem ille vel ille heres scriptus est, et illi aut illi legatum datum est, vel libertas vel tutela relicta est, omnes ad legatum, omnes ad heredidatem parent, omnes ad libertatem, omnes ad tutele officium equa lance vocantur ut hic disiunctiones pro coniunctionibus apertissime posite videantur. Si vero res uni relicta est: illam aut illam do lego, vel iure fideicommissi relinquo; tunc heredis electio est utram preparare malit, quemadmodum et in contractibus promissoris arbitrium est quid prestare malit.

Preterea si familie aliquid relictum est, que persone sub hoc nomine contineantur manifeste a constitutionibus diffinitum est, licet alias familie nomen equivocum sit; familia enim pro substantia ponitur ut: SUPER FAMILIA MEA ITA IUS ESTO, ponitur pro personis liberis ut in tit. de edilitio edicto, et de hominibus coactis., et sub tit. vi bonorum raptorum, item etsi a familia furtum factum esse dicetur; necnon et de familiis publicanorum; quapropter servi quoque et filii omnes qui in familia sunt eque continentur, ideoque et liberti et generi nurus hoc nomine
c. 52, a. cum quadam videlicet distinctione significantur.

XXV. Si omissa sit causa testamenti.

Adita quoque ex testamento hereditate relicta, directo petuntur. Si vero in fraudem relictorum causa testamenti omissa sit, utilis accio datur sive adversus substitutum, sive adversus eum qui ab intestato successit; et hoc cum ipsi fraudem cum herede scripto participaverint. Item et ipse heres scriptus tenetur a quo legatum relictum est, sive accepta peccunia aditionem omisit, sive ipse idem ab intestato, omissa causa testamenti, adiit, nisi forte ex necessitate hoc fecit. Datur quidem et hic utilis accio et heredi similiter Falcidie retentio competit.

XXVI. De indicta viduitate et lege Iulia Miscella tollenda.

Relinquitur aliquid in testamento vel in alia ultima voluntate indicta viduitate, sive iure legati seu fideicommissi, propter que relicta lex Iulia Miscella introducta est; de qua non admittenda immo tollenda tam in feminis quam in maribus edicit. Cum enim a coniuge quid indicta viduitate relinquitur, spreta interminatione et iuratoria cautione de non nubendo, intermissa debetur, licet secundis nuptiis initis liberis ex priore matrimonio extantibus, proprietatem amittit, filiis prioris matrimonii reservata. Nova tamen constitutione adiectum est ut quod a quolibet sub condictione relictum est ne secundas ineat nuptias, eius quidem petitio infra annum prorogatur, nisi forte interim spes nuptiarum defitiat. Capere vero per cautionem postea permissum est, rei cum fructibus restituende si contra factum fuerit, nisi forte cautio a defunto remissa fuerit. Si res mobilis sit, iuratoria cautio facienda est. Si vero minus locuplex sit etiam fideiussorem exigi; sed si non potest eum dare, supradicta cautio cum iureiurando et ypotheca prestabitur; contractis tamen secundis nuptiis, res data vendicatur ac si data non esset.

XXVII. De is que pene nomine testamento vel a quo relinquuntur.

Sive hereditas, sive legatum, sive fideicommissum nomine pene ei inponende a quo relinquitur vel ademptum, vel translatum est, nisi forte inpossibilis sit de natura vel de iure, seu alias probrosa: tunc enim nec conditio inplebitur, nec quod relictum est prestabitur. Quod autem dictum est inpossibilem conditionem in legatis et fideicommissis pro non scripta [1], et relicta haberi ac si condictio ascripta non esset, tunc verum est cum conditio in persona ei cui relictum est imposita est, sin autem ei a quo relinquitur inposita fuit, cum inpossibilis est vel probrosa, tunc nec condictio inplenda est, nec relicta pre- c. 52, b.
standa sunt.

XXVIII. De fideicommissis.

Supra de legatis, nunc de fideicommissis dicendum est; in quibus et ea que in legatis spectari diximus spectanda

[1] *Cod.* scriptorum.

Source : BIU Cujas

sunt. Fideicommissa quidem a fide nomen et substantiam acceperunt quia a fide heredum pendent. Personarum rationem (1) tam eius qui fideicommissum relinquit quam eius cui relinquitur, item rei prout in legatis ediximus, spectamus; quod autem in fideicommissis speciale est, illud separatim intuendum est. Fideicommissa enim ex qualibet ultima voluntate debentur quin immo etiam ex solo nutu et sine scriptura et testium voluntate, dummodo res in iusiurandum heredis dimittatur, fideicommissario prius iurante de calumpia; ex voluntate quoque non legitima, si ab herede approbata sit, fideicommissa convalescunt. Si vero sollempniter petatur fideicommissum tunc et voluntatem constare debet et eam esse ultimam voluntatem perfectam. Si autem testamentum invalidum est, vel alia sollempnitas inperfecta est, non debetur nisi legiptimus heres scriptus est, maxime cum ex testamento hereditas adita non est vel adiri non potest, nisi forte hoc adiectum est, ut a quolibet successore, etiam qui in iure intestati successerit ea dentur seu prestentur. Sed si de voluntate questio est, arbitrio iudicis committenda est, licet quandoque a lege voluntas incerta distinguatur, vel aliter quam verba sonent interpretetur, veluti si a patre filius heres institutus rogatus sit post mortem suam omnia alii restituere: tunc enim liberis ex eo progenitis fideicommissi restitutio cessat, sive legittimi sive naturales sint, usque ad eum modum qui ei relinqui potest. Evenit quandoque ut quedam fideicommissis affinia ponantur, veluti cum substitutio pupillaris verbis fideicommissi confirmata est hoc modo: SI HERES ERIT ET DECESSERIT non adiecto: SIVE INTRA PUBERTATEM SIVE POSTEA DECESSERIT. Quedam alia dicuntur communia non tantum in fideicommissis sed etiam in aliis iuris articulis; item renuntiatio proprii iuris, veluti si consentias in alienationem rei per fideicommissum tibi relicte, cessat quidem persecutio que competeret etsi non concessisses, item fideicommissum ante
c. 52, c. diem vel in solidum restituas; plenam enim fidem exhibere debes, vel si forte repudies exceptione doli mali summovendus es (2).

XXVIIII. Communia de legatis et fideicommissis.

Circa legata et fideicommissa spetialia quedem commissa sunt: si vero universitas per fideicommissum relinquitur, de ea separatim infra respondendum.

In rem autem missio que antea in legatis et fideicommissis erat, sublata est; item vendicationis differentia (3) et dampnationis ac preceptionis seu sinendi modo similiter reiecta est.

Una natura in omnibus legatis et fideicommissis indulta: quicquid enim legatum, est et fideicommissum et e converso, et quod amplius est in legatis et hoc fideicommissis accrescit, ut omnia fideicommissa sint hodie in necessitate quemadmodum et legata, licet ab initio in voluntate erant. Item quod pinguius et humanius in fideicommissis est, hoc et in legatis et fideicommissorum natura aditiendum est, ut etiam ex non perfecta voluntate legata debeantur vel ex codicillis vel ex qualibet ultima voluntate. Ex omnibus enim legatis et fideicommissis ipse acciones et personales, item ypothecarie dantur. In rem accio competit si res mortui erat que relicta est; personalis sive heredis sive alterius erat res que relicta est: compellitur enim vel rem ipsam dare, vel eius extimationem solvere. Ypotecaria in bonis mortui datur in tantum in quantum personalis accio competit; et hoc verum est sive ab herede sive a legatario sive a fideicommissario sive a libertate donato, sive ab eo qui ex mortis causa donatione aliquid accepit, fideicommissum relictum est; ab omnibus istis fideicommissum relinqui potest.

Si optio servorum vel aliarum rerum duobus vel pluribus hominibus iure legati vel fideicommissi relicta fuerit, vel uni vel pluribus heredibus relictis, is cui relicta fuerit decesserit: antea quidem deficiebat, nunc autem admissum est, dum tamen forte res dirimatur et ei electio donetur que sors pretulerit, eo tantum prestante ceteris partem pretii: si autem ipsi heredi electio data est quid prestare malit, et heres dum superest hoc non fecerit, electio ad legatarium convertitur, dum tantum rem medie estimationis eligat.

Ea que pure vel in diem certam relicta vel alii institui iussa sunt, alienari vel obbligari et manumitti prohibita sunt; item et ea que sub conditione et die incerta relicta seu restitui iussa sunt, similiter ab eo a quo relicta sunt prohibitum est, et si contra vetitum factum fuerit, cum suo honere res traseunt, et qui fecerit pene c. 52, d.
subicitur nisi in casibus quibus nova constitutione permissum est.

XXX. De falsa causa adiecta legato vel fideicommisso.

Falsa causa adiecta in his relictis videndum est an noceat.

Si enim demonstrative causa non conditionaliter enuntiata est, non obstat, dummodo in ipso relicto quid, quale, quantumve sit quod relinquatur signetur, veluti C. que in dote data fuerunt vel que instrumento dotis scripta sunt: que debentur etsi data non fuerunt.

At si conditionaliter causa adiecta est, ita demum debetur si res ita se habet; alioquin ea deficiente, deficit et relictum.

XXXI. De his que sub modo legata etc.

Si sub modo aliquid relinquatur, statim quidem debetur; sed modo non inpleto, utiliter res vendicatur, nisi

(1) *Cod.* ratio.
(2) *Cod.* est.
(3) *Cod.* differentiam.

Source : BIU Cujas

modus pro impleto haheatur. Quod tunc evenit cum per eum non stat qui hoc inplere iussus est quominus inpleatur, at illi quoque in cuius persona modus inplendus erat accio ex fideicommisso omnifaria datur, et insuper quoque ei datur, veluti si sub hoc modo aliquid reliquit ei, veluti ne a debitore suo peteret.

XXXII. De conditionibus insertis tam in legatis quam in fideicommissis.

Quod autem sub conditione relictum est ita demum debetur si conditio inpleta fuerit; tunc enim dies eius cedit. Quare, deficiente conditione, casus deficit et relictum, multo magis si per eum stat quominus impleatur, nisi forte conditio impossibilis vel iure inprobata sit, tunc enim pro non scripta habetur tam in heredibus quam in legatis et fideicommissis et libertatibus. Si autem de voluntate ibi queratur, hoc sciendum est quod sepissime dictum est: voluntatis enim questio maxime in arbitrio iudicis committenda est, ut ipse ex presumptionibus, ex inditiis eam extimet; licet quandoque et a lege extimetur. Si enim libertas sub conditione relicta est, et fortuito casu impedita est, speciali ratione quidem voluntate interpretata, libertas prestanda est sicut ex iusta interpretatione, ut in V. libro Codicis, constitutio habita evidenter apparet. Condictio vero probrosa seu inprobata et hec sperni potest, veluti ut divertatur, veluti ut si quid iusiurandi condictione relictum est; non tantum forma iuris publici seu pretorii, que eidem condictioni connexa est ideo renuenda est quod defuncti voluntati obtemperatum non est, veluti ut cautio legatorum seu fideicommissorum in diem vel sub conditione relictorum servandorum causa secundum pretoriam iurisdictionem prestetur, an persona cui sub condictione relictum est capere possit tempus inplende condictionis spectandum est. Sin autem plures per-
c. 53, a. sone eandem condictionem inplere iusse fuerint, omnes eam adimplere conpelluntur; alioquin qui eam inpleverint ad lucrum admittentur: qui vero renuntiaverunt, repelluntur.

XXIII. De usuris et fructibus legatorum.

Usure quoque et fructus in legatis et fideicommissis etiam ex die prestandi sunt, licet raro hoc eveniat ut mora non precedente ad iudicem perveniant, nisi forte Falcidie ratio interveniat, post litis contestationem vel etiam moram usure et fructus et omnes utilitates prestande sunt. Et hoc verum est sive in rem sive in personam agatur.

XXXIIII. Ad senatusconsultum Trebellianum.

Dictum antea erat incertis personis nichil relinqui posse, sed nunc greca constitutione effectum est ut etiam his legari et per fideicommissum relinqui possit, prout tenor in libro Instit. relatus desideratur. Cum autem per fideicommissum quandoque universitas, quandoque res singule relinquuntur, et Trebellianum senatusconsultum in his locum habet, ideo apponit constitutiones habitas ad eius senatusconsulti interpretationem. In quo senatusconsulto spectandum est utrum defuncti voluntas ea fuerit, quibusque verbis seu inditiis demonstrata ut universitas in totum sen pro parte restituatur. Licet et tacite quandoque hec voluntas presumi soleat, ut evenit in substituto; cum et tacite fideicommissum repetitum ab eo videatur, rogari potest tam scriptus heres quam legiptimus ut restituant; et hoc etiam sine scriptura fieri potest. Et pure seu in diem vel sub condictione vel post mortem fieri permissum est; que voluntas et inter liberos admittitur, adhibita sollemnitate nove constitutionis, dum tamen queritur ne retentio his detur, nisi tantum sponte maluerint totum restituere, vel cum coacti restituerint. Sunt autem casus qui nova constitutione continentur in quibus quarte retentio locum non habet, veluti si defunctus iussit in captivorum redemptionem universa bona restitui antequam hereditas restituatur; et agere et conveniri accionibus hereditariis potest. Post restitutionem vero hereditarie acciones utiliter pro parte restituta transeunt et pro eadem parte Trebelliani exceptio heredi datur. Pro parte vero retempta directo acciones et apud heredem remanent et in heredem dantur. Si autem nondum hereditate restituta, in solidum creditoribus solvit, eo minus restituere cogitur; et si in solidum restituitur a fideicommissario pro dodrante, quidem poterit repetere quod solvit. Emolumentum enim simul cum honere in testatione transit: relictorum itaque et eris alieni prestatio pro novem c. 53, b.
untiis ad fideicommissarium spectat; pro quadrante apud heredem remanet. Sin autem heres coactus suspectam hereditatem restituat, acciones in solidum transeunt, et emolumentum in integrum similiter ad fideicommissarium pertinet, nec heredi eius qui coactus adiit quartam retinere permittitur. Item in quibus casibus acciones in totum ad fideicommissarium pertinent, ex quibus lege nova translatio accionum suppleta est, veluti cum heres cui restitutio inposita est, dolo malo seu pro contumelia abfuerit sive morte preventus fuerit, nullo successore relicto, sive a primo fideicommissario in secundo translatio iussa est celebrari: his enim casibus utiles acciones ipso iure tranferuntur. Sed cum parentes honerant liberos tali restitutione, fructus seu redditus in quartam, immo legittimam (que nova constitutione in liberis et parentibus pro modo liberorum aucta est), inputare non coguntur, non etiam satisdare nisi parentes nominatim satisdare preceperint. In extraneis autem heredibus fructus maxime post moram vel cum testator hoc iusserit in quartam imputantur. Evenit autem quandoque ut expressa restitutio ex legis interpretatione cesset, veluti parens iussit filio post mortem suam hereditatem restituere; liberis enim ei existentibus, restitutio excluditur. Item si rogatus filius ad

Source : BIU Cujas

monasterium se contullerit vel alium venerabilem locum; substitutio enim, cum Deum quodam modo sibi elegit, ex nova constitutione procul dubio cessat.

XXXV. Ad legem Falcidiam.

Trebelliani tractatus qui fideicommissis maxime universitatis modum inponit explicitus est; nunc Falcidie ratio que legatis modum imponit edisserenda est. Competit quidem Falcidie retentio omnibus heredibus et eorum successoribus necnon et ei qui vicem heredis optinet, veluti fisco qui ut indigno aufert hereditatem, et adversus omnes datur qui legata vel omnia alia similia relicta capiunt ut donationes causa mortis; sive enim res, sive peccunia relicta est, semper Falcidia in his locum habet, cum temporis ratio hanc inmunem poscit. Modus autem retentionis talis est ut heres dodrantem in relictis distribuat, quadrantem quidem apud se retineat. In liberis vero et in parentibus et in omnibus quidem cum de inofficioso queri possit, nova constitutione Falcidia immo legittima aucta est; si enim tres vel quattuor sunt, triens, si vero plures sint, semis quoquo relicti titulo debetur, dum tamen
c. 53, c. equaliter inter omnes dividatur. Omnia quidem legata immo relicta ad Falcidie repletionem revocantur pro rata tamen quantitate uniuscuiusque relicti. Heres quartam seu legittimam deducere seu detrahere debet nec ulla relicta aliquo privilegio excusantur, etiam si in operibus conficiendis relicta sunt, dum tamen si quedam in solidum prestitit, ex aliis quod omissum est non supplebit. Non solum autem secundum quod dictum est retentio datur, sed etiam si per facti ignorantiam solutum est, repetitio competit. In inponenda tamen Falcidie ratione funeris inpensa ante omnia deducenda est; item omni ere alieno deducto etiam quod ipsi heredi deberetur si eam hereditatem non adisset. Si ergo es alienum absorbet omnes fines hereditarios relicta pro nichilo habentur. dum tamen debitis solutis si aliquid superest prius pretia servorum manumissorum prestantur; libertates enim inminuunt Falcidiam. In testamento vero militis legis Falcidie ratio cessat; item etiam communi ratione inhibentur, si heres pro fide testatoris inplenda solidum prestiterit vel de solido solvendo cautionem fecit. Nova tamen constitutione, si heres subtiliter agnoscens substantie mensuram quibusdam solidum solvit, et integram fidem testatori servavit, non ei permittitur ex reliquis relictis retinere sed immo universa prestare. Item si testator expressim designaverit non velle heredem retinere Falcidiam, ratio eius legis cessat; similiter quoque Falcidie retentio nullum locum sibi vendicat si heres inventarium non confecit.

XXXVI. De caducis tollendis.

De relictis tam per universitatem quam etiam in rebus singulis dictum est, et quia ea omnia antea contingebant certis ex causis deficere et ita caduca ad fiscum deferebantur, ideo de his non admittendis, immo tollendis apponit. Caducum quidem est defitiens relictum. Et omnia genera relictorum deficere posse constat: et ea tripliciter defitiebant; aut enim pro non scripto, aut in causa caduci, aut caduca erant. Que relinquebantur personis ante testamentum mortuis ea pro non scripto erant; si autem vivo testatore hii quibus aliquid relictum erat post testamentum ab hac luce subtrahebantur, vel vivente testatore conditio sub qua relictum erat defitiebat, in causam caduci vocabatur; vel si post mortem testatoris decesserit, vel conditio sub qua relictum erat defecerit, quod expressim caducum applicabatur. Si quidem ex asse hereditas deficiat, omni substituto cessante, ea ad legitti- c. 53, d.
mos seu ab intestato venientibus defertur; si vero substitutus adest, hereditatis pars ad eum devolvitur; eo non invento, omni modo ad omnes coheredes pertinet si adsunt, pro hereditaria portione cum plures sunt et omnes coniuncti vel disiuncti fuerint. Si autem multi fuerint, et quidam coniunctim et quidam disiunctim scripti fuerint, si pars alicuius coniuncti deficiat, ad solos coniunctos spectat; sed si pars disiuncti deficiat, ad omnes tam coniunctos quam ad disiunctos equaliter pertinet, etiam si quis ea pertinere noluit. Non enim alicui postquam semel heres factus est permittitur aliam vel alias partes postea iure institutionis vel substitutionis exinde sibi delatas repudiare; immo invitus eam vel eas accipere cogitur. Legatum quoque persone ante testamentum premortue relictum, quod ita deficit, ad substitutos seu coniunctos si adsunt primo defertur; in defectu apud eum a quo relictum est residet honus; tamen ad eos non pertinet nisi perraro forte iussus erat testatorem sepelire vel funeris inpensas facere. Sed si facto testamento, ante mortem testatoris persona cui relictum erat decesserit, supradictis personis cum suo honere defertur; et si a pluribus heredibus relictum fuerat, pro ea parte apud unumquemque residet pro qua unusquisque prestaturus erat; si equaliter a pluribus, pro virili portione apud eos remanet.

Si quidem pure et in diem certam relictum est alicui, et si post mortem testatoris decesserit, non hoc deficit; nam cum hereditas statim adiri possit sive ex asse sive ex parte heres institutus sit, non expectata, ut ante, apertura tabularum, et dies legatorum seu fideicommissorum continuo cedit, idest incipit deberi et transmitti possunt ad heredes; sed hereditas nisi adita sit transmitti non possit nisi in liberorm personis de quibus theodosiana constitutio loquitur. Ususfructus quidem exceptus est, item quod servo in eodem testamento manumisso legatur, et quod ab eodem servo aliis legatur: quod vero conditionaliter vel in diem incertam relictum est, persona cui relictum est ante eventum conditionis vel diei decedente, deficit etsi conditio ad irritum decidat. Ea igitur omnia ad substitutum seu coniunctum pertinent, unum pluresve, volentibus scilicet. Hoc ita verum est si testatoris sermo coniunctus erat; si enim disiunctus erat, et unus in acquisitione eius cessat, non ideo quicquam accre- c. 54, a.

Source : BIU Cujas

visse videtur; sed immo solidum sibi ab initio assignatum percepisse. Quapropter ex consequentia colligitur honus alteri iniunctum ad eum non spectare nisi testator hoc dixerit expressim, nec ea tamen ratione unusquisque in solidum sibi hoc relictum vindicari potest cum ceteri in eius acquisitione concurrunt. Hoc ita nisi testator aliud nominatim disposuit; si autem honus in faciendo consistat, et hoc a lucrante omnimodo concessum est, nisi tale factum sit quod certe persone impositum sit et ab alio inpleri non possit. Que autem alias dicta sunt que indignis auferuntur, fisco applicantur prout antique leges dicunt, ita serventur intacta sive ad nostrum erarium sive ad certam personam perveniant.

XXXVII. De his qui ante apertas tabulas hereditatem trasmissunt.

Antea dictum erat ante apertas tabulas non posse hereditas transmitti, quod supradicta constitutione immutatum est; nunc dicendum est que persone ante aditionem transmittere possint, theodosiana lege ita interpretata per legem iam dictam, ut liberi a parentibus instituti heredes, et antequam adeant in suos tantum liberos non etiam extraneos transmittant. De legato autem liberis relictos potest queri an transmittatur, cum eius die apud eum nondum cesserat, quod tantum de conditionali nunc dicendum est; in aliis legatis dies a morte testatoris cedit.

XXXVIII. Quando dies legati cedit.

Dictum est dies legatorum vel fideicommissorum a morte testatoris cedere; quod verum est ubi pure et in diem certam relictum est. Cum antem ad tempus certe etatis aliquid relictum est, defuncti voluntas exquirenda est, an solutionem in tempus prorogare voluit, an in diem incertam fideicommissum constituere; quo casu instar conditionis habet. In conditionalibus enim relictis, quamdiu pendet conditio, dies non cedit; eveniente conditione, dies cedit etsi ignoret legata. Ideoque si decedat is cui relictum est petitionem ad heredes transmittit. Quod evenit et si conditio pro impleta habeatur. Aliud est et si non ipso testamento, sed aliunde conditio suspendatur, veluti si id quod futurum est legetur, ut fructus futuri, fructuum fructus et partus Arethuse. Quod vero in diem certam relictum est, dies statim cedit, et debetur, licet
c. 54, b. solutio in tempus prorogata sit; longe enim aliud est diem cedere, aliud diem venire; hic autem dies statim cessit, sed nondum venit. Si enim quid per singulos annos vel menses relictum sit, hic at initio cuiusque anni vel mensis dies cedit et peti potest. In hoc enim casu plura relicta sunt per diversa tempora distributa; ibi vero unum relictum est, cuius petitio in certum tempus prorogata est, quod evenire potest etsi unius legati solutio per diversa tempora a testatore fieri iussa est: hoc forte ideo ne heres ad solutionem coartetur.

XXXVIIII. Ut in possessionem legatorum servandorum causa mittatur et quando satisdare debeatur.

Evenit quandoque ut legata vel fideicommissa sub conditione vel in diem relinquantur, seu alias presens relictum moram habet quorum nomine satistatio prestanda est ut die seu coditione eveniente relicta prestentur; qua non prestita hii quibus relictum est in possessionem legatorum vel fideicommissorum servandorum causa mittuntur. Hoc ita, si non per calumpniam satisdatio exigatur: quod sumatim iudici examinare permissum est. Qua cessante, omnimodo satistatio prestanda est, nisi forte a testatore remissa sit. Herede vero per negligentiam fortasse cautionem omittente, legatarius et fideicommissarius in possessionem mittendus est, non ut possideat sed ut in possessione causa servandorum legatorum vel custodie sit, dum tamen per hoc heres a possessione non deitiatur, sed ut metu custodie perpetue citius caveatur. Legatarius enim possessionem eam pro pignore retineat quoad sibi cantum fiat. Petitio tamen legati, die vel conditione eveniente non ideo denegatur ei: legatarii autem et fideicommissarii in possessionem hereditariarum rerum vel que dolo esse desierint mittendi sunt; quandoque et in rem ipsius heredis propria missio facienda est, sex mensibus transactis non prestita satisdatione iudice rite adito.

XXXX. De successionibus ab intestato.

Causa testamentarie successionis seu tractatus explicitus est: nunc de successionibus ab intestato articulis edisserendum est. Iure quidem quod ante in successionibus intestati introductum erat cessante, novis autem constitutionibus introductus modus secundum differentias infra positas tenendus est. Omnes quidem intestatorum successiones his tribus modis deferuntur; aut enim ascendentes, aut descendentes, aut ex latere venientes, sed sui ordinis ratione vocantur.

Primo quidem tunc loco liberi admittuntur omni differentia sublata tam sexus quam patrie potestatis: item cuiuscumque gradus sunt admittuntur, et omnibus sive ascendentibus, sive ex latere cognatis anteponuntur, licet defuncta persona in alterius potestate, sit, dum tamen si c. 54, c.
persona que precedebat de medio sublata sit, filii et nepotes eius in stirpem admittuntur et sine omni delectu, sine omni dimmissione, sive ex masculino sive ex femminino genere sunt prout iam distum est.

Si autem descendents deficiunt, cum aliquis intestatus decesserit, ascendentes in secundo ordine vocantur qui omnibus ex latere venientibus preferuntur exceptis fratribus et sororibus ex utroque parente defuncto coniunctis, qui equaliter cum parentibus admittuntur. Parentes, siquidem plures sunt, proximiores admittantur, sive masculini sive femmini sexus, et tam paterni quam materni

Source : BIU Cujas

qui equaliter veniunt cum fratribus ex utroque parente coniunctis; scilicet his deficientibus, paterni quidem dimidiam, materni vero reliquam dimidiam capiant, usufructu tamen parentibus in liberorum portionem qui cum his succedunt denegato, sublata quidem in hac successione differentia sexus et potestatis. Ratio tamen secundarum nuptiarum differentiam inducit maxime in matrem que dimidiam bonorum partem filiis prioris matrimonii donavit propter infamiam abolendam.

Cum vero omnes descendentes et ascendentes deficiunt vel successionem renuunt, in tertio ordine successio defertur ad fratres et sorores qui ex utroque parente coniuncti defuncto fuere et ad filios eorum fratrum; hii enim et hic in locum sui patris in stirpes succedunt; hii enim et fratrem defuncti ex uno tantum parente coniunctum, licet in tertio gradu sint, excludunt, multo magis ergo et patruum defuncti. Si autem parentes defuncti succedunt, filii premortui fratris nichil iuris habent; deficientibus fratribus, item filiis fratrum qui ex utroque parente defuncto coniuncti erant, vocantur fratres et sorores et eorum filii in stirpes videlicet qui ex uno tantum parente defunctum contingumt, qui et patruum defuncti excludunt.

Quibus cessantibus omnes cognatos ad hereditatem, vocamus, secundum sui gradus rationem, ut qui prior in gradu, potior in successione habeatur. Si vero plures eius-
c. 54, d. dem gradus inveniantur, pariter admittuntur, successione inter eos in capita dividenda. Cessante tamen uno vel pluribus ex his qui eiusdem gradus sunt, portio eorum ceteris accrescit. Item primo gradu deficiente sequens ex edicto successorio admittitur, omni differentia seu varietate exclusa tam masculorum quam feminarum, item sive ex persona virilis sexus seu feminini defuncto iungebantur. Ratione quoque potestatis et emancipationis hic incipe: item agnationis et cognationis prorsus sublata dum tamen in hoc illis personis que recte et universalis fidei sunt admittantur: heretici vero et qui a fide deviant ab hoc benefitio excluduntur, deferenda eorum successione prout in nova constitutione expressum est.

Si qui vero casus sunt qui mutent aliqua speciali ratione ea que diximus, et hoc admittatur, illo tantum inspecto ut quicumque ad pupilli successionem vocantur, sublata differentia agnatorum et cognatorum, idest ad honus tutele admittantur, vel si qua causa excusationis eis conpetat saltim intra annum tutores eis petere ad satisdationem competere et suspectos removere et alios idoneos in locum eorum petere. Negligentia puniatur; alioquin stricta ratione ab eorum successione si in pupillari etate mortui fuerint excluduntur, maxime ibi ubi tutores dantur et petuntur; alioquin ex equitate aliud dicendum est hodie.

Mater quidem ex Tertulliano ad filiorum successionem vocatur; filii vero ex Orfitiano, aviaque item et nepos invicem ex constitutionibus succedunt; legittimi quidem seu agnati ex lege antiqua que hodie differt, nova constitutione inspecta non sunt admittendi.

XXXXI. Communia de successionibus.

Communia quidem omnium successionum tam ex testamento quam ab intestato rationabiliter in fine ponuntur, in quibus et ius civile et pretorium spectatur secundum varias et diversas differentias; que antea cum multiplicitatibus deferebantur, novo autem iure inspecto prout superius relatum est, et multis superfluitatibus enodata et resecata sunt; maxime differentiam agnatorum et cognatorum, cum hodie omnes pariter succedant; item bonorum possessionis petende ratio ex necessitate spectanda non est, cum omnes qui qualitercumque succedunt, ex lege successio eis defertur; et ideo illa petitio nunc necessaria non est cum iuris, civilis accio et cessante pretorio iure, c. 55, a.
omnibus competat.

XXXXII. De bonis maternis et materni generis etc.

Bona materna et que ex materno genere veniunt communi ratione ad liberos devolvuntur in quibus et parentes quorum in potestate sunt aliquod ius habent. Cum autem et par ratio et in rebus ex matrimonio quesitis liberis, vel aliter non ex re patris neque ex occasione eius vertitur, ideo et de his apponit. Quod filius manente in potestate ex bonis parentis vel eius occasione acquirit id totum patri queritur prout iure antiquo constitutum erat; sed cum filiifamilias hereditatem novo iure transmittere possint, rationabiliter tractandum est que habere possint ad hoc ut transferant. Ante vero constitutum erat ut omnia patri quererentur preter castrensia; quod hodie in profectitiis admittitur. Nulla enim invidia est quod ex re vel occasione patris quesitum est, hoc ad eum reverti. Adventitia vero seu aliunde quesita, ut bona materna, seu que ex materno genere quesita sunt, seu que ex materna linea proprietas filiis queritur usufructu patri concesso; quod et in aliunde adventitia optinet, dum tamen a patre non alienentur neque obligentur. Quod si factum fuerit, mortuo parente vel finita potestate, non obstante temporis prescriptione vendicatio filiis datur seu ex bonis patris resartiendum est, maxime cum bona patris eius obligata sunt ex quo gerere cepit; a ratrociniis quoque seu ab aliis cautionibus excusat eum paterna reverentia. Eo tamen quodammodo ususfructus percipiente similiter et honus ad eum redundat, ideoque omnem diligentiam in rebus gerendis ac tuendis prestare debet. Negotia vero si qua sunt, sui sumptibus intendere et excipere debet: habet enim ex his legittimam agendi personam, adhibito etiam filii consensu, dum tamen eius etatis sit ut consentire possit. Quapropter si hereditas filio delata est et pater eam admittat, eius periculo est et in ere alieno solvendo et relictis prestandis, propter quas causas si aliunde solvi non potest, vendicatio etiam et obligatio rerum ei permissa est, dum tamen res honerose seu qualitercumque

Source : BIU Cujas

dampnose vendantur, pretio filio reservando vel in res necessarias erogando. Sunt autem casus in quibus nullo
c. 55, b. modo patri ususfructus queritur, ut in causa castrensi. Item quod filio datum seu derelictum est, sub ea lege ne ad patrem ususfructus perveniat, et quod a fratris sororisve hereditate cui una cum patre succedit ad eum pertinet: quod nova constitutione exspressum est. Quod habet enim filius, si mori eum contigerit liberis ex eo non existentibus, ad parentes et fratres ex utroque parente coniunctos transmittet; quoad vero filius advixerit ex his rebus ex quibus ususfructus patri quesitus est, neque alienatio neque pignoris obligatio, cessante patria voluntate, permissa est; testari quoque filio prohibitum est, dum tamen mortis causa patre consentiente donare possit. In castrensi autem pecculio et quasi castrensi sine delectu ea omnia permissa sunt. Si vero pater eas res usque ad mortem suam filium tenere voluerit, tacite videtur ius suum filio remittere, et diurnam donationem in filium celebrare. Ideoque coheredes eius neque eius rei petitionem habent. Sin autem pater in hac quesitione filii dissentiat, maxime in his que eius consensum desiderant ut in hereditatis aditione, potest filius sine eius voluntate, immo etiam eo invito hereditatem adire, omnino nullo nec dampno nec lucro ad patrem redeunte. Pater tamen cogitur in causis agendis filio consentire, quo casu si minor est, curator ad res hereditarias administrandas a iudice dandus est. Sed si filius hereditatis aditionem recuset, potest pater eam adire, etiam si a castrensi causa filio deata sit, ita ut omne commodum et incommodum ad patrem spectet nullo dampno ad filium redundante, dum tamen si minor filius sit, utrobique in integrum restitutio non denegetur; filio vero dementia seu insania laborante, pater omnimodo adquisitionem nomine eius celebrat, quod ei pleno iure queritur nisi quandoque filius retistutionem desideret: quod ei permittitur etsi pater ea repudiavit.

Sed si filii emancipati sint, et matri seu avie vel proavie successerint, virilis portio in usufructu manumissori eidem patri datur.

XXXXIII. De hereditate decurionum etc.

Decurionum vero et navicularioruin seu coortalium militum nec non fabricensium successio certis modis defertur, ideoque de eorum hereditate specialiter apponit. Si c. 55, c.
enim sine testamento et liberis vel aliis successoribus decesserint, eorum hereditas non ad fiscum sed ad corpus sui nominis defertur; quod in clericis iuris est ut bona eorum ad venerabilia loca devolvantur.

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

LIBER SEPTIMUS

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas



I. Explicit liber VI., incipit VII. De vindicta libertate.

DE relictis generaliter huc usque pertractatum est; sunt autem quedam species relictorum que privilegiis gaudent, ut libertates, de quibus rationabiliter in alio libro edicendum est. Occasione vero accepta a relictis, apponit et de datis. Et inter ceteras etiam libertates precipua ea est que apud concilium datur; ideoque de vindicta libertate et apud concilium manumissione premittitur. Vindicta libertas erat que per iudicem seu per pretorem ipsius virga adhibita inponebatur; vendicabat enim eum in libertatem adiectis sollempnibus verbis, his scilicet: AIO HUNC HOMINEM ESSE LIBERUM (1) MORE QUIRITIUM que hodie non desiderantur; vel quia in persona Vindicis Vitelliorum servi inprimis prestita fuit. Apud eum qui legis accionem habet, sive generaliter sive specialiter, concessa est vindicta libertas; tribui potest eo residente pro tribunali, vel aliter, seu transeunte, dum tamen ipse per se vel per suos liberos hoc faciat. Per alias vero etiam maritus hoc fieri non permittitur, quia manumissio in patrimonii administratione non continetur. Sed ceteri modi dande libertatis per alium expediri possunt. Quidam vero ex voluntate hoc faciunt, quidam ex necessitate, ut minores XX. annis: hii enim non aliter manumittunt nisi apud concilium et approbata iusta causa manumissionis. Cui etiam contradici potest; que tamen probata, etiam si falsa sit non retractatur. Hee tamen cause ex affectione honesta non ex turpi causa descendere debent, que leviter tam in Instit. quam in responsis prudentium denotantur. In ultima vero voluntate, ex quo testari possunt, et libertatem relinquunt, antiqua lege cessante: quod ex nova constitutione introductum est.

(1) *Cod. om.* liberum.

II. De testamentaria manumissione.

Nunc de libertatibus directo in testamento relinquendis. In ultima enim voluntate directe libertates non relinquuntur. Directa libertas est que ab ipso testatore datur, c. 55, d.
et non ab alio cum testatur manumitti velit, ideoque orcinus libertus vocatur; que quidem vires ex testamento habet, seu ex eo convalescit. Ideoque si testamentum aliqua ratione deficiat vel ex eo hereditas non adeatur, simul et libertates deficiunt; quod evenit etsi rei memoria post mortem dampnetur: hoc autem intuendum est ut saltim ab uno ex heredibus adeatur hereditas; statim enim libertates competunt si modo pure relicte sunt. Nec illud libertatibus preiudicat, si hereditas adita est et postea speciali iure rescindatur veluti restitutione; tunc enim libertates valent. Quod optinet etsi institutus in fraudem libertatum cum substituto vel legittimo colludat; his enim favore constitutionum subvenitur. Item si sub conditione libertates relicte sunt, nullo modo per heredis factum vitiari vel inpedimentum eis afferri potest, quin eum, eveniente conditione, aliqua causa, inspecta omnimodo cum effectu conputatur. Iura enim statuliberorum per heredem duriora fieri minime possunt, ideoque si per heredem steterit quomnius inpleatur, pro inpleta habeatur; et ideo si alterius intererat ea inpleri, veluti si alteri dare iussus erat et per heredem factum est quominus daret, in factum accione heres ei tenetur. In summa hoc quidem animadvertendum est utrum testator in ea causa fuerit ut libertatem directam et posset et vellet dare. Si enim servi alieni sunt etsi heredis, directa tamen libertas eis

Source : BIU Cujas

prestari non potest: hoc enim desideratur ut testatoris servi sint et tempore condendi testamenti et tempore mortis; item et ne mancipia eius conditionis sint ut ad libertatem pervenire non possint, et ne dominus minor XX. annis sit; que distinctio hodie ex nova constitutione non admittitur. In fraudem quoque creditorum non recte datur quamvis heres institutus solvendo sit. Istud quidem necesse est ut et voluntas testatoris duret; si enim libertates date adempte sunt, cum voluntas mutata sit, pro non datis habeantur cessante voluntate. Quod evenit etsi conditio sub qua date sunt libertates defitiat. Unde sepissime voluntatis emergit questio utrum tempus quod a testatore appositum est ut condictio, etiam cogitaverit ita tempus libertatis prestande seu solvende ab eo
c. 56, a. statutum est; quapropter cum res obscura sit, in ea interpretatione procliviores pro libertate esse debemus: in ambiguis enim pro libertate semper faciendum est. Modo vero non apposito, necesse est ad hoc ut libertas competat vel ut inpleatur vel pro inpleta habeatur, veluti si esse liberi iussi fuerint ut administrationis rationem reddant; licet enim alias manumissus ex ante gesto non teneatur, tamen hic ex bona fide que a domino utilis sit rationem reddere et reliqua solvere, necnon ea que malo consilio amota sunt restituere debet, dum tamen de peculio solvat. Ideoque si per heredem stat quominus rationem accipiat, arbiter a iudice pro rationibus excutiendis accipiendus est; et si liber a rationibus suis inventus fuerit pro eo habendus est ac si puram libertatem accepisset: quo casu modus pro inpleto habetur. Evenit quandoque speciali ratione ut si libertates relicte sunt et omnis deficiat successio, gratia conservande libertatis permittitur servo testatoris sive libertas ei relicta est sive non, vel etiam extraneo adire hereditatem et ita per iudicem adici sibi bona constitutione divi Marci, facta tamen satisdatione de solido solvendo creditoribus et de libertatibus his dandis quibus testator voluit. Et ea ratione libertates cum effectu competunt secundum formam et distinctionem nostre constitutionis quam super his promulgavimus.

III. De fideicommissariis libertatibus.

Explicito tractatu earum libertatum que directo relinquuntur, rationabiliter fideicommissarie libertates apponuntur, que non a testatore, sed ab herede seu ab alio qui rogatus est prestande sunt. In libertatibus enim fideicommissariis spectandum est quis eas relinquere et cui possit et a quibus; item ex qua voluntate debeantur, et quomodo ad eas prestandas compellantur. Hii demum qui testamenti factionem habent eas relinquere possunt si non minores XXV. (1) annis sunt, qui tamen causam apud concilium probare possunt; quod constitutione nova inmutatum esse, ut ex quo testari possunt, et libertates relinquant. Omnibus quidem, etiam his qui in utero sunt recte dari possunt, dum tamen ne hii sint qui ad libertatem venire prohibentur. Et non solum propriis et heredis sed etiam alienis servis iure relinquitur ab heredibus et legatariis et fideicommissariis, item ab his qui mortis causa donationem accipiunt, vel qui omnino ex defuncti volun-
tate aliquid capiunt sive de testatoris servo, sive de pro- c. 56, b.
prio eorum, sive de alieno; ideoque si significaverit quod sibi relictum est, omnimodo ad manumissionem tenentur, tam de servis defuncti, quam de suis propriis; si autem alieni sunt, si eos dominus vendere velit ad redemptionem et manumissionem secundum distinctionem dictam compelluntur, libertas prestetur. Sed si eos vendere nolit, non statim intercidit libertas quidem, sed quoquo tempore servi redimendi occasio fuerit, non tantum ex testamento, verum et codicillis seu ex qualibet alia ultima voluntate ut in exemplo fideicommissarie libertates debentur. Spectatur et hic ea voluntas que durat quemadmodum in directis libertatibus, verbi gratia, ut in eo qui servum tutorem dedit; per hoc enim etiam libertatem per fideicommissum ei relinquisse videtur cum voluntas ea fuit in qua libertas directa relinqui non potuit. Sed ex testamento ita demum debetur si ab instituto adeatur hereditas, vel si pretio accepto aditionem pretermisit, vel si a legitimo quoque hoc petitum sit, etiam ab intestato talis rogatio iuxta communem rationem fideicommissorum admittitur; ideoque approbata ea ratione in primitus spectandum est ut ille qui rogatus est eum manumittat, seu eum in libertate morari patiatur, multo magis ergo et si permittat; quo facto ius patronatus sibi acquiritur cum libertum eum habet. Mora vero facta ancille in prestanda libertate, qui ex ea nascuntur ingenui sunt. Hoc autem ita si libertas ab ea petita est. Sed si in rem mora facta est, idest ex quo die peti potuit petita non est per ignorantiam vel timiditatem eorum quibus relinquitur, sive propter sui iuris ignorantiam, vel propter dignitatem eorum a quibus relicta est, tunc matri tradendi sunt ad manumittendum. Quod evenit etsi studio heredis effectum est ut ancilla adhuc pariat, forte dum tardius hereditatem adiit, et ideo qui ex ancilla nati sunt servi eius fiant, quo etiam casu matris potius liberti fiunt. Quos enim indignus est heredes habere servos, nec libertos quidem habebit. Sin autem conditionaliter libertas relicta est, similiter et hic et in superiori casu expectandum est ut conditio inpleatur.
Tempore vero apposito equaliter ut supra diximus di- c. 56, c.
stinctio adhibenda est, idest utrum conditionem an tempus solvende libertatis voluerit adicere. Quod cum obscurum est, pro libertate faciendum est. Coguntur ad libertates prestandas hi qui rogati sunt vel qui in eorum locum successerint etsi iure emptionis, pretore eos compellente, si presentes sunt; sin autem absentes sunt a pretore vocandi sunt. Qui adesse noluerint, etiam causa cognita pronuntiatum est his deberi libertatem: ex Rubriano senatusconsulto liberi fiunt ac si directo manumissi essent. Quod ita admittendum est si latitent; alioquin si iusta causa

(1) Correctum postea fuit: XVII.

Source : BIU Cujas

absunt, vel pupilli sint, ius patronatus non admittunt. Qua de causa si quidam latitent, quidam vero iusta causa absunt, vel quidam presentes vel infantes sunt et libertum tamen eum habebit. Sin autem de servo non hereditario manumittendo rogatus quis sit, et latitet, Emiliano senatusconsulto locus est. Si vero ex iusta causa absit qui fideicommissariam libertatem debet, et hoc a pretore pronuntiatum est, perinde est atque si ut oportet manumissus esset; quod Damusiano (1) senatusconsulto cautum est. Abesse autem videtur qui pro tribunali abest; quod iure non est non tantum in his heredibus sed etiam in omnibus qui (2) fideicommissariam libertatem debent, ut autem presides in provintiis cognoscant Ariticuleiano (3) senatusconsulto expressum est, etsi heres non sit eiusdem provintie. Multiplici ergo iure principalibus personis in fideicommissis vel prestanda subvenitur cum et petere quidem libertates possit et tam ab herede seu ab aliis a quibus relictum est quam ab his qui in eorum locum successerint sive iure emptionis sive ex alia causa, cum et quandoque secundum supradictas rationes etiam per iudicem seu emptorem quasi directam libertatem consequi possint.

IIII. De latina libertate tollenda.

Lege Fusia Caninia sublata, item dedititiis sublatis consequitur ut latini liberti tollendi sunt, adiectis etiam quibusdam modis, per quos antea latini fiebant, ex quibus nunc cives romani fiunt. Dedititii quidem erant qui sine conditione Romanis se se dabant et quamdiu vivebant servi erant, in morte vero in libertatem eripiebantur. Latini autem quamdiu vivebant liberi erant; in morte vero et ipsi et bona eorum in servitutem vendicabantur. Que omnia ex multis superfluitatibus introducta fuerunt, et ideo merito expiraverunt. Modi vero per quos olim latini fiebant, qui nunc cives romani fiunt, hii sunt: permissum quidem est ut ex voluntate domini per manumissionem libertas servis dari possit, veluti per epistolam que, sive
c. 56, d. ab ipso manumissore sive a tabulario scribatur, V. testium sollempnitatem et subscriptionem desiderat. Quo facto, et vivente patrono libertas competit. Quod optinet et si inter amicos quis libertatem prestet, ut et ibi numerus testium quandoque aditiatur, et his presentibus suam voluntatem edicat, sive etiam apud acta que, scriptura testium, seu publicarum personarum litteris intervenientibus, comprehendantur; quibus in casibus contemplatione quodammodo ultime voluntatis dari libertas quasi ex codicillis videtur. Item si quis publice servum languentem a sua domo reiecerit, nec in scenonem eum mittendo, nec aliud adiutorium ei prestando, solitaque solatia ei denegando: quo casu libertas ex necessitate ei contingit, iure patronatus non servato. Quod evenit etsi ancilla alienata fuerit ita ne prostituatur et postea emptor seu etiam venditor prostituit. Ad quem reservata manus iniectione redigitur; nam et hic ius patronatus admittitur, venditore prostituente; si vero ab emptore prostituta fuerit, venditor habebit ius patronatus. Cessante quoque manumissione, ex qua voluntate libertas servo competit, veluti si superatus sit servus in liberali iuditio, et pretium servi vel per se vel per alium victori prestitit, amisso et hic iure patronatus. Quod optinet et si dominus instrumentum, ex quo servitus ostendebatur, V. testibus presentibus, deleat vel delendum ipsi mancipio det. Item similiter ex voluntate domini libertas competit, si mancipium pilleatum funus domini, testatore seu herede volente, antecedat; ad hoc et si quis ancillam suam libero homini dotatam credenti liberam in matrimonium collocaverit, seu sciens eam duci ex studio taceat, dominium eius amittit, quo facto eripitur ad ingenuitatem. Idem et in servo iuris est. Evenit quandoque idem et si servum apud acta suum filium nominavit. Accidit quandoque ut ius voluntati manumittentis obviet, et non ipsius libertatis prestatione, sed modo ibidem adiecto; licet enim aditiat eum velle latinum fieri, tamen non ideo minus civis romanus efficitur. Item similiter quandoque evenit ut his qui manumittitur alteri libertus efficiatur, veluti cum statuliber ab herede extraneo ante eventum condictionis manumittitur. Nam post conditionis eventum orcinus libertus fit et ius patronatus liberis cognatis datur. In omnibus c. 57, a.
tamen supradictis casibus quondam dominis ius patronatus servatur, nisi ubi spetialiter eis denegatum est, ut in languidis eiectis seu prostitutis. Item et si pretium victori in liberali iuditio solutum est, in eo enim et ius patronatus quondam domino eripitur.

V. De communi servo manumisso.

Mancipium quidem alienum manumittere nemo potest; quod optinebat etsi partim proprium partim alienum esset. Hodie tamen favore libertatis admissum est ut, quis servum communem, sotio seu sotiis partem pretii offerendo, secundum modum a lege finitum, manumittere possit; eo eisque non accipientibus, offerendo per personas peccuniam (1) ac consignando et disponendo in edes sacras maxime vel ubi competens iudex iusserit. Sed quemadmodum sotii ad distractionem coguntur, ita ille qui redemit eodem iure ad manumissionem cogitur, dum tamen peculium inter eos pro portione dominii dividatur, patronatus videlicet iure ei qui manumisit reservato. Ceteri autem, uno volente manumittere, si se idem facere velle dicant, audiendi non sunt, eo qui primitus hoc dixit admittendo, aliis tantum similiter insistentibus et obtentu libertatis idem pollicentibus, omnes per iudicem sine pretio coguntur manumittere. Quod evenit etsi quis partem quam in communi servo habet ei legaverit; nam et tunc heres eius com-

(1) *Cod.* Amusiano.
(2) *Cod.* per.
(3) *Cod.* Artifictiliano.

(1) *Cod.* p.

Source : BIU Cujas

pellitur partem pretii sotio prestare seu sotiis et sic eum manumittere, hisque non accipientibus, consignare et deponere.

VI. De servo pignori dato manumisso.

Communis servi manumissio nisi cum sollempnitate recepta non est; item servi pignorati admissa manumissio non est nisi ab honere obligationis liberatus sit, vel consentiente creditore hoc fiat; tunc enim libertas competit. Sed hoc verum est in his qui ex speciali conventione obligati sunt, vel ex peccunia pupillari a tutore redempti sunt; nam et hii manumitti non possunt. Si vero ex generali conventione, vel etiam tacita, ut invecta et illata, seu ex privilegio fiscali, mancipia obstricta sunt, manumissio non impeditur, nisi evidentissime in fraude fisci seu creditorum hoc factum ostendatur.

VII. De servis rei publice manumissis.

Servi quoque rei publice manumitti possunt decurionum ordine suum decretum prestante ac preside consentiente. Ita enim a iugo servitutis liberatur, dum tamen vicarium pro se dent: quo facto libertus rei publice erit et honorem prestare ei debet.

VIII. De his qui non a domino manumissi sunt.

c. 57, b Servi quidem a dominis suis manumitti solent; sin autem a non dominis, quid iuris sit videndum est. Si enim domino consentiente manumittis, obtingit libertas; item postea si ratum habet, et pretium eligat, valet libertas, et in id quod interest domino eius tenetur. At si vendidisti seu donasti, aut alias contraxisti, et non tradidisti, eo non obstante cum in dominio tuo sit, competit libertas. Sed si apud principem alienum servum manumittas pene constitutionis constantiniane subiacebis, servo proprio domino restituendo protinus.

VIIII. Qui manumittere non possunt, et ne in fraudem creditorum manumittatur.

E converso evenit ut quis proprium servum manumittere non possit, veluti cum aut dominus ei dare libertatem prohibeatur aut ille cui libertas imponitur eam accipere impeditur. Prohibetur autem dominus si minor sit annis XX., manumittere, nisi apud concilium manumissionis causa approbata, vel in ultima voluntate eam reliquerit. Ex quo enim testare possunt, et libertatem relinquunt ex nova constitutione, iure antiquo cessante. Item debitores in fraudem creditorum manumittere prohibentur: hoc ita si creditores re et consilio fraudentur. Si autem per fideicommisum relictum est, ex eventu solo prepeditur. Permissum tamen est ei qui alium heredem non habet, saltim unum servum heredem in fraudem creditorum instituere, ut potius bona nomine servi quam defuncti distrahantur. Sin autem fisci debitor manumisit, et in libertatem per decennium moratus fuerit, libertas non potest revocari. Libertas quidem data, populo cogente seu acclamante, similiter inpeditur. Inpeditur quis libertatem accipere, veluti si manumissor ea lege emit ne eum manumitteret.

X. Qui non possunt ad libertatem pervenire.

Dampnati quidem a iudice, ita ut in perpetuis vinculis morentur, cum per sententiam servitutis conditio geminata sit, ad libertatem produci non possunt. Item servi sub ea lege alienati vel relicti in ultima voluntate ne manumittantur, ad libertatem pervenire non possunt, ea tamen distinctione admittenda ut si propter usum filiorum necessarium manumitti vel veniri noluit, liberis mortuis etiam prohibitio finita videatur. Si vero male meritis perpetue servitutis penam irrogavit, nec per suppositam personam ad libertatem pervenire possunt.

XI. Pro quibus causis servi pro premio accipiunt libertatem.

Evenit quandoque ut e contra libertas pro premio c. 57, c. servis detur etiam cessante domini voluntate, veluti is qui cedem domini vindicant, item qui desertores militie nec non adulterine monete violatores seu virginum raptores in publicum detullerint, dum tamen in his casibus pretium eorum domini accipiant a fisco.

XII. De ingenuis manumissis.

Cum servi in libertatem deducuntur, quid iuris sit explicitum est, sed cum ingenui manumittuntur an ingenuitati preiudicet inspiciendum est. Sepissime quidem constitutum est manumissionem ingenuitati non obesse; et ideo cum de facto manumittuntur, suos natales repetere non prohibentur, dum tamen ea que de domo manumissoris habent ibi relinquant. Ea enim que ut libertis seu ut filiis dantur seu relinquuntur, cum liberti aut filii non sint non debentur; et si data sint quasi sine causa repetuntur. Data quidem sententia pro matris ingenuitate et liberi suam ingenuitatem probare possunt; e contra etsi libertina pronuntietur, non prodest liberis ad ingenuitatis probationem, nisi ostenderint post matris manumissionem se editos esse.

XIII. Communia de manumissionibus.

Per singulas species de manumissionibus dictum est; nunc communia de omnibus tam datis quam relictis edicendum est, Dando quidem manumissionem seu relinquendo, propriis servis libertatem prestare licet: alius in eo usumfructum habet, dum tamen iuri eius nichil preiu-

Source : BIU Cujas

dicet. E converso ille qui usumfructum habet, manumittendo gratiam proprietario facit quasi remittendo usumfructum. Si autem gratiam ipsi servo faciat, tunc iudex in quiete eum tuebitur et non compellet eum servire proprietario quamdiu fructuarius vivit vel capite minutus non est. Item manumittere possumus per nos et per alios, prestando ministerium, manumittendo, ut per liberos nostros sive emancipati, sive in potestate sint, non habito delectu in modo manumissionis sive apud iudicem, sive in sanctis ecclesiis sive secundum alium legittimum modum prout mandator maluerit. In etate quoque eius qui manumittitur, sive inter vivos sive in ultima voluntate, item sive directo sive per fideicommissum manumittatur delectus non habetur, cum et hii qui in utero sunt manumitti possunt ut solem cum libertate respitiant. Item in
c. 57, d. etate manumissoris distinctio non admittitur postquam eius etatis est ut manumittere possit, idest maior XX. annis; minori enim non permittitur, nisi causa cognita et apud concilium approbata manumissionis iusta causa. Quod admittitur etsi per fideicommissum rogatus sit manumittere. Sin autem ancillam in habitu concubine usque in diem sue vite habuit, et ex ea liberos substullerit, et neque inter vivos, neque in ultima voluntate eam vel eos aliis relinquerit nominatim, sed inmo taciturnitate eos preterierit, statim post mortem domini in libertatem eripiuntur.

XIIII. De liberali causa.

Explicito tractatu omnium manumissionum, item et communia, rationabiliter liberalis causa annectitur, in qua leges multis modis libertatem favent. Libertas enim omnibus rebus favorabilior est, ideo in obscuris pro libertate faciendum est. Liberale quidem negotium est sive quis ex libertate petat aliquem in servitutem, sive ex possessione servitutis quis proclamet se in libertatem asserendo se ingenuum vel libertinum esse. Sin autem pro ingenuo se agat, et quis eum libertum suum esse asserat, et e contrario, si pro liberto ab aliquo retineatur, et ipse in ingenuitatem quodam modo et in preiuditiali iuditio se se vendicet, similiter liberalis causa est. Sed cum de possione questio est, utrum pro servo possideatur an pro libero se gerat, conceptione et origine ipsius inspecta, apud quem possessio sine dolo malo deprehenditur, is possesor exstimari debet. Ad quod probandum ipsa etiam mancipia torquenda sunt. Hoc iuditium in rem proposita accione ab utroque exercendum est; que petitio in preiuditiali iuditio instituitur, quo iuditio quedam communia, quedam specialia intuenda sunt. Commune est ut alter actor, alter reus, et ut qui agit probet. Speciale est ut etiam absente actore secundum libertatem pronuntiari possit; item si ab alio pro servo possideatur, in libertatem proclamari se possit, et invito eo qui servus dicitur. Et hoc permissum est tam cognatis quam patronis seu aliis omnibus; libertati enim favere omnibus permissum est. Item ordinata liberali causa, interim pro libero habetur tam ad hoc negotium quam ad cetera alia peragenda seu inchoanda sive intendendo sive excipiendo. Illud c. 58, a.
quoque speciale est ut si in actis profiteatur se servum esse, non tamen ei libertatis defensio denegatur. Cum vero quis intendat aliquem suum servum esse, merito et communi ratione causas que servum suum faciant, allegare seu probare debet. Item e contra qui ex servitute in libertatem se vendicat, cause que ingenuum seu libertinum faciant, a non idoneis causis examinatis atque diffusis sunt ostendende; nec non, etsi exceptionem que pro libertate facit opponere velit, et eam probare similiter debet, veluti si defunctus cuius heres est qui in servitutem petit eum qui manumiserit. Item, etsi exceptionem quinquennii opponatur ut cum de statu defuncti queritur vel de vivi si preiuditium fiat mortuo, e contra libertati nulla prescriptio maxime temporalis opponitur. In summa cause que pro libertate faciunt, item et que contra libertatem cum allegantur, et in questionem deducuntur, et ab eo qui dicit probande sunt; ideo non solum personarum sed etiam argumentorum habetur ratio, et que idonea sunt ad fidem faciendam diligenter examinanda sunt, dum tamen is qui de libertate sua probare non cogitur, ultro si velit, actore maxime in probatione defitiente, ingenuitatem suam probare audiant. Nunc autem restat ut ad quem finem liberalis causa perveniat dispiciamus. In eo enim cum fere ius commune spectandum est, cum et hodie altera quoque absente parte status causa dirimi possit, et qui questionem patitur, matris conditionem sequitur, maxime qui in lite nati erunt; qui vero ante litem motam, suo nomine in questionem vocantur. Item et ab hac sententia appellari potest, et secundum ius commune cause appellationis tractantur, dum tamen si duo iudices diversas sententias dederint pro libertate constitutum optinet. Sed et si duo petant homines apud diversos iudices, et unus pro libertate, alter contra libertatem sententiam dixerit, coguntur quidem consentire, dum tamen etsi dissenserint libertas conservetur, parte videlicet pretii victori prestanda.

XV. De assertione tollenda.

Assessores quidem antea in liberali causa ab utraque parte admittebantur qui eos in libertatem asserebant, cum non erat permissum servos in iuditium consistere. Sed cum hodie ordinata liberali causa, pro liberis interim habentur, permissum est tam pro hac causa quam etiam pro reliquis eis litigare, et etiam per procuratorem; et ideo de assertione non admittenda sed tollenda apponit. Litigare quidem per se vel per procuratorem possunt hii c. 58, b.
qui ex libertate in servitutem petuntur. Qui autem ex servitute se in libertatem proclamant procuratorem ad liberale iuditium dare non possunt.

Ad cetera vero omnia negotia indistincte eis dare procuratorem permissum est, cessantibus nunc retracta-

Source : BIU Cujas

tionibus que ante occasione assertorum fiebant, cum verto hodie provocare permissum sit, qua non precedente, rebus iudicatis standum est. Si autem is qui in libertatem se proclamat lite pendente decesserit, cogitur venditor probare se servum vendidisse; alioquin de evictione tenetur. Si vero is decesserit qui pro libero se gerebat, et tunc propter peculium et partus sententia necessaria est.

XVI. Quibus ad libertatem proclamare non licet.

Sunt persone quibus proclamatio in libertatem prohibita est, ideo etiam hoc quia civili iure vel libertas ei competens eripitur vel debita denegatur. Si enim maior XX. annis ad pretium percipiendum se venundari passus est, et pretium partecipatus est, is ad libertatem proclamare prohibetur; sin autem simpliciter se venundari passus est, libertatis proclamatio ei non denegatur. Item qui ex familiis latronum sunt, cum ex autoritate imperiali vel fiscali servi facti sunt, in libertatem proclamare prohibentur, his quoque quibus libertas per fideicommissum relicta seu aliis debita est. Similiter eis denegatur libertatis petitio, si maiores XX. annis ad pretium partecipandum se venundari passi sunt ne melioris conditionis sint quam si ingenui essent vel libertatem iam consecuti; hoc autem ita demum, si is qui emit condictionem eorum ignoret. Sciendum est quod sive ingenuo seu libero deputentur que vero ut servo dominus largitus est et que ex furtivis compendiis capta ac parata sunt, domino restituenda sunt. Item ratio rerum ab eo gestarum domino reddenda est.

XVII. De ordine cognitionum.

Status causa quandoque principaliter, quandoque incidenter agitur; ideoque cum quo ordine cognitio liberalis cause procedere debeat intuendum est. Si enim petis a me C., et dico te meum servum esse, causa liberalis cum preiuditialis sit, precedere debet; cum autem simpliciter
c. 58, c. liberalis causa proponitur, secundum ordinem supradictum lis dirimenda est. Causa preiuditialis quoque propter personam eius cum quo agitur prorogatur, veluti si pupillo status questio seu generis moveatur. Differtur autem usque ad tempus pubertatis, nisi forte pupillo expediat rem statim finiri, quandoque propter iudicis personam, veluti si apud pedaneum causa status moveatur. Incidenter enim examinare potest, non etiam de ea pronuntiare; pronuntiando tamen de hereditate secundum eum prodest ei ad libertatis victoriam, quoniam non de ea, sed de hereditate pronuntiat. Sed si e converso, non ita. Sin autem dico te servum meum vel alienum, et ideo te ab accusatione quam intendis excludo, et hic incidens questio iure precedit, ita tamen ut iudex iuspitiat utrum acusatio induci debeat an propter hoc evanescat. In summa ubi status questio intervenit sive in civili sive in criminali causa prius ea decidenda est cum aliarum rerum cognitio aliter plene haberi non potest. Ubicumque enim causa liberalis movetur, si ei qui servus dicitur aliquid a domino arreptum proponatur, sive ex servitute in libertatem se proclamat, ante status causa dirimenda est. Et ideo si pro libertate sententia dicta est, tunc direptarum rerum audientia admittenda est. Sin autem in possessione libertatis constitutum aliquis in servitutem petierit, et ea occasione res tuas rapuerit, te satisdante, prius omnia tibi restituenda sunt. Cessante vero satisdatione, ea omnia sequestranda sunt usque in eventum litis dum tamen in alimonia ei ex his et sumptus litis subministrentur pro arbitrio iudicis, cum alia facultas ei non suppetit. Si vero ante motam questionem res tibi arepte fuerunt, et questio status ideo opponitur ut earum rerum restitutio prorogetur, statim quidem res tibi restituende sunt, et causa liberalis postea secundum verum suum ordinem exercenda est. Queri quidem hic solet quare de ordine cognitionum hic apposuit. Cum superius de iuditiorum ordine edixit, hic quantum ad liberalem causam attinet: ibi vero quantum ad omnia iuditia quam criminalia pertinet, hic hominem exposuit.

XVIII. De collusione detegenda.

Generaliter quidem proditum est ne quis conditionem suam celet, quod senatusconsulto effectum est; ideo quoque ne nimia indulgentia dominos seu patronos inquinaret, senatus vero hoc prohibuit, et de collusione detegenda apponit. Si enim quis servum suum in ingenuitatem se proclamare et sententiam pro libertate dare passus est, dominium quidem amittit et servus efficitur eius qui c. 58, d.
probaverit hoc per collusionem factum esse. Si vero libertus erat et passus est ingenuum pronuntiari, iste similiter libertus efficitur eius qui collusionem detexit; ideoque pro patrono ille habebitur, eo amittente in penam ius patronatus cuius fuerit libertus. Cum autem plures ad collusionem detegendam veniant, causa cognita, iudici extimari permissum est quis magis amitti debeat.

XVIIII. Ne de statu defunctorum post quinquennium queratur.

De statu defunctorum secundario queri potest, quod post quinquennium admissum non est. Qui enim ut civis romanus in diem mortis oppinione communi vixit, ita ut vel nullam sui status controversiam pateretur, vel apud non competentem iudicem lis mota est, vel si longo silentio questio, defitiente eo qui causam movit sopita est. quo tempore transacto nulla questio ei inferenda est etiam si de vivi statu queratur, cum preiuditium mortuo ante quinquennium fiat. Item nec de bonis querendum est, cum nummaria questio et quinquennii prescriptione tollatur. E contra, post quinquennium in honestiorem causam vindicari potest, veluti

Source : BIU Cujas

si pro servo quis mortis tempore habitus quis ingenuus vel libertus pronuntietur. Sin autem pronuntiatus est ingenuus nec intra quinquennium ea questio retractari potest, nec prescriptio etiam pupillis opponitur.

XX. De longi temporis prescriptione que pro libertate et non adversus libertatem opponitur.

Item vivi quoque statum constat ex prescriptione temporali esse tuendum, ut divi principes sepissime sanxerunt. Prescriptio enim XX. annorum pro libertate eatenus facit ut et civem romanorum eum fatiat; hoc ita si in possessione libertatis bona fide per XX. annos continuos sine controversia permanserit, iusto initio precedente. Hoc ita si iusta ratione putavit se liberum esse; non tamen (1) illud exigitur ut titulum habeat, sed sine dolo malo in possessione libertatis eum fuisse sufficit. Contra libertatem autem nulla temporis prescriptio opponitur.

XXI. De peculio eius qui libertatem meruit, et senatusconsulto et nudo etc.

Qui ad libertatem producitur, si inter vivos manumittatur, tacite ei peculium concessum intelligitur, nisi expressim adimatur; si vero in ultima voluntate libertas relinquatur, specialiter peculio concessio necessaria est; alioquin tacite ademptum intelligitur. Senatuseensultum blandianum merito sollendum est quia contra libertatem introdnctum erat.

Item ius illud quod ex nudo iure Quiritium introductum erat similiter antiquandum est, ut omnes equaliter demum in suis rebus habeantur.

c. 59. a. **XXII. De usucapionibus generalier.**

Temporis prescriptio seu usucapio etiam in aliis causis prodesse solet, ideoque cum de iure intendendi huc usque dictum sit, rationabiliter earum defensiones proponende sunt. Et inter eas usucapio est precipua, quare de usucapionibus apponitur. In quibus petendum est quid sit usucapio; item quis usucapere possit, et que res et ex qua causa seu quanto tempore usucapio currat. Quo autem iure introducta sit dubitandum est; civilis enim iuris dono usucapio introducta est, ne dominia rerum essent in incerto, cum enim sepissime evenit ut res ante dominium bona fide et iusto titulo tradatur, unde sequitur dominium naturali iure translatum non esse, consequenter iure civili receptum fuit, ut per usum res alienas iusta causa quis suas faciat. Unde usucapio quidem est adiectio seu acceptio dominii per continuationem possessionis temporis lege diffiniti. Hec demum persone usucapere possunt qne civiliter possident; ideoque paterfamilias, item filiusfamilias, maxime ex castrensi causa quesitum, usucapere potest. Pupillus vero si tutore aut curatore vel cum ipse animum possidendi habet, possidere ceperit, nec non et furiosus, si ante furorem possessionem nactus est, usucapiet. Inpletur enim usucapio ex temporis continuatione sive per eundem sive per diversas personas res possideatur. Coniunguntur enim tempora inter emptorem et venditorem et a servo qui in locum alterius et iusta causa succedunt; usu enim capio cepta recte completur a successore, si ex ea causa succedat ex qua dominium transire soleat. In heredibus vero eatenus speciale est ut etiam si heres sciat rem alienam esse, usucapio tamen incepta a defuncto, initio inspecto implebitur. Item et vacuum tempus ante aditam hereditatem et ante adeptam possessionem procedit heredi ad usucapionem, si medio tempore a nullo possessa sit. Et hoc ideo quia tempora continuantur inter heredem et defunctum. In rebus quidem mobilibus usucapio hodie recepta est, licet antea promiscue utebantur. Excipiuntur res sacre et religiose; item fiscales seu publice vel etiam pupillares. Furtive quoque, seu vi possesse, presidique contra legem Iuliam repetundarum donate: quamvis alius ab eis bona fide postea acceperit tamen usucapi non possunt, nisi vitio purgato. Liberum quoque hominem, nec si bona fide accipiamus, usucapere possumus. Item et hec res que a testatore prohibite sunt usucapi non possunt. Causa autem iuste que usucapioenm inducunt iustum initium seu titulum et bonam fidem desiderant, idest ut possessio bona fide non iuris sed facti c. 59, b.
errore apprehensa sit: error enim iuris in usucapione negatur prodesse. In usucapione et illud spectatur ut et ille qui tradidit bona fide eum tradat, cessante dolo ne furtum alienando amittatur. Causa seu titulus iustus necessarius est huiusmodi possessioni ut usucapio currat, veluti emptio perfecta non simulata, item vera transactio, donatio, dotis datio, contracto tamen numero, pro soluto quoque, si aliud pro alio consentiente creditore solutum est, vel si ex ea causa qua solutum est quod in proprium nomen non cadit ut est in stipulatione vel indebito usucapio contingit. Pro herede etiam usucapio amissa est, cum quis forte extraneus heres est, et putet rem ex hereditate esse cum non sit, vitio tamen rei cessante. In suis heredibus usucaptio recepta non est cum vitiorum successores sunt, et ideo quodammodo in his titulis non est error; tamen falsa causa usucapionen non parit, dum tamen si procuratori mandatum est ut rem aliquam emeret, et ex ea causa rem tradat quam dominus putat veram esse cum non sit, traditio ex ea causa falsa sufficit ut pro suo usucapere possit cum iustissima causa erroris interveniat. Que et in aliis optinet ut infra pro legato., item pro delicto., et pro socio., causam usucapionis inducit, ut in partu ancille furtive bona fide empte, seu ex alio titulo possesse. Ex qua enim causa usucapere matrem, si furtiva non esset, ex eadem causa partum conceptum et editum apud me usucapere possum. In usuca-

(1) *Cod. addit.* si.

Source : BIU Cujas

pione hoc commune est ut usucapio sine possessione non contingat et ut quis sibi bona fide et iusto titulo possideat. Tempus usucapionis prefinitum triennium est, et quidem continuum: sufficit quidem in initio bona fide possessionem ademptam esse; ex posteriori enim scientia seu ex litis contestatione non interrumpitur. Differentia vero mancipi et nec mancipi sublata est, cum in rebus mobilibus et se moventibus tantum hodie recepta usucapio est. In rebus autem inmobilibus et in his que inter inmobilia computantur, longa possessio X. vel XX. annorum introducta est.

XXIII. De possessione adquirenda, retinenda et amittenda.

Usucapionis articulus explicitus est; nunc possessionis ratio edisserenda est; et quia neque usucapio, neque prescriptio sine possessione contingit, ideo in medio de possessione apponit. Et cum naturalis usus dominium ab apprehensione possessionis originem traxerit causa possessionis adquisitionem, de possessione multe et varie differentie tam facti quam iuris animadvertende sunt; quapropter rogatus, immo coactus a nostris sotiis, cum se-
c. 59, c. pius a me hoc promissum erat, velut ab initio extorserunt, ut possessionis tractatus diligentissime exponerem contra etiam constitutiones inperiales, et responsis prudentium varie et diverse rationes sunt, immo etiam obscure inter se referre videntur, mihi meeque scientie negotium altissimum iniunctum valdeque obscurum tam naturali quam civili ratione permixtum esse, pro mea parvitate satisfacere legittimis rationibus adhibitis amplius non differam. Inprimitus quidem quid sit possessio, item quomodo acquiratur et qualiter retineatur et quando amittatur videndum est. Possessio quidem est quasi pedum positio seu assessio, cum corpus corpori incumbit seu naturaliter assidet; quod interpretatione iuris civilis latius porrigitur. Possessionem acquirere est incipere possidere; in qua causa factum et ius spectatur; factum scilicet nostrum vel eorum qui nostram vicem obtinent. Sed factum differenter accipimus in rebus mobilibus seu se moventibus, item aliter in inmobilibus; res quidem mobiles seu semoventes manucapiuntur, seu sub custodia nostra tenentur; immobiles vero per quamdam similitudinem accipiuntur, ut in aliqua parte fundi quis ingrediens, occupando glebas vel aliquam particulam ac mente et cogitatione ut totum fundum usque ad terminos possidere velit, adquirit possessionem. Hoc ita, si fundus continuus sit; quod in diversis non obtinet. Animus seu affectio spectatur possidentis ut intelligat prius quid possident et qualiter insistat corpori ea affectione ut possidere velit. Si enim dormienti anulum in manu ponas, aut furioso rem tradas, non possidet, affectione cessante. Naturaliter enim possidetur a te cum corpore et animo tuo vel alieno qui vicem tantum obtinet, corpus teneat seu assistat affectione possidendi tibi: quod late patet quantum ad causam civilis iuris attinet in acquirenda possessione et in retinenda intuendum dum tamen scias quid possideas et quatenus et ex qua causa. Corpus quidem quod possides sive per te sive per alium; nam quicunque prestat tibi ministerium suum, (quo casu suum factum tuum videtur), ad quiris possessionem per eum et incipis per eum possidere etsi possessio actualiter sub manibus non pervenit; ergo multo magis retines per alium. Incorporalia proprie possideri non possunt, sed quasi possessio ex iuris civilis interpretatione in his recepta est. Adquiri possessionem per filium quoque et servum ex causa pecculiari iuxta
videtur et ignorantis alias ante scientiam desideratur. Pu- c. 59, d.
pillis quoque et furiosis etiam ex his causis per servum possessio acquiritur, dum tamen si pupillus sis tutore auctore incipias possidere; alias quidem etsi corpore adeptus esset possessionem, licet animi affectus semiplenus sit, tamen ex constitutione queri videtur. Item per procuratorem, tutorem, et generaliter quicumque tuo nomine et tua voluntate aut te sciente possessionem adeptus est prestando tibi ministerium ut supra dictum est, tu possides, etiam si alienus servus sit sive a te possideatur sive non, si tantummodo animum possidendi tibi habet, et ille qui tradidit tuo nomine tradat. Ex interpretatione autem civilis iuris non semper necesse est corpore et actu apprehendere possessionem posse; quandoque oculis et affectu rem tue custodie subicis; quo facto possessio, quodam genere animi metita, seu manu longa tibi tradita et apprehensa a te videtur, quod in columpnis et marmoribus et ceteris que propter magnitudinem sui moveri non possunt, idem in acervo iuris est. Alias autem possessio a te incipitur, alias ab alio priore possessore in te transfertur; cum et possessio tribus modis tibi acquiratur, aut enim occupatione, aut accessione, aut translatione per occupationem vacuam seu que a nemine detinetur, possessionem adquiris: quo casu a te accipitur et omnino sive nullius fuit sive alienam vacantem occupas. Cum enim que nullius est natura possessionem occupas, etiam ex ea causa tibi dominium queritur. Cum enim iustam causam possidendi habes pro suo possides, ut in feris bestiis et lapidibus in litore maris inventis. Item si quod alicuius est nullius putes, aliqua iusta oppinione deceptus et ita possessionem eius apprehendis, dominium tibi non acquiritur; sed tamen iuste possidere incipis pro suo possidendo. Acquiritur autem tibi possessio per accessionem rei tue a te possesse. Sed hoc duobus modis fit; quandoque enim ita accidit ut accessio et per se possideatur, ut partus ancille bona fide empte quamvis furtivus; item fructus bona fide percepti ea etiam pro suo possides et usucapere potes; quandoque tale est ut non per se sed cum unitate maioris rei cui accessit possideas, in eo quod per alluvionem agro tuo adiectum est. In his enim et titulus principalis rei spectatur, ut iusta possessio sit et pro suo
usucapere possit; alioquin si vitiose rem principalem pos- c. 60, a.
sides, et in accessionem illud vitium incurrit. Ab alio vero in te possessio transfertur, sive per se sive per alium,

Source : BIU Cujas

ut procuratorem, sive te ingredi vel detinere quod aput te est permittat, veluti rem comodatam vel depositam. Transfertur quidem possessio ab alio in te quandoque volente, quandoque invito, quandoque ignorante. A volente in te possessio transfertur multis variisque ex causis tam nominatis quam innominatis ut ex causa emptionis, transactionis, seu stipulationis, vel in solutum dationis nec non etiam causa donationis. In eo autem quod detinere permissum est tibi, licet corporaliter possessio non transfertur, cum apud te erat, naturaliter causa mutatur et tibi incipis possidere. Cum autem ab invito possessio in te transfertur, quandoque in te, quandoque non in te. Iusta quidem possessio est cum auctoritate iudicis iussus fueris possidere, licet scias alienam, ex qua causa quandoque capere usum permissum est tibi, ut cum ex causa dampni infecti iussus sis possidere. Iniuste vero possessio in te transit, ut si per vim possessionem ingressus fueris, et si ab uxore tibi donatum accepisti; quo casu pro possessore possides. Ignorantis autem possessio in te transfertur, veluti per eum qui nomine eius possidet ut colonus, ut cum hoc scias et futuram controversiam metuas, etiam clam possides; alioquin, si putas eum possidere, et eum accipias. Non ita quatinus autem possideas utrum totum an partem divisam usque ad congruos terminos spectandum est; tum ex facto, tum ex animi tui affectione, et hoc sive per te, sive per alium possideas. Consequenter vero ex qua causa possideas tractandum est. Causam dominis iustam et iniustam, ut iam incidenter in quibusdam locis relatum est. Si enim occupatione seu accessione vel perceptione, necnon traditione cepisti possidere iustam causam habes, veluti si pretor iussit te possidere; ideoque si traditio fiat ex iusto titulo, veluti emptionis transaccionisque vel permutationis et cetera, etiam usucapere poteris cum ea possessio a iure civili approbata sit. Iniusta causa est ut violenta, clandestina seu precaria possessio, que non volutate domini utitur. Item si uxori donasti, cum
c. 60, b. pro possessore possideat, vitiose possidet. In summa est naturalis possessio, est et civilis; naturalis possessio probata est et inprobata. Idem etiam in civili. Naturalis probata est que quandoque dominium preparat ut in his que occupatione seu captione mea fuerint, quandoque naturalem detentionem ut in rebus locatis seu commodatis; nam et in his civilis causa desideratur, ut affectio possidendi. Colonus enim et animo naturalem possessionem retinet, ut i ex societate, si colonus non deserende possessionis causa exisset de fundo, quod et in violenta seu clamdestina possessione iuris est. Nam et hec possessiones animo acquiruntur precedente corporali actu, retinentur, licet hec civilis causa inprobata sit, quot ed in marito et uxore iuris est. Civilis probata est que quandoque dominium attribuit, quandoque iustam causam usucapiendi seu prescribendi prestat, titulo precedente iusto. Ita in possessione acquirenda maxime factum et ius late spectatur. Nunc de ea retinenda. Retines quidem possessionem et per te et per alium, ut per colonum et hoc amplius quod etiam ibi solus animus sufficit: licet enim possessio solo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri potest. Constat enim te possidere tamdiu quamdiu expulsus non sis, nec suspiceris te posse repelli, nec tua voluntate sive spontanea sive coacta possessionem deseruisti. Quod et in furioso et in pupillo locum non habet. Ex hoc apparet hanc possessionem iuris esse que solo animo retinetur, dum tamen originalem a corporali seu naturali detentione causam habet. Retines enim possessionem quamdiu non amittis: quamvis enim alius corpore in possessione sit, tamen potior est tua civilis possessio quam illlus corporalis detentio, et ideo superior es in interdicto UTI POSSIDETIS; quia retinere possessionem nichil aliud est quam non admittere. Item amittere possessionem est non retinere. Quapropter cum de ea acquirenda ac retinenda dictum sit, modo rationabiliter de ea amittenda dicendum est. In admittenda etiam possessione et affectio eius qui possidet intuenda est, ideoque si nolueris possidere, statim amittis possessionem; quod maxime verum est in ea que solo animo retinentur. Si enim et corpore et actus desideratur corporalis cum aliquo ostentamento, ut enim animo et corpore possessio queritur, ita cum utrumque in contrarium agitur amittitur. Possessionem quidem multis modis admittis, quandoque te volente, quandoque invito, quandoque ignorante. Ex voluntate tua amittis possessionem, veluti si mortuum inferas in locum tuum; loca enim religiosa et sacra non possunt possideri, maxime a sciente, etsi vellet pro privatis ea tenere contempta religione; quemadmodum nec liberum neminem possides. Item si servum manumisisti, vel si quod mobile est in aliam speciem transtulisti, veluti ex lana vestimentum fecisti, vel si ex aliqua causa id quod possidebas in c. 60, c.
alium transtulisti, veluti ex emptione vel ex ceteris causis tam nominatis quam innominatis. Invito te possessionem amittis, veluti si pretor, te non cavente, iussit adversarium possidere, vel si per vim aut clam possessio tibi arepta sit, et si victus in eadem possessione detentus fuisti vel ab hostibus captus. Te quoque ignorante possessio amittitur, veluti si is qui nomine tuo possidebat alii possessionem cesserit, ut colonus vel inquilinus vel commodatarius seu depositarius. Ideoque quod corpore vel animo tuo tantum possides retines; possessionem etiam si alius corpore possessionem ingressus fuerit, nisi expulsus sis vel suspiceris te posse repelli, aut si te revertente non admittat; eius quod servi vel coloni vel quilibet alteri qui corpore possident quam statim alter ingressus fuerit amittis possessionem, et te ignorante, dum tamen si colonus tuus alii possessionem tuam tradidit, cum ipse non possideat nec usucapere nec prescribere potuit, cum ipse auctor eius possessionis quam non habuit fieri non possit. Ideoque si malignati fuerint, vel si negligenter possessionem prodiderunt vel cum tu dominus per eos acquisivisti possessionem, nullum tibi preiuditium faciunt quantum ad hoc quod non sit possessio quesita; amissam quidem possessionem negare non possumus, et ideo ius recuperande

Source : BIU Cujas

possessionis tibi datur, quod pro eo accipiendum est ac si possideas. Quod de eo etiam dictum est qui per vim deiectus est.

Cumque de possessione acquirenda seu retinenda, item amministranda multa et varia nec non diversa tibi retuli, tam circa facti quam iuris inspectionem, possessio enim plurimum facti habet maxime in ea acquirenda: quod autem dicitur plurimum ex iure habet, hoc verum est quantum ad hoc ut iusta sit vel usucapionem vel prescriptionem pariat vel quantum ad retinendam. Et hec omnia edixi prout in constitutionibus et responsis prudentium continentur pro indagatione mee parvitatis. Siquidem autem minus dictum est vel semiplenum invenias, humane imbecillitati potius adscribas.

XXIIII. De longi temporis prescriptione.

Longa quoque prescriptio similiter sine possessione non procedit, ideoque de ea inserto tractatu possessionis, rationabiliter edicit. Et in hac prescriptione persone et res, item ex qua causa seu quanto tempore currat intuendum est. Persone que usucapere possunt et prescribere. Res quidem immobiles et que inter immobilia computantur ut rustica mancipia prescribi possunt, dum tamen
c. 60, d. res sacre vel religiose seu publice non sint; item vi possesse; item res inmobiles presidi donate contra legem Iuliam repetundarum. Cause vero que longi temporis prescriptionem inducunt iustum titulum desiderant et bonam fidem, veluti emptionem et permutationem nec non transactionis causam vel insolutum dationis, item donationis et cetera. Fides bona est, ut putet rem dantis esse, vel eum ius alienandi habere ut procurator, item creditor. Spectatur ex parte accipientis non etiam dantis; error enim facti non iuris admittitur; iuris enim ignorantia negatur prodesse: facti vero ignorantia prodest, male fidei autem possessore alienante, inspecta nova constitutione. Ita demum longi temporis prescriptio procedit, si verus rei dominus sciat alienationem factam et ius suum; alioquin curricula XXX. annorum expectantur. Qui autem supradicta ratione possessionem adeptus est, eaque cepta legittimo tempore continuat, longi temporis prescriptione defendi potest. Tempus quidem inter presentes decennium est; inter absentes vicennium; sed ex nova constitutione, si ex decennio, quibusdam annis quibus absens fuit, totidem ei alii anni aditiuntur quot ex decennio absens fuit. Continuantur quidem tempora inter heredem et defunctum etsi heres sciat rem alienam esse cum defunctus iustum initium habuerit, dumtamen et vacuum tempus heredi ad prescriptionem procedat si medio tempore a nullo possessa est. Inter emptorem ergo et ceteros successores coniunguntur tempora: hoc ita tamen si emptor vel alius bonam fidem amplectatur: alioquin si ipse emptor sciat alienam, licet auctor suam esse putet, non currit prescriptio. Interrumpitur quidem prescriptio quandoque naturaliter, ut si de possessione cecidit, quandoque civiliter ut litis contestatione. Licet enim possessor corpore teneat, tamen super iure possessionis vacillat et dubitat, et ideo interrupta est prescriptio, quapropter controversia forte sopita, licet ex novo X. vel XX. anni postea emiserint, tamen ad pariendam prescriptionem non prosunt, est dicendum. Cum naturaliter interrupta est possessio, ceciderit de possessione quis; licet enim nudum preteritum tempus completum sit, ideoque prescriptio ad irritum recidit, tamen si postea novi X. vel XX. anni intercesserunt prescriptionem pariunt, nisi antequam possessionem recuperaverit sciat rem alienam esse: tunc enim cessat c. 61, a.
prescriptio, quia initium secunde possessionis vitiosum est. Ex huiusmodi autem causa non solum possidenti datur defensio, sed etiam agenti in rem competit accio; quamvis hec prescriptio priori domino prorsus dominium non auferat.

XXV. In quibus causis cessat longi temporis prescriptio.

Dictum est generaliter de longi temporis prescriptione; nunc qualiter ratione rei cesset intuendum est. Prescriptio quidem cessat propter causam que vel nulla est vel non idonea est, seu propter rem quia mobilis est. In his enim usucapio locum habet seu propter acciones, quia personales sunt vel mixte: hee enim spatiis XXX. annorum clauduntur. Hec autem prescriptio competit magis adversus in rem accionem tam directam quam utilem. Si vero ypothecaria adversus extraneos qui iustam causam habent agat, et ei longi temporis prescriptio opponitur.

XXVI. Quibus non obiictur longi temporis prescriptio.

Rei ratione qualiter cesset precriptio explicitum est: nunc quomodo ratione persone cum effectu non obitiatur expediendum est. Si enim apud hostes vel in vinculis fuisti, et res tua ab aliquo ex iusta causa possessa est, prescribi quidem potest, sed per in integrum restitutionem rescinditur. Quod generaliter verum est in omnibus qui sine dolo malo, ex necessitate et non ex voluntate absunt. Item si minor XXV. annorum es, non obicitur tibi, cum ea post perfectam etatem incipit currere, dum tamen ea tempora que citra expeditionis necessitatem, vel finita iusta absentia intercesserunt vel in tuis edibus, vel in alis locis cum ex necessitate non (1) detinebaris, sed ex voluntate, non tibi opitulentur.

XXVII. De quadriennii prescriptione.

Prescriptio quidem quadriennii pro fisco et adversus fiscum introducta est. Cum enim bona vacantia a fisco vendicantur, et quadriennium, elapsum fuerit, quocumque

(1) *Cod. om.* non.

Source : BIU Cujas

possidente, vel qualitercumque possideat ex eo tempore ex quo in rei veritate bona vacare ceperunt, ut ex omnium oppinione defitiente, cum successione quadrienni prescriptio opponitur delatori. Item fiscus a petitione submovetur si princeps alicui bona donavit. Si vero fiscus aut Imperator seu Augusta tradat rem alienam ut propriam alicui bona fide accipienti et ex iusto titulo, sive per se sive per procuratorem vel rationalem rerum suarum hoc faciat, ille quidem qui accepit statim securus est ex Zenonis constitutione cessante quadriennii prescriptione, que ex edicto divi Marci introducta erat. Si vero enim con-
c. 61, b. veniatur vel a domino vel ab eo qui ipoteche iure res vendicat, sive adversus alios possidentes agat, utrobique vincet. Sed adversus fiscum sive contra venerabiles domos datur pristino domino vel creditori intra quadriennium accio, quo transacto nec ille qui accepit bona fide et ex iustis causis inquietandum est, nec erarium nec auguste domus. Sin antem aliquis sciens rem alienam esse, et ex nulla iusta causa a fisco vel a principe accipiat, nulla ratione se tueri potest quominus rem restituat cum omni causa, ne inde iniuriarum sumatur occasio a quo iura sumpserunt initium; alteri enim dampnosa nec iuri contraria impetranda sunt nec indulgenda sunt, et ideo errant qui dicunt principem rem alienam auferre posse, et aliis non iusta causa dare; ex quo forense et celeste ius contrarium clamant.

XXVIII. Ne rei dominice vel templorum vendicatio temporis prescriptione tollatur.

Imperator vel fiscus seu etiam templa divina res suas vel ius suum vendicent, remota omni temporis prescriptione; hoc eis concedatur ne facile seu temporis occasione res propria amittant. Sed et de censu non imminuendo idem iuris est; sive enim census per XL. annos solutus est, sive novella professio facta est, rei publice non preiudicat

XXVIIII. De prescriptione triginta vel quadraginta annorum.

De his temporibus in quibus iustus titulus est et fides bona desideratur dictum est, et favore possidentis competunt; modo de his que hodio seu negligentia agentium vel propter vitam seu finem accionum introducte sunt edicendum est. In prescriptione immo exceptione XXX. annorum non id agitur ut favore possidentis quis rem suam vel ius suum amittat, seu, quod melius est, ut exceptione submoveatur, et propter finem communium personalium accionum immo fere omnium; personales enim aciones spatiis XXX. annorum clauduntur, sola ypothecaria usque ad XL. annos extenditur adversus debitorem vel eius heredes; videtur enim debitor possidere, etiam si alii creditori eandem rem pignori dedit. Secundus enim creditor vivente debitore ei possidet vel post mortem eius si excepcione ex eius persona uti velit; et ideo per XL. annos tantum se tueri potest. Inter extraneos vero bona fide possidentes X. vel XX. annorum spatio concluditur. Istud tantummodo spectandum est ut quis possideat qualiterumque sive iuste sive iniuste, non inspecto initio. Quod et in personalibus iuris est ut ex quo competere ceperint XXX. annis extinguatur, nisi legittima seu naturalis interruptio interve- c. 61, c.
niat. Sin autem quis alieno nomine, quolibet titulo possidet, nec ipse nec heres eius ulla temporis exceptione seu defensione tueri possunt. Possessio enim rei locate seu emphiteotico iure date, vel qualitercumque precario concesse, semper in suo statu remanere debet, eo solo inspecto quod possessio ei vel cui ipse successit alieno nomine concessa fuisset; licet enim heres ignoravit, tamen vitia defuncti ignorantia sua non excludit. Vitia enim a maioribus contrata perdurant, et non recte defenditur cum exordium rei bone fidei ratione non sit subnixum, maxime cum nemo sibi causam possessionis mutare possit: quamdiu confidit se possidere licet per alium, tamdiu culpandus est licet non petat. Quod similiter dicendum est in his qui si velint agere non possunt ut in familias filiis; ex eo enim tempore prescriptio eis currit ex quo a patria potestate liberati fuerint. Item pupillaris etas excipitur, alias enim neque absentia, neque militia, neque sexus ab huiusmodi exceptione excluditur. Si que autem acciones vel si que iura erant que qualitercumque evadere XXX. annorum exceptionem poterant, XL. annis clauduntur, ut ius offerendi tam ex lege Anastasiana quam ex aliis constitutionibus et defensionem tamen prestant; non etiam accionem nisi possessor bone fidei fuerit: tunc enim accio ei datur, vel si per vim de possessione deiectus est, vel si absens possessor ad iudicium vocatus et adversarius in possessionem constitutus, et intra annum reversus prestita satisdatione recuperavit possessionem ut quilibet possessor.

XXX. De annali exceptione ytalici contractus.

Annalis exceptio que in contractibus italicis locum habebat sublata est amissis temporibus prescriptionum seu exceptionum; que ita demum cum effectu opponi possunt, nisi interruptio interveniat sive naturalis sive civilis. Naturalis possessio interrumpitur cum quis de possessione qualiterumque deicitur. Sin autem civiliter possessio interrupta est, precipua est litis contestatio que postea usque ad XL. annos extenditur, quod tempus ex eo intuendum est ex quo novissima cognitio processit, seu ex quo litigatores novissima tacuerunt. Tempus enim iam transactum non computatur; item conventio per exe- c. 61, d.
cutores temporis inducit interruptionem, si ille qui rem maxime immobilem tuo nomine possidebat ad iuditium vocatus fuerit: datis indutiis te certiorato et venire recusante, temporis interruptio introducitur. Item secunda confessio, usurarum solutio personalis accionis interruptionem prestat, et tempus prescriptionis ex die solutionis excurrit. Quod etiam in ypothecaria detentatio ipothece

Source : BIU Cujas

a creditore sine violentia facta inducit, licet creditor debitori possideat: quantum ad usucapionem tamen, si creditor sine vitio possessionem rei pignorate adeptus est, interrumpit debitoris possessionem adversus se inchoatam, in obbligatione quoque que permultas prestationes.

XXXI. De pluribus prescriptionibus.

Prescriptiones in iure speciali positas scire cupientes meo labore collectas ommnifariam et dilucide hic possunt reperire. Est itaque prescriptio trium dierum, ut de advocato cui intra biduum licet corrigere; item XXX. dierum, ut de appellatione hodie scriptum est. Est etiam XXX. dierum ut de creditore qui sciebat se accepisse; est et alia diei (1) que datur tutori ad se excusandum; est et C. dierum verborum possessio: est LX. dierum ut de eo qui emit ita ut si displicuerit inempta sit; est V. mensium, ut reddibitoria: est et annua, ut quanto minoris; est biennalis, ut de dolo malo; est triennii, ut usucapio; est quadriennii ut ne de statu defunctorum post V. agatur et querela inofficiosi. Est VII. annorum, ut cum queretur fuerit infans necne, ut proinde affectum habet; est XII. vel XIII. annorum quum queritur utrum pubes an viripotens sit, ut proinde et testetur, et XXX. vel XL. annorum possessio in illis currat. Est XVII. quando queritur utrum postulare possit necne; est XVII. et dimidium annorum, ut proinde possit manumittere; est XVIII. annorum quos oportet precedere si quis velit adoptare; est XX. annorum, ut si veniam etatis velit impetrare; est XXV. annorum in minoribus; est et trium et VIIII. mensium ut de dilatione; est XX. dierum ut de eo (2) qui vult litem contestari; est et IIII. mensium ut post datam sententiam a iudice expectetur quadrimestre tempus ut concurrant
c. 62, a. usure; est annua binma trima dies pro e stipulatu actione: sublata est et intra annum omnia reddi iubet. Est et alia, ut si quam promisisti te exhibiturum sine scriptis intra duos menses facere debes; nam et XL. dies iure mariti marito obicitur prescriptio.

Est etiam unius mensis ad faciendum inventarium; est et X. et XX. et XXX. et XL. annorum que exemplis non indigent. Sunt et alie prescriptiones que opponuntur volentibus adipisci honorem ut in magistratibus, et sacerdotio summo usque ad minimum.

Est duorum mensium ut de eo qui promisit exhibere reum non adiecto tempore, ut C. de fideiussoribus., l. si fideiussor.

Sunt et alie prescriptiones que expressim longum tempus non habent, ut in usuris. Et de eo dictum est que longo tempore stetit in possessione; quod non capit certam interpretationen nisi forte in libertate. Est alia XV., ut cum testes producuntur.

(1) *Cod.* d.
(2) *Cod. om.* eo.

XXXII. Quomodo et quando iudex sententiam proferre debet presentibus partibus vel una absente.

Servato loco et tempore ferende sententie, presentia quoque partis utriusque desideratur; ipsorum enim allegationibus et meritum cause panditur; semel tamen inchoata lite inter presentes, etiam altero absente, causa decidi debet si legittime vocatus abesse perseveret. Vocationis autem alia est ex veteris iuris forma, alia est ex constitutione nova. Ex edicto enim peremptorio sive unum sit pro omnibus, sive premissis aliis dirigatur, sententia dici potest, cum absens habetur pro contumaci. Si autem vere sit contumax, tres denuntiationes ad invicem peremptorii convalescant. Que sit nove legis forma palam est: cessante vero sollempnitate, quod adversus absentem statuitur ipso iure viribus caret. Preterea singulari iure contra minorem absentem nec defensum lata sententia nulla est habenda. Si vero maior hoc patiatur in integrum restitutione forsan evitabit sententiam.

XXXIII. De sententiis ex periculo recitandis.

Debet iudex sententiam diffinitivam prius formatam scriptis inserere et sic publice officio presente per se ipsum ex scripto recitare, exceptis illustribus, quibus licet et per ministros eam recitare per eundem iudicem neque mutandam neque corrigendam, nisi perraro.

XXXIIII. De sententiis et interlocutionibus omnium iudicum.

Quem in agendo iudicem habes, hunc et adversus te c. 62, b.
necesse est ut observes; in ipsa autem re sibi delegata, sed et in alia ad ipsam pertinente iudicare quis potest, satisque est in libertate tunc temporis eum morari, licet postea servus deprehendatur; taliter advertes sitne competens iudex qui sententiam dicit. Item opus est ut in eam personam dicatur, in quam dicenda est, que scilicet in iuditio sit et iure possit esse. Hec circa personas; circa rem primum vide an intentio et contradictio conflictum et questionem iudici cognoscendam decidendamque proposuerit, et ea questio non sola facti sed iuris ratione constiterit. Quod dici non potest de questione per sententiam decisa. Despice dehinc ut sententia reum vel iusta intentione condempnet vel iusta contraditione absolvat ita plene, ut nichil contraversie sit residuum. Unde consequens est, ut et peccunie in condempnatione deducte quantitas certa per sententiam vel exprimatur vel intelligatur, quia refferat se ad aliquid certum, ut si petieris X. iudex ita pronuntiet: SOLVE QUOD PETITUM EST; salvo autem iure tam scripto quam non scripto statuere debet. Contra ius enim lata sententia infirma est; quemadmodum iniqua per appellationem infirmari potest. Equitas enim partim iure comprehensa

Source : BIU Cujas

est, ut illam estimationem eius quod interest in his que nature vel quantitatis certe sunt, duplum egredi non debere; partem autem iudici statuenda permittitur ut iam dicta estimatio in casibus incertis. Accessiones autem rei petite, precipue contestata lite, computandas; item litis expensas in sententiam deduci et victori debere prestari vulgo notum est. Taliter ergo cum antecedit quod oportet et in pronuntiando abest atque adest; quod iuris postulatio statum adeo tenet ut neque ab ipso qui statuit neque ab eius successore valeat rescindi.

XXXV. De eo quod interest.

Interesse quandoque circa rem, quandoque extra rem est expectandum; item quandoque loco rei, quandoque loco pene succedit; item aliter in bone fidei, aliter in stricti iuris iuditiis seu in arbitrariis iuditiis, aliterque in maleficiis; item aliter in lucro, aliter in dampno, aliterque ex conventione de eo habita, aliterque ex natura accionis esse extimandum.

Circa rem id quod interest spectatur, veluti si unum,
c. 62, c. vel equus minimo pretio distrahatur verbi gratia, et postea maioris pretii, veluti L. effitiatur, id esse prestandum quum saltim hodie dandum est. Si enim datum esset omne, emptor habiturus esset, ut in ff. tit. de actionibus empti et venditi, l. si sterilis, ideoque omnes utilitates que circa rem consistunt dicimus esse prestandas.

Extra rem: veluti si emptor ex uva vel ex frumento negotiari potuit, vel familia eius fame necata est venditore moram faciente, non lucrum vel familie dapnum debet extimari, sed verum ipsius rei pretium que distracta est ut in eadem l. si sterilis. Item si emptor in pretio solvendo moram adhibuit non lucrum quod ex negotiatione venditor facere potuit, sed usuras tantum prestare debet, ut ff. de actionibus empti et venditi., l. ult., venditori.

Evenit quandoque ut etiam illud interesse quod extra rem est tam in contractibus quam in malefitiis prestetur, veluti si sciens servum fugitivum vel furem vendidisti, teneris de omnibus dampnis vel detrimentis per te mihi illatis. Vel si promisisti Pamphilum aut Stichum, et Stichum occidisti qui vilioris pretii erat, quia iam precise ad Pamphilum dandum tenebaris, teneris ad pretium eius. Hec et alia quamplurima reperiuntur in exemplis infra positis.

Loco rei succedit, veluti si carnem vendidisti et hanc de placito non exhibuisti, teneris iam non ad ipsam tradendam sed ad id quod interest, ut C. de actionibus empti et venditi., l. si traditio.; vel si domum facere die certa promisisti, die transacto non ad eam faciendam sed ad id quod interest prestandum condemnandus est, ut ff. de stipulationibus.

Loco pene, veluti si servum mihi vendidisti quem ego sub pena die certa alteri tradere promisi, et te moram faciente incidi in penam; non tantum enim de servo tuo, sed etiam de pena quam alii dedi teneris. Item si Stichum die certa promisisti quam alteri tradendum sub pena promisi, traditionem prorogasti, et ideo precise in penam condennandus es iam non tantum de Sticho, sed et de pena accione ex stipulatu. Due enim stipulationes fuerunt: una certa, veluti de tradendo Sticho; altera incerta veluti cum die certa te daturum promisisti quod in certum continet, ut ff. de verborum obligationibus. Item si Stichum vendisti quem similiter sub pena promisisti; teneris enim de pena, ut ff. ad legem Aquiliam., l. si servum. In iuditiis bone fidei spectatur interesse, tum ex c. 62, d.
natura contractus, tum ex natura actionis, tum iudicis officio. Ex natura contractus, veluti si id quod convenit non prestiterit, veluti si dixi servitutes fundo vendito deberi, et non debeantur; item si dixi servum artificem et litteratum, cum non sit; vel aliquid adesse, et abest; vel aliquid abesse, et adest, veluti si servum habere peculium, cum non habet, ut ff. de contrahenda emptione., et ut in ff. de actione empti et venditi.

Exactionis seu obligationis natura quedam veniunt que neque dicta neque cogitata sunt intra contrahentes veluti de rutis et cesis; item de incertis et inclusis; item si locator aliquid conductori abstulit propter locationem, et multa alia que facile numerari possunt; que omnia ex equo et bono prestantur, licet de his nichil actum sit.

Item aliter sciens aliter ignorans quod interest prestat, veluti si sciens alias morbosum venditisti; dolo enim fecisti et ideo de omnibus detrimentis teneris. Si vero ignorans, quanto minoris empturus esset si id scisset; dolus etenim semper spectandus est, et in his iuditiis etiam si contrarium pacti sunt. Iudicis officio omnia prestatur que in contractu et accione sunt, ut usure. Et in summa hec omnia et alia similia quam plurima reperiuntur, ut ff. de accionibus., de contrahenda emptione., et tit. de actionibus., l. item locatio.

Que omnia similiter prestanda sunt.

In strictis iuditiis tum ratione temporis tum loci id quod interest prestatur, post litem autem contestatam omnes utilitates veniunt, sed non ultra duplum ipsius rei debent estimari, et si aliquid promissum est inmoderate propter penam, et illa est coartanda, quia hec demum pene exigende sunt que competenti moderatione promisse sunt.

Cum vero per arbitrariam aliquid debeatur, veluti quod certo loco promissum est, hic iudex utilitatem utriusque estimare debet, ubi prestandum est non solum dampnum, sed etiam lucrum quod emptor facturus erat si ea res ei suo loco data fuisset, veluti si negotiator fuisset, negotiari potuerit, ut de eo quod certo loco promissum est. Arbitraria enim hac item in ad exhibendum accione quod interest estimatur, etiam post iusiurandum in litem rem per dolum non exibente; alioquin culpa punitur.

In malefitiis id quod interest prestatur et circa rem et extra rem, ut in lege Aquilia., item tit. ff. de condi-

Source : BIU Cujas

ctione furtiva,, licet ex malefitio non sit sed ab eo causam habet. Circa rem, veluti si ipsius corporis peremti vel subtracti fiat estimatio, et estimatur quanti retro in anno
c. 63, a. vel in XXX. diebus quanti plurimi fuit; extra rem, veluti cause corpori coherentes, veluti si ex gemellis vel sinthonicis unus occisus fuerit; non enim solum pretium occisi sed quanti depretiati sunt qui supersunt prestandum est. Item si heres institutus erat servus occisus vel subtractus, et ob id hereditas amissa est; pretium enim hereditatis resartiendum est, ut Dig. ad legem Aquiliam., et de condictione furtiva.

In lucro veluti arbitraria: lucrum quod petitor ex negotiatione facere potuit si res suo loco date erant estimandum est; item si dolo tuo hereditatem repudiavi, teneris quanti lucri ex ea fecissem, ut C. de dolo., et ff. tit. eod.

In dampno: si quis mihi persuaserit ut repudiem hereditatem quasi quia non solvendo sit, tenetur quanti lucri ex ea fecissem, si adissem, ut in C. de dolo et ff. tit, eod. In dampno: veluti si quis familie mee persuaserit, ut a possessione recedant, quo facto dampnum mihi accidit, tenetur quidem ad resartiendum, ut ff. de dolo.

Ex conventione interesse estimatur et in bone fidei et in stricti iuris iuditiis; in bone fidei, veluti si servum mihi vendidisti, et convenit ut aliquid facerem, quod si non fecissem, penam promisi; peti enim pena potest non solum autem ex vendito secundum formam pacti, sed etiam accione ex stipulatu, et si ex vendito actum est actio ex stipulatu exceptione repellitur. Si vero actum est ex stipulatu accione, ex vendito actio ipso iure sublata est, nisi quod pluris intersit me ex vendito egisse; tunc enim id quod in novatione translatum est iure pristino peti potest, ut ff. de actionibus empti et venditi. In strictis iuditiis, veluti si ob causam dedi, vel donavi ut aliquid faceres, et, si non fecisses, penam promisisti: teneris quidem de pena ex stipulatione tantum vel condictione de eo repetendo quod dedi.

Ex natura accionis quod interest prestatur et in bone fidei iuditiis et in aliis incertis actionibus. Late quidem in bone fidei spectandum est etsi de eo nihil cogitatum neque actum inter contrahentes sit: in cunctis accionibus aliis non tantum late extimatur, sed secundum naturam conventionis existimandum est, ita ut ultra duplum rei nullo modo existimentur.

In eo quod interest diximus, satis diligenter tractata sunt si quis ea subtiliter maluerit.

XXXVI. De re iudicata.

Deinde si partes acquieverint, sive legittimi temporis
c. 63, b. silentio sive consensu manifesto, sententia transit in nomen rei iudicate: cui standum est eatenus ut actori qui obtinuit accio et reo qui vicit exceptio tribuatur. Sive autem condempnatus sit reus sive confessus, indutias habet quadrimenstres; alioquin tamen hoc tempus iudex prorogat, vel e contrario infra terminum eius sententiam exequitur. His casibus cessantibus oportet reum infra statutum spatium solvere; alioquin iudicati in factum accio que novatione perempta non est apud suum iudicem propositam meretur executionem. Capitur enim pignori primo quidem res mobilis; ea defitiente, inmobilis; in istarum defectum, accio: huius ergo pignoris distinctione satisfit rei iudicate. Si non inveniatur emptor, mittitur victor in pignoris possessionem, sicut eo casu quo per in rem actionem obtinuisti, ad ipsius corporis quod perpetitum est restitutionem executionis opera indulgentur. Periculum quoque restituende rei post hanc moram reum spectat cuius etiam fructus computantur. Proinde si pecunnia sit in condempnatione, usure centesime iam accedunt iudicate rei; prior enim contractus accione iudicati novatur et ita cessant usure priores.

XXXVII. Si plures una sententia condemnati sunt et quibus rebus res iudicata non nocet.

Eatenus tamen rei iudicate statur ut ex pluribus una sententia simpliciter condempnatis quisque teneatur in virilem dumtaxat portionem; nec inter alios iudicata res alii prosit vel obsit. Sed hoc distinctionem recipit: ecce enim si de eadem re, cuius actio vel defensio tibi primum competit, sequentem agere poteris, nocebit tibi quod adversus ipsum fuerit iudicatum, ut si debitor experiri patiatur creditorem de pignoris proprietate. Nec ergo quelibet vox iudicis eiusmodi continet auctoritatem velut comminatio; sed ea sola que supradictis clauditur finibus quum ab ipsa receditur, si iudex eam protulit secutus ea testimonia vel instrumenta que post reperta fuerint falsa. Cum enim de falso nondum sit quesitum, potest hec questio solutione quoque facta ventilari, ut revelato falso, repeticio permittatur.

XXXVIII. De apellationibus et consultationibus.

Licet appellare non tantum ipsi victo sed et alii cuius interest, ut domino procuratoreve victo, item venditori si victus sit emptor, et ipso quidem die apud acta satis est voce appellare. Si hoc non fuerit, ad libellos appellatorios dandos prefinitum est tempus, idest X. dierum; facta autem appellatione, omnia in eodem statu esse debent c. 63, c.
donec iudex maior sententiam tempore statuto approbet vel corrigat; quamvis nonnunquam bene lata sententia per hoc in peius reformetur.

XXXVIIII. Quando provocare necesse non est et quorum appellationes non suscipiantur.

Non est opus provocatione si iure sententia non tenet, ut si contra ius sit pronuntiatum, aut ee pro constanti habito quod apud ordinarium iudicem pendat in questione, vel iudex aliter quam ei iure permittatur iudicet, seu

Source : BIU Cujas

venalem mercede corruptus sententiam proferat, vel si quo alio modo irritum sit quod statuit. Sicut autem illis casibus appellatio cessat propter rem, id est ipsam sententiam, sic interdum cessat propter personam que volens appellare non auditur, ut in crimini designatis convicti confessique, vel contumaciter absentes, vel ab executione provocantes; quod non permittitur, nisi modum executor excedat. Interdum iure interposita provocatio post evanescit, ut si criminaliter condemnatus appellet, et ita decedat crimenque morte extinguatur. Sunt tamen casus ubi morte finitur causa quantum ad personam, sed de bonis superest questio; interdum ex contrario non appellatur, iure tamen appellationis res agitatur, ut si per vim iudicis terreatur qui vult appellare atque super hoc contestationem publice intra dies legitimos interponat. Idem est si te cessante consors litis appellat et obtinet cum utriusque sit una nulla facti separatione distincta causa; alioquin causa non est eius momenti ut appellatio debeat admitti, ut de possessione momentanea.

XXXX. Qui bonis cedere possunt.

Cedere bonis sive in iure sive extra ius potest antequam debitum agnoscas vel condenneris vel in iure confitearis. Professio quoque voluntatis sola sufficit. Sed ante rerum distractionem si te paratus sis defendere non carebis bonis tuis. Non autem honorum seu munerum nomine potest amitti cessio, sed propter creditores; prodest autem ad hoc ne detraharis in carcerem non ut etiam libereris, nisi creditores solidum consequantur. Sed quamvis in reliquum permaneas obligatus, exceptio tamen tuetur te etiam adversus alios qui tecum ante cessionem contraxerunt donec acquisieris idoneum emolumentum
c. 63, d. quod merito iudicem moveat. Nec vero prodest hec cessio creditoribus ad rerum possessionem iustam sed ad venditionem. Alia est a principe postulata cessio qua permittitur creditoribus electio vel indutias quinquenni dare prescriptionis preiuditio vel cessionem accipere.

XXXXI. De bonis auctoritate iudicis possidendis seu venundandis.

Est quedam in possessionem missio rei servande causa prodita, scilicet ei qui vel creditorem se probat vel iure in rem agit. Mittitur autem in bona defuncti que vacant nec agnoscuntur a fisco; in bona vivi qui neque a se ipso defenditur nec ab alio. Ex hac missione creditor nec dominium adipiscitur nec possessionem, sed ius dumtaxat pignoris. Et quidem uno impetrante videtur pretor non soli petenti, sed creditoribus et in rem permittere possessionem; proinde ceteri postea supervenientes eodem beneficio communicabitur, ita tamen ut intra statutum tempus de suo iure decentes expensas ei qui possessionem inpetravit pro rata resartiant. Sunt autem quorum bona possideri quidem, non tamen vendi possunt, ut pupillus, furiosus, ab hostibus captus, causa rei publicae sine dolo malo absens; sicut e contra de bonis latitantis permittitur ea possideri vendique; et multa eiusmodi sub his titulis in Digestis interpretata reperies, quis videlicet possessionem seu venditionem rerum vel inpetret vel patiatur.

XXXXII. De privilegiis creditorum.

Creditorum causa distinguitur primo quidem hypothecarum iure, in rebus enim possidendis et vendendis hypothecarii preponuntur cirographariis; et inter ipsos hypothecarius responsis potior est iure qui precedit tempore, alter alteri postponitur; demum cum in illa est hypothece mentio, quedam habent in exigenda personalium actionum privilegia non ex tempore sed ex causa magis estimanda; et quidem alii propter personam, ut pupillus similesque alii; propter causam, ut in funeraria impensa, in eo quod creditum est, in refectione domus seu navis, cum etiam in emendis rebus alter antecedat alterum.

XXXXIII. De separationibus.

Separatione quoque distinguuntur, ut ecce tu quidem Titium habes debitorem, ego vero Seium et ita Seio defunto Titius extitit heres; pariterque venditionem pos- c. 61, a.
sum ego beneficio pretoris impetrare, seu bona separari quibus mihi satisfiat; sed ita demum si fidem heredis nondum secutus sum, nec ita bona sunt confusa ut iam separari nequeant, tempusque quinquennii nondum transierit. Tibi vero non permittitur Titii bona separare a bonis Seii cum potuit debitor tuus hereditatem adeundo facere tuam conditionem deteriorem. Impetrata autem separatione si quid ex hereditate me dimisso superest, tu poteris ad hoc superfluum admitti; sed si quis ex bonis heredis tibi repleto supersit, mihi concedendum non est, quia semel ab heredis persona recessi. Interpretatio autem presentis articuli subtilius latiusque declarat qui et in quibus bonis inpetrent separationem.

XXXXIIII. De revocandis que in fraudem alienantur.

Excussis bonis nec sufficientibus, si quid in fraudem creditorum debitor invenitur alienasse, datur eis ad hoc revocandum in factum actio. Non si quid omisit quod acquiri potuit, sed si quid fecit quo magis habere desinat quod habuit, et ita patrimonium diminuit. Tenetur hac actione emptor qui sciens particeps fuit. Is vero cui donatum est et ignorans tenetur quatinus ex eo locupletior invenitur. Fraudator quoque, licet ex ante gesto post venditionem bonorum non conveniatur, hac accione tenetur si quid disperdidit quod aliunde recuperari non potest, in quantum scilicet facere potest, vel dolo fecit quominus possit: potius ipsius pena spectanda est (1) quam accionis emolumentum.

---

(1) *Cod. om.* est..

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

LIBER OCTAVUS

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas



I. De interdictis [1].

IN superiori quidem parte sacrarum constitutionum de iure civili principaliter tam ad agendum quam ad defendendum, seu cum quo ordine iuditia exerceantur, et quo modo cognoscendum, item examinandum seu pronuntiandum sit, et qualiter negotia executioni mandentur, seu cum qua forma iurisdictio contra absentes proferatur, satis aperte satisque dilucide satisque compendiose relatum est; nunc vero de iure pretorio principaliter (licet supra in quibusdam locis incidenter de eo dictum sit) pertractandum est. Et inter cetera iura pretoria interdicta sunt precipua; ideoque de iis premittendum est; vel quia hii qui in possessionem rerum debitoris missi sunt per interdictum a pretore tuentur ne vis fiat eis qui in possessionem rerum debitoris missi sunt; ideoque accepta in specie occasione, tractat generaliter de omnibus interdictis.

Erant autem antea interdicta formule et conceptiones seu solempnitates verborum que nunc sublate sunt. Hodie tamen equitas illa que olim per interdicta exercebatur, utilibus seu extraordinariis in factum accionibus redditur. Interdicta rero quedam divini iuris sunt, quedam humani iuris causa posita sunt: de rebus divinis, ut ne quid in loco sacro religiosoque fiat, et si factum fuerit, ut restituatur. Ea que humani iuris causa redduntur, vel ad publicam utilitatem pertinent vel ad privatam; publica, ut de locis publicis, item ius nec non de fluminibus publicis ne quid in his fiat, et si factum fuerit, ut restituatur; privata vel de universitate, ut quorum bonorum, et de rebus singulis, ut interdictum unde vi et uti possidetis; et quedam sunt sui iuris tuendi causa, ut de libertis et liberis exibendis, quedam sui offitii tuendi causa, ut de libero homine exhibendo; interdictum est enim omni ne liberi homines detineantur a quoquam. Quedam sue rei familiaris tuendi causa que sunt vel adipiscende, vel retinende, vel recuperande possessionis causa. Adipiscende: ut quorum bonorum, quorum legatorum, interdictum Salvianum; retinende: uti possidetis et utrobi; recuperande: unde vi, et quod vi aut clam, item precarium. Item quedam prohibitoria, quedam restitutoria, quedam exhibitoria, et in summa quedam simplicia, quedam duplicia. Continent autem omnia interdicta maxime causam possessionis, ideoque si causa proprietatis concurrat, prius possessionis questio dirimenda est, ut postea ab eo qui de possessione victus est probationes de proprietate exigantur et quemadmodum in iure civili auctor rei forum sequi debet, ita etiam in interdictis. Item si sententia interdicti in aliquo casu manifesta sit, et in ceteris similibus porrigenda est. Iudex enim ad similia et hic procedere debet et ita dicere ut ecce: si arbor inpendet alienis edibus et dominus eam usque ad XI. pedes non coherceat, excidere non vult, permittit pretor ei cuius edes sunt et eam stirpitus excidere lignaque sibi habere et ne vis fiat ei succidenti prohibet. Item si arbor et fundo alieno inpendeat, et dominus eam c. 61, c.
usque ad XV. pedes non coherceat, permittitur ei cuius

---

(1) *Hoc caput in cod. ms. laur. incipit:* Rogatus quidem a multis nostris sociis, maxime a dilecto Enrico, ut paraticia titulorum a nobis cepta ad effectum seu post missionem perducamus, ideoque eius gratia, pertractatis iam VII. libris, seu discertis paratitiis, ad octavi voluminis compendium edisserendum cum summa seu exactissima diligentia perveniendum esse nullatenus moram fecimus, cum ortatu sociorum tum quia res per se utilissima atque honestissima visa est. In cuius quidem tractatu, multa varia et inter se diversa, nec non multis obscuritatibus innodata reperiuntur, que omnia Deo annuente, partim exitum a nobis excipiunt.

Source : BIU Cujas

fundus est hoc facere, idest ramos usque ad eam altitudinem cohercere, et ligna sibi habere et quominus ei facienti vis fiat interdictum est; item ergo si radices vicino noceant, ut similiter ei subveniatur, et arbor radicitus extirpetur.

II. Quorum bonorum.

Premisso generali tractatu nunc per singulas species de interdictis edicendum est. Est autem interdictum quorum bonorum quod adipiscende possessionis est et de universitate proponitur. Competit heredi vel bonorum possessori et in eum qui possidet corpora hereditaria pro herede, vel pro possessore, vel dolo malo fecit quominus possideret. Veniunt omnia que defunctus tempore mortis possedit et fere ea omnia que veniunt in hereditatis petitionem dumtamen iura non veniant. Debitores enim hereditarii hoc interdicto non conveniuntur. Petita autem bonorum possessione non statim per hoc interdictum rerum hereditariarum restitutio facienda est, nisi et illud factum probetur, per quod quis ad successionem civiliter pretorio iure admittatur.

III. Quorum legatorum.

Quorum legatorum et ipsum adipiscende possessionis est, licet singularum rerum, ideoque superiori annectitur. Datur quidem hoc interdictum heredi et eius successori, maxime cum non satisdedit, vel per eum non stat quominus satisdet, et adversus legatarium vel eius heredem de eo quod legati nomine petere debuit, cum in possessione sine voluntate heredis esset, nec eo postea ratum habente, vel dolo fecit quominus possideret. Item et ille tenetur qui in possessione legatorum servandorum causa a iudice missus est postquam satisdatum est, vel per eum factum est quominus satisdetur.

IIII. Unde vi.

Qualiter possessio superioribus interdictis adipiscatur expositum est; modo qualiter possessio vi amissa recuperetur tractandum est. In hoc interdicto cui et in quem detur, et quid in eo veniat, et quanto tempore spectandum est. Deiecto competit; deicitur autem qui possidet, et sive naturaliter et sive civiliter, sive per se sive per alium. Ei vero qui ministerium suum alteri prestat non datur, ut colono, fructuario, item et superfitiario, et ei qui non ad modicum tempus conduxit, cum perpetuam causam
c. 64, d. habet, denegandum est. Similiter ei qui clam vel precario possidet datur; forsitan quidem et hoc ad initium referendum est. Vitiosa enim possessio adversus extraneos prodesse solet, sed cum ille qui precario possidet dominium admittit, mutare sibi causam possessionis vel quod magis est incipere possidere.... exinde videtur dominum repellere, ideoque adversus dominum ipsum ei datur si ab eo postea expulsus est. Indifferenter quidem etsi vitiose possideat, ad interdictum admittitur qui armis deiectus est: in eum datur qui deiecit sive per se sive per alium, item in eum qui dolo fecit; verba enim edicti ad hoc pertinent: UNDE TU ILLUM DEIECISTI AUT FAMILIA TUA DEIECIT, VEL ALIQUIS TUO NOMINE, ET SCIENTE VEL RATUM HABUISTI, QUOAD ILLI RESTITUAS. Qui autem per alium deiecit tenetur, nec tamen ille excusatur, licet forte alium mandatorem habuerit; uterque enim tenetur, et uno solvente alter liberatur. Factum autem ipsius deiectionis inspecta ipsius possessionis diversitate varie considerandum est, puta si possidentem animo tantum quis postea revertentem eum non admittat, vel in ipso itinere eum detineat, et ita illius possessionem occupet; item si quis corpore suo vel alieno possideat, et aliquis eum corpori incumbentem corporaliter expellat, aut eo exfugato corpus occupet, aut vincto possessore retineat, aut forte imperando, per eum vinctum possessionem retineat. Venit principaliter in hoc interdicto restitutio rei immobilis, cum omni causa dampni dati. Res vero mobiles seu se moventes que in fundo vel in edibus erant, secundario eodem interdicto restituuntur etsi postea interierint, licet de his vi bonorum raptorum et furti accio competat. Item furtiva conditio competit. Item si fructus quos percepit seu percipere potuit et quos vetus possessor percipere potuisset, si ei possidere licuisset, ex die facte violentie prestantur. Item omnes utilitates cum omni causa dampni dati estimantur. Item utilem quidem annum datur; de eo autem quod ad eum pervenit perpetuo competit. Pervenisse quidem videtur si vi possidere cepit; quod non admittitur si per vim possessionem suam retinuit. Permittitur autem recte possidenti violentiam illatam propulsare, habita moderatione inculpate tutele. Eum qui cum armis venit possumus armis repellere; et hoc adeo verum est ut etiam in possessionem vi ablatam incontinenti, scilicet in eadem concertatione, recuperare permissum est; non ex intervallo; quo casu non tam deicere videtur quam in primam c. 65, a.
causam reverti. Pertinet hoc quidem interdictum ad vim atrocem tantum; atroxque vis intelligitur cum quis corpore vel animo possidens armis vel sine armis atrociter deiciatur. Si autem alias quis deiectus sit cum qualitercumque possidebat, quo casu interdicto cessante supplent constitutiones et condictiones reddunt et in his casibus quibus interdictum defitiebat. Si enim quis sua auctoritate id quod apud alium qualitercumque est occupet, violentus videtur sine iudice occupando; vis enim est et tunc quotiens id quod sibi debetur non per iudicem exposcit. Ideo SI QUIS IN TANTAM etc. locum habet, et hac temeritate punitur sive rem mobilem sive immobilem, sive propriam sive alienam quis usurpet. Qua pena afficiuntur et hii qui alieno nomine possident si restitutionem eius sine iusta causa recusant, donec per iudicem contrariam sententiam reportent. Item si aliquis sua auctoritate vacuam possessionem occupet, que ab alio neque animo neque corpore possidetur, forte propter negligentiam vel ignorantiam seu

Source : BIU Cujas

incuriam domini, vel quia longo tempore abfuit, vel sine herede decesserit, tenetur ex constitutione ea iurisdictione generali que veteribus legibus contra invasores prodita est. Predones enim sunt qui res alienas vel possessiones occupant. Et ideo accepta occasione in specie, generalem legislationem profert que sine delectu omnes predones tenet et punit. Quod enim ab alio qualitercumque tenetur, alius sine vi invadere non potest, licet in predictis casibus lex constantiniana violentie penam removebat: INVASOR LOCORUM etc. Si autem quis, fretus principalis rescripti vel iudicis sententie occasione, alienam possessionem perturbet cessante legittima citatione, penam constitutionum non evadet: SI PER VIM VEL ALIO etc.

Insuper etsi absenti deiecto interdictum competat, datur tamen certis personis et servis qui eius nomine possidebant momentarie possessionis petitio etiam cessante mandato: hoc ideo ne restitutio differatur dum tamen proprietatis negotium iustis et legitimis personis reservetur.

V. Uti possidetis.

In superiori tractatu qualiter adversus violentiam iam amissam subveniatur explicitum est; nunc autem quomodo adversus futuram vim ne fiat provisum est, tractandum
c. 65, b. est. Prohibet enim pretor possidenti vim fieri et id quod quis persequitur hoc interdicto ne inquietetur, dum constet eum possidere, tametsi ab alio vitiose possideat, sive enim in iuditio cum de proprietate litigatur, adversarius possessionis controversiam faciat, sive extra iuditium quominus liberam possessionem relinquat, veluti possidentem hedificare vel alias uti prohibeat. Optinet maxime adversus eum qui animo non possidet vel qui ab eo vitiose possidet. Qui enim ab adversario vi possidet hoc interdicto inferior est. Potior enim est illius civilis possessio quam adversario naturalis detentio neuter naturalis. Si vero non ab adversario, neuter vincet. Facienda quidem est condempnatio quanti actoris interest possessionem retinere; nam longe diversum est pretium rei a possessionis pretio, ideoque et fructuario et inter fructuarios et eum qui usum tantum habet datur, dum tantum condepnatio in id quod interest fiat. Superfitiario vero proprie interdictum de superfitiebus propositum est, licet in rem actio utilis a pretore ei detur, quia interdictum secundum legem locationis tuetur eum adversus omnes, dum tamen ab adversario non vi, non clam, non precario possideat; et etiam adversus dominum si tamen salarium ei solutum fuerit condemnatio vera facienda est quanti interfuerit eius liberam superfitiem possidere. In rem vero accio ita demum ei datur si non ad modicum tempus conduxit. Quod generaliter in omnibus spectata similitudine dicendum est. Quotiens enim quis ad longum tempus vel in perpetuum conduxerit, maxime cum pactum de reiteratione factum est (quo casu perpetua videtur quem ad modum emphyteosin), et ideo hoc casu utilis accio in rem et interdictum a pretore reddendum est. Interdicta quoque ad exempla trahuntur; superfitiarius quidem appellatur qui in alieno solo superficiem certa pensione conductam habet.

VI. De tabulis exbibendis.

Ei competit interdictum de tabulis exhibendis cui aliquid in testamento vel in aliis tabulis relictum est. De omni enim scriptura que quolibet modo ad testamentum pertinet datur, sive inane sive non supremum vel forte falsum vel in aliquo vitio subiectum dicatur. In eum redditur qui potest exhibere testamentum vel dolo fecit quominus exiberet. Exibere antem quidem est extra secretum habere, et copiam apprehendende rei vel materie facere. Item heredi et in heredes datur; condempnatio autem c. 65, c.
quanti interest facienda est; ideoque si heres scriptus aget, estimatio ipsius hereditatis fit etsi legatarius in scripturam summam et si sub condictione relictum sit statim condempnabitur, ipso relicto extimando, dum tamen hanc penam contumatie ferat.

VII. De libero homine exhibendo.

Item de libero homine exhibendo interdictum redditur. Hoc interdictum omnibus competit; interest omnium libertati favere et ne liberi homines detineantur a quoquam inviti. Nam et mulieres et pupilli maxime pro cognatis suis sollicitatis admittuntur, dum tamen hii removeantur quos magis calumpniari seu colludere verisimilius est. Si enim plures sunt, qui agere velint, pretor idoneiorem eligere debet. Adversus eum datur qui dolo malo retinet; sed si iustam causam retentionis habet, cessat interdictum, ut si filium quem habet in potestate vel eum quem ab hostibus redemit retineat, vinculo pignoris nondum absoluto. Si enim pretium offeratur vel semel remiserit interdictum datur. Eo non exhibente in litis exstimationem condempnationem sufferre debet. Quo casu sepissime conveniendus est inde exceptione, eodem vel alio agente. Hoc interdictum perpetuum est; nulla enim ratione temporis tollitur, nam nullo in tempore liber homo a quoquam invitus retineri debet. Exhibitorium est et sui offitii tuendi causa.

VIII. De liberis exibendis.

Sui iuris tuendi causa a parentibus quorum in potestate sunt liberi datur interdictum de liberis, exhibendis seu ducendis adversus eum apud quem filius filiave est vel dolo mala factum est quominus esset. Sed tamen matri exceptio datur, si forte apud eam ex iustissima causa filius sit, veluti si minor triennio sit. Item et marito subvenitur apud quem filiafamilie sit. Alie vero cause retinendi non admittuntur; facta exibitione, pretor reddit interdictum ne vis fiat ei quominus eum ducat. Hoc ita cum aliquis eum interdicto defendat; ceterum si filius magis apud se quam apud alium sit, et contendat sui iuris

Source : BIU Cujas

esse, cessat interdictum et notio pretoris succedit, nisi forte filius hereditatem adiit, quo casu permittitur patri
c. 65, d. tam de filio ducendo quam de hereditate interdicto experiri. Et hoc evenit propter hereditatis causam. Si vero sit pupillus de quo agitur, alias questio usque ad tempus pubertatis prorogatur alias statim dirimitur; et hoc perpendendum est tum ex personis eorum inter quos controversia fit, tum ex genere cause. Spectandum enim est utrum qui se patrem dicit note prudentie fideique explorate sit, an vero humilis et calumpniator sit; et ita litis cognitio differenda vel representanda est. Sed si filius sponte apud aliquem sit, cessat interdictum cum magis apud se quam apud eum esse videatur.

VIIII. De Salviano interdicto.

Salvianum interdictum adipiscende possessionis est quod domino fundi seu locatori pro pensionibus solvendis de invectis et de illatis datur, que pignoris iure tenentur et ob hoc ut possessionem eorum adipiscatur. Item creditori datur. Conductor seu heres eius tenentur; item si debitor forte rem teneret. Qui autem a creditore emerunt vel qui alias eas tenent, utile interdictum in eos datur.

X. De precario.

Precarium est quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu quamdiu is qui concessit patitur, ex hac tamen causa quod preces adhibite sunt. Competit tamen hoc interdictum volenti revocare precarium scilicet ei qui hoc concessit et heredi eius; equum quippe est aliquem tamdiu mea liberalitate uti quamdiu volo. In eum qui precarium habet vel in eius heredem datur. Precarium habere videtur qui possessionem vel corporis vel iuris adeptus est, vel ut sibi possidere vel tenere liceat, sive ipse sive alius qui per eum rogaverit, veluti si procuratore mandante vel ratum habente rogavit. Is tenetur vel heres eius qui precarium habet sive dolo fecit quominus haberet: ex dolo tamen defuncti heres quatenus ad eum pervenit tenetur. Licet enim precarium ad heredem non transeat tamen precarium interdictum in eum datur prout in constitutionibus et responsis prudentium continetur. Compellitur quis eatenus ut res omnimodo in pristinam causam restituat, sive hoc rogavit ut morari in fundo sibi liceat, non ut etiam possideat; ad restitutionem tamen tenetur quemadmodum fructuarius et colonus, sive ut possidere sibi li-
c. 66, a. ceret rogavit: quo casu possidet, dum tamen et penes dominum civilis id est animi possessio perseveret. Eo non restituente, in id quod actoris interest condepnandus est, dum tamen ut in restitutione dolus et lata culpa veniat. Post moram vero, immo post editum interdictum, et levis culpa et omnis causa seu utilitas prestatur: precaria quidem possessio iusta est, quoad voluntate domini nititur; sin autem contra domini voluntatem rem teneat, statim vitiosa et iniusta est; exinde fructus et omnes utilitates veniunt. Quapropter, etsi usque ad definitivam sententiam sine causa resistendum duxerit, in duplum ex nova costitutione condemnatur. Ex hac quidem causa et prescriptis verbis actio datur, idest cum nominatim in precario id actum est ut redatur res.

XI. Quod vi aut clam.

Est alia possessio quae similiter vitiosa est id est clamdestina de qua etiam interdictum redditur; et licet in contitutionibus nichil de eo dictum sit, tamen novi iurisconsultorum gratia quidem de eo in responsis prudentium latius profertur. Rationabiliter precarium interdictum quod restitutorium est et de vitiosa possessione datur apponimus. Quod enim Pretor ait: QUOD VI AUT CLAM FECISTI RESTITUAS. Vi autem fecisse videris si contra id quod prohibitus fuisti, fecisti vel id egisti quominus proibereris, vel manu opponendo vel lapillum iactando: et hoc ita verum est sive per se faciat sive per alium, ut per servum, filium, procuratoremve, vel etiam per liberam personam; nam generaliter quicumque meo nomine prohibuit, ego proibuisse videor, quo casu non tam facto prohibentis quam tuo delinquentis queritur, mihi accio. Et per hoc interdictum non ita mihi acquiritur quamvis meum conservatur. Clam fecisse seu possidere videris si furtive ingressus es possessionem et adversario celasti, neque ei denuntiasti si modo timuisti eius controversiam, aut timere debuisti, aut intellexisti eum prohibiturum, aut intelligere debuisti; ne sint melioris condictionis stulti quam periti. Hoc interdictum ei competit cuius interest opus factum vel possessionem areptam non esse: hoc est domino vel bone fidei possessori vel usufructuario atque superfitiario seu colono etsi filiusfamilias sit. In eum datur qui opus clam factum vel possessionem clam ablatam habeat; sive enim tu vi fecisti, aut aliquis tuorum, aut tuo iussu, vel te ratum habente, teneris. Item si alius fecit sine tuo iussu et tu possideres opus factum, teneberis, licet differenter, ad hoc videlicet ut patientiam tollendi operis tantum prestes, et ille qui fecit, inpensas: qui autem facit et possidet et patientiam tollendi operis et inpensas prestare debet. Venit autem in hoc interdicto quodcumque vi aut clam factum est ut restituatur, et ut omne quod interest prestetur, quod per iusiurandum litem exstimatur. Per omnia enim officio iudicii eadem condicio actoris esse debet que futura esset, si id opus, factum non esset; ideoque et dominii quoque non solum possessionis ratio habenda est si dominium vel possessio propter hoc amissa est. Competit enim de possessione clandestina recuperanda, ut ff. communi dividundo. Quapropter servitutes quoque ob id amisse ac omnis utilitas nec non omnia dampna data restituenda sunt: sin autem alia accione id quod interest prestitum fuerit, interdictum cessat. Servorum quoque nomine noxale iudicium redditur: si enim dominus velit inpensum et patientiam tollendi operis prestare et insuper quod interest noxios retinebit; alio-

Source : BIU Cujas

quin noxe eos dare oportet et insuper patientiam prestare. Officio iudicis ea quoque continentur ut pristina causa actori restituatur.

XII. De privatis edifitiis.

De iure pretorio propositum est, et privati ad restitutionem edifitiorum per pretorem coguntur; ideo de edifitiis privatis apponit pretor: enim privatos ad priorum hedifitiorum refectionem compellere solet, ideo ne aspectus civitatis deformetur. Prohibet etiam senatus ne hedifitia negotiandi causa demolliantur, pena emptori inposita ut duplum pretii inferre fisco cogantur; venditori pena inponitur ut irrita sit venditio, pretium tamen ab eo repetendo. Si comune sit edifitium et socius scriptus ad refectionem eius facere detractat, permittitur hoc volenti reficere.

XIII. De pignoribus.

c. 66, c. Qualiter privati ad hedifitiorum propriorum seu operum publicorum refectionem etiam captis pignoribus coherceantur dictum est; ideoque tam ea occasione accepta quam pignoris causa inspecta, generaliter de pignoribus proponit. In quibus spectandum est quomodo pignus accipitur et qualiter obligatio contrahatur et quibus modis dissolvitur; item que acciones ex hoc proficiscantur. Apellatione quidem pignoris ypotheca continetur; item pignus enim et ypoteca tantum nominis vel vocis sonus non quantum ad accionem ypotheca differt. Alias autem pignus dicitur quod creditori traditur quasi a pugno. Ypotheca vero est que sola conventione creditori tenetur. Contrahitur pignus conventione sola, et hoc ita sive scriptura interveniat, sive non. Et hoc quantum ad rei obligationem De obligatione vero persone diligenter in quarto libro tractatum est. Conventio accipienda est non solum expressa sed etiam tacita; item conventio tum generaliter tum spetialiter. Item pretorio iure pignus contraitur sed tum demum cum ventum fuerit in possessionem. Dissolvitur quandoque exceptione, veluti si iudicatum vel estimatum est pignus non teneri: tunc enim exceptio rei iudicate et iurisiurandi datur.

Ypotecaria quidem accio seu quasi Serviana datur, que in rem sunt, creditori videlicet, vel eius heredi qui sibi pactus est, licet peccunia alterius profecta fuerit; in eum qui possidet sive debitor sive alius possideat, vel qui dolo fecit quominus possideret. Tenetur enim ut rem pignoratam restituat, vel ut debitori solvat: in debito autem computatur etiam id quod in ipsum pignus necessario vel utiliter inpensum est. Occupata autem possessione a creditore non pro suo libitu, sed vel debitore promittente vel iudicis auctoritate, custodire debet rem pignoratam; ideoque dolum et culpam ac diligentiam in eam rem prestare debet. Vis maior, item casus fortuitus non prestatur nisi ex pacto speciali. Re autem pignori obligata, creditori rei obligatio contingit ut servato debitori non preiudicet; ideoque si debitor rem pignoratam alienavit, cum suo honere trasit ad accipientem dominium, nova constitutione inspecta. Primo loco debitor vel eius heres conveniatur si presens est et solvendo; alioquin in possessorem, licet extraneum c. 66, d. redditur. Debitore autem sive herede eius possidente, creditori electio datur utrum per personalem an per ypotecariam ius suum exequi malit. Sunt autem inspectiones tum communes tum etiam diverse, quia causa pignorum obligationes... que omnia per singulos titulos constitutionibus accomodatis appertissime denotantur.

XIIII. In quibus causis pignus tacite contrahitur.

Evenit sepissime, prout superius dictum est, ut pignus tacite contrahatur. Re enim principali obligata etiam accessiones obligantur, ut partus, fructus rei pignorate. Tacitum pignus inducitur tum propter favorem, tum propter ipsam causam bonorum eorum qui censentur. Item qui cum fisco contrahunt tacite obligantur; et hoc privilegio fisci. Favore quoque personarum bona tutorum et curatorum pupillis et adultis obstricta sunt. In odium vero bona eius obligantur qui eam duxit uxorem que contra sacramentum suscepta filiorum tutela ad secundas aspiravit nuptias. Ratione cause, ut bona mariti propter dotem restituendam, item bona mulieris vel eius qui dotem promisit pro dote prestanda ipso iure tenentur. Item bona paterna seu materna pro nuptialibus lucris liberis obstricta sunt. Inducta quoque et illata in domum seu fundum conductum similiter tacite pro pensionibus obligantur.

XV. Si aliena res pignori data sit.

Regulariter traditum est ea demum obligari que quis de bonis suis facit obnoxia, ideoque res alienas alter obligare non potest, nisi domino permittente vel si ex officio facit hoc, ut tutor vel curator accipiendo peccuniam in rem pupilli vel adulti: tunc enim si peccunia in rem eius versa est, res mobiles pignorate tenentur. Immobilia vero sine decreto non obligantur. Si tamen rem alienam aliquis mihi pignori det, et pecuniam in rem eius vertat, utilis exceptio mihi danda est quod peccunia solvatur. Si autem postea in bonis obligatis esse ceperit utilis pignoratitia, idest ipothecaria in rem datur. Quod evenit et si dominus rei successit ei qui pignori rem posuit; sufficit enim eundem dominum esse qui ei peccuniam debet.

XVI. Que res pignori obligari possunt vel non, et qualiter pignus contrahatur.

Contrahitur quidem pignus in rebus propriis domini voluntate seu consensu prout dictum est. Consensu enim c. 67, a. pignoris obligationem contrahi leges clamant. Hoc verum est, sive specialiter quid certum obligetur, sive genera-

Source : BIU Cujas

liter omnia bona que quis habet queque habiturus est, obliget. Dando enim instrumenta prediorum pignori, presumitur etiam de ipsis prediis obligandis cogitasse. E contra licet ex verbis omnia obligasse presumitur, tamen quedam tacite excipiuntur que in generali obligatione non continentur, ut filii naturales, alumpni, item concubina et cetere res quas neminem credibile est specialiter pignori daturum fuisse. Item omnia que ad culturam agri pertinent, ut boves, servi, aratra et cetera instrumenta ad id pertinentia, que nec etiam per offitiales pignori accipienda sunt, licet cetera bona iussu magistratuum obligata sunt, dum tamen pignus iudiciale ita demum obstrictum sit, si fuerit ventum in possessionem. Item contra, etsi quedam res specialiter pignori obligate sunt, tamen non tenentur, ut religiose et liberi homines qui nec etiam a patre possunt obligari, quin etiam pena afficitur qui sciens accepit.

XVII. Qui potiores in pignore habeantur.

Accidit quandoque ut eadem res duobus iure pignoris obligetur, et alter ratione certa preponatur, quod fit tum ratione temporis, tum ex causa. Sive enim conventionale, sive pretorium pignus sit, potior est iure qui prevenit tempore: prevenisse autem videtur qui prior non de pipignore convenit, sed qui peccuniam antea numeravit; et ideo secundo seu posteriori permissum est ut solvendo priori debitum, confirmet sibi pignus quod in re publica seu fiscali observatur. Ex causa dos preponitur etiam aliis creditoribus tempore anterioribus; mulier enim in repetenda dote semper in pignoribus omnibus creditoribus preponenda est, etsi temporis ratione potiores sint, nisi et alia dos ab eadem substantia debeatur; tunc enim privilegium temporis durat. Item qui ad rem emendam peccuniam credidit, et nominatim pactus est ut ea res pignori sit, potior habetur quam hii qui ratione temporis priores secundum conventiones sunt. Qui autem peccuniam in refectionem hedifitii seu navis specialiter ad hoc crediderit, sine dubio privilegium exigendi habet; item pupilli, si ex eorum peccunia quid emptum est, et quorum peccunia res salve sunt.

XVIII. De his qui in priorum creditorum loco succedunt.

Permissum quidem est ut quis in locum potioris creditoris succedere possit: quod qualiter evenit intuendum
c. 67, b. est. Si enim tua peccunia prior creditor dimissus est, in locum eius succedis: et hoc ita sive cum debitori peccuniam crederes, hoc pactus es ut locum prioris optineas cui ex tua peccunia solutum est, sive ipsi creditori solvisti sub ea conditione ut in te ius suum transferret, et ideo in locum eius successisti per omnia, etsi aliud actum est, forte si prior de vendendo pignore convenit, et si posterior in contrarium egerit, tum ex persona prioris vendere permittitur; sepe enim quod quisque ex sua persona non habet hoc per alium consequi potest.

XVIIII. Si antiquior creditor pignus vendidit.

Priori seu antiquiori permittitur vendere pignus, et ideo, sive principaliter potior sis, sive per cessionem in te factam vendere potes; quare causa posterioris creditoris perempta est, et a venditione non prohiberis, nisi secundus afferre paratus sit quod tibi debetur; offerenda enim priori debitori retentio si possidet, et vendicatio etiam priore possidente ei datur. Facta autem venditione, neque secundo creditori neque debitori hoc revocare permissum est, etiam si afferre parati sunt, quemadmodum nec latius satis prohibere potest quominus partem suam pro indiviso pignori det.

XX. De pretorio pignore.

Omnia quidem quae in bonis alterius sunt pignori, obligari possunt, nisi specialiter aliquid exceptum sit. Et ideo incorporalia, ut acciones, pignori supponi possunt. Et hoc non solum ex conventione sed etiam ex iudicis auctoritate constitui potest: pretorium enim pignus et in accionibus debitorum fieri potest et quemadmadum ex conventionali actio, et retentio datur, eodem modo ex iuditiali, et prout conventionale distrahi ratione certa permissum est, eodem modo et per executores in iudicati causa captari, distrahi concessum est: emptore non invento vel iustum pretium non offerente, creditor, ut iure dominii possideat, a principe impetrare potest, vel per licitationem vice cuiuslibet extranei emere potest.

XXI. Si pignus pignori datum sit.

Pignus quoque pignori dari posse placet, et tamdiu pignus secundo creditori tenetur, quamdiu utraque peccunia debetur; que si soluta est creditori, si quantitas est, compensabitur; si species seu corpus, loco pignoris apud secundum creditorem est, quoad debitum ei solvatur: secundo quidem creditori etiam pignus distrahi, cessante sollutione permittitur.

XXII. De remissione pignoris.

Obligatio quidem pignoris consensu contrahitur et con- c. 67, c.
trario consensu dissolvitur; ideo creditor qui distrahi vel manumitti seu alienare rem pignoratam patitur, pignus amittit, nisi forte ideo consentiat quia ius suum ubique durare intellegit: tunc enim cum suo honere transit. Item si principalis obligatio seu accio que pignus tenebatur remissa est, et pignoris vinculum remissum videtur. Quod evenit et si cyragraphum redditum sit in quo pignoris obligatio continebatur; tunc enim ius pignoris dissolvitur; sed si forte principalis obligatio per pactum inutiliter remissa est, dolo scilicet vel metu interveniente; tunc et adhuc ius pignoris durat, licet quandoque eveniet ut conventio aliqua civili ratione infirmetur quantum ad

Source : BIU Cujas

principalem causam, veluti si maritus donationis causa debitum uxori remisit, vel contra uxor viro: tunc enim ius pignoris dissolutum est, quamvis principalis obligatio teneat.

XXIII. Etiam ob cirographariam pecuniam pignus teneri posse.

Receptum quidem est novatione quoque voluntaria pignus liberari, veluti si debitor pro se alium delegavit: quod non evenit in necessaria novatione, forte si debitor per sententiam condempnatus est; tunc enim pignus durat quoad peccunia soluta sit aut ea iure satisfactum est. Quibus cessantibus, ypothecaria accio tenet quia has conditiones habet. Soluta vero peccunia pro qua pignus obstrictum fuit, etiam ob cirographariam peccunia retentio creditori datur donec etiam illud omne afferatur quod sine pignore debetur. Quod secundo creditori opponi non potest; non enim cirographarium debitum solvere compellitur.

XXIIII. De distractione pignoris.

Debitore cessante in solutione, creditori vendere pignus permittitur; quod qualiter fieri possit videndum est. Pacto enim vel lege hoc faciendum est, dum tamen nexus pignoris cum effectu teneat, idest ut vel totum debitum vel pars adhuc debeatur. Quamdiu enim vel quid modicum ex debito superest, pignus, debitore solutionem detrahente, distrahi potest; si enim debitor omne quod debetur
c. 67, d. solvit vel solvere paratus sit, venditio impeditur. Quod evenit etsi debitor cum creditore pactus sit ne omnino veneat: si vero contra ea venditio facta sit non procedit alienatio. Si pactum de venditione intercessit tenor pacti servandus est. Si enim convenit ne certo loco distrahatur, vel de certa quantitate, vel certis conditionibus adiectis venditio fiat, ea omnia custodienda sunt; pacto cessante, ex lege venditio fatienda est post biennium, missis denuntiationibus, vel si a iudice hoc impetratum est; creditore enim possidente, per iudicem distrahendi facultatem ei impetrare permittitur, dum tamen creditor in vendendo sibi bona fide rem gerat et quando, licet testato debitori dicat, et publice notum hoc faciat neque per fraudem amittat; et ita plus afferenti detur. Si enim quid dolo seu culpa admissum est, in vendendo cum iure vendere potest, venditio non rescinditur sed de superfluo directa pignoratitia creditor tenetur, nisi fraudem partecipatus est; tunc enim et ipse fraudator interdicto convenitur, cum creditor fraudolenter solvendo non est. Facta vero venditione, dominium quidem transfertur quia hoc domini idest debitoris voluntate fieri videtur. Ipse tamen debitor non liberatur, nisi quatenus creditor ex pignorum pretio redegit vel redigere potuit: in superfluum enim personalis actio durat. Sin autem res pignorata a debitore distracta sit, venditio quidem seu alienatio valet, cum sua tantum causa transit nisi creditor ius suum remittat. Venditionem creditoris ita demum debitor impedire potest, si omne quod debetur afferatur, vel si necesse est deponat aliquamdiu modicum qui ex sorte vel usuris debetur. Distractio, licet debitor ne fiat denuntiet, non impeditur.

Pignorum quidem vindicatione iure facta, si debitor agat cum creditore, vel si quid ex pignoris pretio apud eum superest, emptor vero bone fidei non tenetur. Item si per gratiam res maioris pretii minimo distracta est etiam hic venditio restituto pretio revocatur.

XXV. De luitione pignoris. c. 68, a.

Luitio autem pignoris ita facienda est ut totum debitum exsolvatur; pignoris enim causa indivisa est et pro parte expediri non potest. Ideoque si unus ex heredibus debitoris partem suam solvit adhuc solidum pignus tenetur, licet a personali liberatus sit accione. E contra si uni ex heredibus creditoris sua pars soluta sit, tamen ceteris pignus in solidum tenetur, licet accio personalis pro portione hereditaria unicuique competat. Item heres debitoris qui pignus possidet in solidum convenitur, licet personali accione pro parte tenetur. Quemadmodum autem pignus obligationis nexu solvitur, luitione ita, si causa propter quam datum est secuta non est, veluti numeratio, pignus non tenet nec in causam pignoris cadit; ideoque ei vendicatio non habita questione dominii datur. Qui enim ab aliquo causam habet non ei debet questionem referre dominii et insuper pignoratitia et nullo debito soluto ei competere. Si autem creditor pignus vendere nequeat, permissum est ut a principe dominium impetret, observata tamen forma constitutionis que cum multis divisionibus et differentiis introducta est: que omnia ex ipsius lectione apertius percipi possunt.

XXVI. De pactis pignorum et de lege commissoria.

Item sunt pacta que ex contractus natura in pignore interponuntur: de quibus dicendum est. In primis quidem sciendum est legis commissorie pactum in pignoribus omnimodo esse inprobatum, et ideo si in fraudem eius quid factum est, nullius momenti est. In emptione vero admittitur. Commissiorie legis pactum est ut si ad diem debitor peccuniam non solvat, creditor iure domini rem pignoratam possideat; quod non admittitur, ideoque quamdiu apud creditorem residet, debitori deferenti potestas datur, quo facto directa pignoratitia ei ad repetendum datur. Si quod autem aliud pactum in pignore interpositum est, omnimodo servandum est.

Source : BIU Cujas

XXVII. De exceptionibus sive prescriptionibus.

Ius intendendi tam civile quam pretorium satis explicatum est; nunc de iure defendendi tractandum est. Exceptiones quidem excludunt intentiones; quandoque enim reum in solidum dampnatione eximunt, quandoque pro
c. 68 b. parte dampnationem minuunt. Exceptio enim actorem escludit, replicatio vero reum. Replicatio vero est exceptionis exclusio que actori datur; duplicationes autem item triplicationes et cetera similiter exclusiones dicuntur que tam actori quam reo ex diversis causis dantur. In quibus spectandum est ex quibus causis competat, quibus prosint vel obsint, item intra quod tempus dentur et quando obitiende seu probande sunt. Causa que exceptiones inducunt hec sunt, veluti metus, dolus, item iusiurandum, res litigosa. Si enim metu coactus, vel dolo promisisti, exceptiones metus causa seu doli competunt tibi; item si adversario inferente iurasti te non debere, exceptio iurisiurandi tibi datur. Quod optinet etsi adversarius rem de qua iuditio tecum litigabat vendidit: datur enim tibi rei litigiose exceptio si emptor petere ceperit. Inter quos iuratum vel iudicatum est iurisiurandi et rei iudicate obesse exceptiones et prodesse solent. Exceptiones doli et que propter vim dantur perpetue sunt, licet accio doli biennalis est et unde vi interdictum biennale est. Quedam enim temporalia sunt ad agendum, que perpetua sunt ad defendendum. Peremptorie quidem exceptiones quoquo tempore, dum tamen ante sententiam, obici possunt: dilatorie autem in initio opponende sunt: probande quidem sunt intentione probata, si de ea queritur. Nam si de intentione constat, statim exceptiones probande sunt; quibus probatis, absolutio facienda est, nisi per replicationes elidantur. Que dantur tum propter conventionem, tum propter rei equitatem; prius enim pactum per posterius, non ipso iure, sed per replicationem eliditur: ex rei equitate dantur, veluti si dolo metuve induxisti me ad paciscendum ne peterem: replicatio enim doli seu metus mihi datur. Item si C. sine controversia mihi debeas, et non aliter quam quinquaginta dedisti, nisi de reliquis L. paciscar ne repetam, datur mihi et hic replicatio propter rei equitatem. Fori quoque prescriptione in principio a litigatoribus opponende sunt, licet generaliter omnes exceptiones dici possunt prescriptiones.

XXVIII. De litigiosis.

Generaliter de exceptionibus dictum est; nunc de rei litigiose exceptione dicendum est. Litigiosa res est de cuius
c. 68, c. dominio inter petitorem et reum iuditiaria conventione queritur, aut precibus principi oblatis et iudici insinuatis ac per eum futuro reo cognitis. Exceptio rei litigiose ei opponitur qui sciens rem emit, vel ex aliquo titulo alienationis accepit ab eo qui litigium inferebat. Si enim instituat petere, exceptio obstat. In quibusdam tamen casibus alienatio et tempore litis contestate permittitur, ut inter coheredes pro divisione rerum hereditariarum, vel si de his bona fide transactum sit, ut si in dotem vel ante nuptias date sint. Si autem per legatum vel fideicommissum res vel acciones relicte sunt, dubius eventus relictus videtur, et ideo ex nova constitutione heres rem vel peccuniam exhigere debet, et id legatario vel fideicommissario prestare, et ideo permissum est iuditio adesse ne colludatur. Mulctatur autem emptor qui sciens emit amissione pretii; qui autem ex donatione accepit in exstimationem tertie partis punitur contractum irritum devocando.

XXVIIII. De contrahenda et committenda stipulatione.

De iure petendi et defendendi satis dissertum est: nunc de solutionibus dicendum est. Est autem solutio civilis et naturalis: civilis solutio fit per acceptilationem et delegationem. Delegatio vero et acceptilatio fit per stipulationem; et ideo de stipulationibus remittit. Et quia non semper stipulatio cum contrahitur, committitur, ideo de ea committenda apponit. Si pure quidem promittitur, statim contrahitur et committitur obbligatio. Item quod in diem promittitur statim debetur, sed peti, nisi cum dies venit, non potest. Quod autem sub condictione promittitur statim quidem concipitur stipulatio, sed non committitur nisi post eventum condictionis. In stipulationibus quedam communia, quedam specialia spectantur. In omnibus enim contractibus consensus desideratur, ut persone hee sint que consentire possint: hic vero non solum consensus sufficit, sed cum adiectione verborum ut puta: PROMITTIS? PROMITTO, adhibita utriusque presentia, omnibus solempnitatibus aliis sublatis, dum tamen consensus consonansque intellectus ab utraque parte interveniant. Item ius et factum intuendum est. Factum dicimus interrogationem et promissionem et ut animo obligandi fiat,
non etiam per iocum vel causa demostrandi intellectus; c. 68, d.
in iure vero multe sunt differentie ut in personis tam stipulantis quam promittentis; item in persona eius cui acquiritur; in re quoque que promittitur similiter delectus habetur; item in causa ob quam promittitur et in actionibus que ex hac obligatione proficiscuntur. Persona debet esse ea que nec natura nec iure prohibetur: natura, ut infantes et proximi infanti et furiosi; iure, ut hii qui civitatem amiserunt vel quibus commertia interdicta sunt. Cetere persone stipulando acquirunt sibi, alteri vero stipulari nemo potest nisi in casu ut filius patri, servus domino; pater enim filie dominusve servo stipulando sibi acquirit. Item cum interest nostra, vel cum adiectione pene alteri stipulari possumus. A promittendo pupilli et furiosi natura excluduntur: iure, ut hii quibus administratio bonorum interdicta est, et servus nisi in causa pecculiari. Res quoque que promittitur similiter ea esse debent que neque natura neque iure prohibeatur: natura, ut id quod non est, ut ypocenthaurum, vel esse non potest, ut Sti-

Source : BIU Cujas

chus qui mortuus est; iure, ut res sacre, religiose et publice que in usu publico perpetuo sunt non etiam in patrimonio populi sunt; item res que stipulatoris est vel sua futura est, et quarum rerum comercium neque stipulator neque promissor habet. Causa ob quam promittitur naturalis esse debet, datio scilicet seu factum; et ideo quantum ad hoc ut obligatio cum effectu teneat, causa naturalis precedere vel inesse vel subsequi debet; alioquin quantum ad iuris stricti rationem stipulatio tenet, sed doli mali vel in factum exceptione repellitur. Quod admittitur etsi causa fuit, sed finita est, vel redit ad non iustam causam, nam et hic exceptio doli datur. Hoc ita si ideo promittat quod se obligatum credat; si enim quis promittat, cum se obligatum non esse sciat, cum satis rationalibis causa obligandi fuit donantis voluntas, non est necesse ut alia causa naturalis ad obligationem prestandam interveniat. Si id quod promittitur certum est vel in quantitate vel in specie, dummodo in ipsa promissione appareat quid quale quantumve sit, certi conditio competit; alioquin si incertum sit, veluti factum, in id quod interest ex stipulatu actio datur, facta extima-
c. 69, a. tione eius quod interest. Hoc ita demum verum est nisi impossibili vel improbata conditione promissum sit; tunc enim vel ipso iure denegatur accio vel exceptione repellitur. Sin autem a condictione incipit stipulatio vel etiam legatum, statim tenet obligatio, sed tamen ante moram solvendo quod est in condictione contingit liberatio. Post moram vero precise in penam tenetur. Item qui sub pena promisit certo tempore se aliquid daturum et facturum, nisi ultro offerat nemine inpellente, pene prestationem non evitat; si vero sine temporis adiectione aliquid stipulatus fuerit, et penam si contra factum fuerit, tunc controversia progressa et lite mota committi pene stipulationem dicimus. Hee autem acciones stricti iuris sunt, nisi in dote petenda vel repetenda: tunc enim ex stipulatu actio bone fidei est. Officio iudicis accioni servit. Perpetue tamen sunt, quia personales; heredibus et in heredes dantur, licet heredi dentur ubi et defuncto non competunt, veluti si defunctus post mortem suam stipulatus fuerit; item et heres tenetur, ubi defunctus nunquam, conveniri potuit, veluti si se post mortem daturum vel in ipso tempore mortis se facturum promisit. Stipulationes concepte post mortem alterius, vel pridie quam morietur, vel de facto promissionis in tempore mortis collate, sine dubio recepte sunt multis aliis inutilibus reiectis.

XXX. De inutilibus stipulationibus.

Stipulationum autem quedam utiles quedam inutiles; inutiles tum propter personam, tum propter rem, tum propter dissensum, tum propter conditiones, tum propter absentiam vel alias propter diversas causas. De personarum et rerum inspectione satis in superiori titulo elucidatum est. Sin autem in corpore et in quantitate vel in tempore dissenserint seu condictione, nulla est obligatio. Item condictio impossibilis de natura et de iure inanem stipulationis accionem facit et vacuam; absentia quoque promissoris et stipulatoris verborum obligationem vitiat. Qui enim promittit, verba interrogantis; et stipulator verba promittentis audire debet. Sunt et alie diverse cause que stipulationem inutilem faciunt veluti si alium daturum facturumve promittas, aut ut alteri dari fierive stipuleris. c. 69, b.
In summa quedam ex his adeo inutiles sunt, quod nullo modo confirmari possunt, veluti de matrimoniis vinculo pene constringendis. Item pactum de successione futura, vel si illud promittitur quod turpe est ad faciendum, veluti furtum, homicidium, adulterium, vel sacrilegium seu aliquod aliud omnino inprobatum; licet enim pena nomine eius facti promissa est, non tamen valet vel convalescere potest, ed ideo ipso iure denegantur acciones. Cum autem ipsa promissio improbata non est, sed causa propter quam fit turpis invenitur, ut dolus et metus, tunc accio datur, sed doli aut metus exceptione repellitur. Quedam vero inutiles sunt que tamen adiectione alterius confirmari possunt veluti si alteri stipuleris; nam pene adiectione convalescit, vel si alteri dari vel fieri cum sua intersit stipulatus fueris, veluti creditori procuratorive tuo, vel si rem pupilli vel adolescentis salvam fore a contutore vel a curatore stipuleris; item si alterum daturum vel facturum spondeas, non obligaberis; quod si effecturum te ut alteri det vel fatiat promittas, ex stipulatu teneris in id quod interest; item si penam promisisti,

XXXI. De duobus reis stipulandi et promittendi.

Ex verborum quidem obligatione sepissime evenit ut plures rei stipulandi seu credendi eius obligationis nomine sint. Item plures rei promittendi seu debendi fieri possunt in solidum; quod etiam ex aliis contractibus fieri potest cum hoc nominatim actum est ut ex numeratione, emptione item ex locatione et conductione seu commodato. Natura tamen earum obligationum ea est quod omnibus solidum debetur et omnes solidum petere possunt, sed tamen si uni eorum solutum est, a ceteris liberatio contingit. E contra si plures debent et unus solvat, liberantur et ceteri; iure enim solutionis plures obligationes tolluntur; nova tamen constitutione si presentes utrique sunt et solvendo pro partibus conveniuntur. Si autem plures rei credendi sunt, et unus litem contestatus est, seu alias temporis interruptionem fecerit, omnibus prodest; item et e contra cum a pluribus solidum debetur et adversus unum litis contestatio seu alias temporis interruptio facta sit, omnibus obest.

XXXII. De fideiussoribus et mandatoribus.

De stipulationibus, in quibus fideiussor plerumque applicari solet, dictum est; nunc de fideiussoribus qui per stipulationem obligantur. Et quemadmodum fideiussores intercedendo pro aliis tenentur, eodem modo et manda-

Source : BIU Cujas

tores, licet eorum obligatio precedat, et ideo etiam de hic apponit. Fideiussor quidem omni obligationi tam naturali quam civili seu pretorie accedere potest, dum tamen obligetur; mandator vero consensu obligatur. Si intercessione aliqua specialiter pacti sunt, id secundum conditionis formam servandum est. Si vero sine adiectione, id est simpliciter, intercesserunt in omnem causam tenentur *quemadmodum reus principalis, dum tamen si plures sint, omnes in solidum tenentur*, nisi forte actum est ut pro partibus obligentur. Heredes quoque obligatos relinquunt, dum tamen id semper agatur ut fideiussor vel mandator in tantundem vel minus obligentur. In plus vero obligari non possunt, at ut minus debeant fieri potest. Si vero intercessor vel heres eius creditori vel debitori vel etiam utrisque succedat, finitur accessoria; idem enim non ut intercessor, sed ut heres rei principalis tenetur quia principalis obligatio absorbet accessoriam, nisi forte principalis naturalis erat; tunc enim accessoria durat. Intercessione autem obligationis liberatio contingit, si in persona rei principalis obligatio extincta sit; quod evenit sive ipse reus solvat, deleget, vel aliquid interveniat quod pro solutione habeatur: tunc enim fideiussor liberatur. Si vero reus principalis criminaliter condemnatus sit, fisco ei succedente teneri desinit, et tamen intercessor pristino iure tenetur. Durante quoque principali obligatione eatenus subveniatur intercessoribus ut non alias ad solutionem compellantur nisi cessis sibi pignoribus et personalibus accionibus, nisi forte pignora in aliud creditori obstricta sint; tunc enim non compellitur ea cedere nisi intercessor et illud debitum solvere velit. Item si plures sint confideiussores, vel mandatores et unus conveniatur cum ceteri solvendo sint, potest ante sententiam ex auxilio epistole inpetrare ut pro parte in se detur accio, divisa tamen inter eos accione, licet ceteri solvendo esse desierint. Post litem contestatam non reddintegratur adversus eos accio qui auxilium inpetraverunt. Sin autem unus in solidum conventus sit, nec satisfacere
c. 69, d. possit, cum nemo ex his alterius electione liberatur, vicem ad alios pervenit. Reo vero presente, intercessores ex nova constitutione conveniendi non sunt, nisi non solvendo vel in totum vel pro parte inveniantur: eo autem absente, si intercessores presentes sint, iure quidem conveniendi sunt iudice tamen tempus statuente, si impetraverint hoc, intra quod eum exhibeant; reo inprimis conveniendo, intercessoribus in subsidium reservandis; alioquin compelluntur ad solutionem creditore eius cedente personales acciones et ypothecarias. Quod admittitur absque ulla distinctione contractuum. Personarum de exhibitione, si fideiussio facta est, quid iuris sit iam dictum est specialiter.

XXXIII. De novationibus et delegationibus.

Novatione item delegatione tolluntur obligationes; solvit enim et qui delegat. Delegatio enim est voluntaria. Novatio fit per stipulationem, ideo de his aditiendum est. Novatio quidem est a novo, vel a nova obligatione nomen sumpsit; est enim novatio prioris obligationis in aliam translatio sive transfusio, dummodo precedens vel civiliter vel naturaliter teneat. Sive enim a me quod tibi debeo seu ab alio stipuleris, dum tamen inter nos hoc expressim agatur, fit novatio; qualiscunque enim fuit prior obligatio hoc modo tollitur et in sequentem transfunditur, alias enim et prima durat et sequens accedit etsi expressum non est ut sine novatione id fiat. Et hoc de voluntaria novatione; necessaria vero fit per sententiam, vel per litis contestationem. Ex sententia iudicati accio nascitur que primam obligationem non ipso iure sed per exceptionem perimit: ea vero novatio que litis contestatione fit, primam causam non mutat immo novam formam adicit. Si enim temporalis erat, incipit esse perpetua, Item heredi et in heredes datur, etsi his antea competitura non erat; nec non et usuraria esse incipit. Lite enim contestata usure currunt, quia in contestando semper meliorem causam facimus. Delegare autem est alium reum creditorem dare vel cui iusserit: cum enim quasi solvens debitorem meum vel alium reum promittentem pro me quod tibi debeo do, hoc delegare est Quod tamen debitore volente facendum est, licet vendere et acciones mandare eo invito possunt. Est et alia delegatio que fit per litis contestationem cum quis iuditium suscipit pro me; quo casu me invito et ignorante, aliquis c. 70, a.
suscipiendo iudicium liberor.

XXXIIII. De solutionibus et liberationibus.

De generali solutione nunc dicendum est; et quia quandoque liberatio et sine solutione contingit, ideo de ea addicit. Quemadmodum enim alligatur qui sine vinculo corporali tenetur ita in civili vinculo eatenus tenetur quatenus solutio interveniat. Quod enim tibi debeo, sive ego solvam sive alius pro me, liberor sive tibi sive alii tua voluntate vel te ratum habente solvatur; item si servo tuo solvi ad hoc constituto etiam, si administratio ei interdicta est, me quoque ingnorante ex equitate liberatio contingit. Quod evenit etsi iussisti me Titio solvere deinde vetuisti eum accipere: cum hoc ignorarem liberor. Ille tamen tibi furti tenetur. Condictio tamen furtiva mihi datur, qua mandare tibi compellor, si exceptione uti velim. Insuper et his quibus administratio iure competit secundum legis formam, solvi potest ut tutori et curatori. Oblatio quoque totius debiti cum solempnitate et suo loco facta pro solutione habetur; compensatio etiam idem potest quod solutio; liberatio quoque ita contingit si id quod debetur etiam alia obligatione solvatur. Si enim connexe sunt obligationes et una res in his vertitur, facta solutione, ex una cetere obligationes tolluntur; ideoque si reus solvat et intercessores liberantur, et e contra. Quod evenit etsi obligatio debitoris per confusionem exstincta sit, sive debitor successit creditori sive creditor debitori; utrobique enim intercessores

Source : BIU Cujas

liberantur seu fideiussores cum per confusionem quoque evanescat obligatio. Item si et tecum paciscor, ne omnino petas, exceptione perpetua liberor non solum ego sed etiam fideiussores. Qua de causa, si id quod debebam te recepisse professus es, adhibenda est distinctio utrum animo retinende obligationis hoc fecisti, an spe numerationis hoc factum est. Si enim remisisti, petitio nulla est; si autem spe future numerationis hoc factum est, petitio durat. Si autem ex plurimis causis debeam, possum in solvendo exprimere in quam causam solvam; in danda
c. 70, b. enim re mea rationabiliter legem dicere possum: quo facto id pro soluto erit quod dictum est. Quod cum non dico, ad creditorem transit electio, dummodo sic meum negotium gerat quemadmodum in suam propriam causam semper accepto ferat. Si autem a nullo hoc expressum est propria auctoritate, ut oportet, hoc disponendum est; id ipsum quod debeo solvendum vel consignandum est et deponendum; te tamen volente aliud pro alio recte solvere possum: creditore vero invito minime, nisi propter inopiam debitoris: et hoc novis constitutionibus evenit.

XXXV. De aceptilatione.

Non solum naturali sed etiam civili ratione liberatio contingit; ideoque de aceptilationibus adnectit. Est autem aceptilatio imaginaria solutio que per mutuam interrogationem fit, qua contingit utriusque liberatio seu ab eodem nexu absolutio: est enim consentaneum verbis factam obligationem aliis verbis posse tolli. Quapropter receptum est ut omnes obligationes in Acquilianam stipulationem deducantur, et ita tollantur per aceptilationem; que quidem a Gallo Aquilio composita est; alioquin etiam inutilis aceptilatio quandoque utile pactum habet, et ideo exceptio paci tunc obstat, si in hoc quoque consensum est. Per aceptilationem quidem et in totum et pro parte liberatio fieri potest dummodo pure fiat; in diem enim vel sub conditione fieri non potest.

XXXVI. De evictionibus.

Dantur in solidum seu distrahuntur vel etiam perimuntur res aliene vel alteri obligate: nomine quarum rerum evictio prestatur; et ideo de evictione dicendum est. Evictio quidem est in quibusdam contractibus prestanda, sive promissa est, sive non, ut in emptione, permutatione, item in solutum datione; in donatione vero ita demum si nominatim per stipulationem promissa sit; ex pacto enim solo non debetur. Res autem evicta tunc debetur cum fere spes habendi abscisa est, sive res ipsa absit, sive tantumdem. In evictione quidem inprimis intuendum est quid inter eos actum sit: item in quibusdam ex natura contractus evictio debetur; sequenti loco qualiter seu quomodo res evicta sit; item qua accione evictio prestetur spectandum est. Conventio seu promissio de c. 70, c.
evictione facta omnimodo servanda est, sive enim convenit ut duplum vel simplum vel triplum vel quadruplum prestetur, hoc custodiendum est. Item e contra hoc agi potest ut evictio non debeatur; quo facto in venditione re evicta venditor de utilitate non tenetur; pretium omnimodo debet reddi. Necessitas quoque denuntiandi pacto remitti potest. In emptione seu permutatione ex natura contractus evictio prestatur; item cum res in solutum datur; sed in venditione et permutatione agi potest ut de evictione etiam dupla promittatur, quia ea que moris et consuetudinis sunt in bone fidei iuditiis veniunt, eoque non repromittente dupliciter venditor condempnatur, etiam antequam evincatur promittere quidem debet. Satisdare vero non cogitur nisi nominatim hoc convenit. Sive autem directa in rem actione, sive qualibet alia, sive ypotecaria res evincatur nichil interest; item et hoc modo videtur res evicta. Si emptor de possessione cecidit et rei petitione, ideo possessor absolutus est quia venditor dominus non fuit; sed ita demum actor vel heres eius vel fideiussor de evictione tenetur, si ei ab emptore vel successore eius denuntiatum est, vel per eos fiat quominus denuntietur *aut si per emptorem non stetit quominus denuntietur* aut si necessitas denuntiandi in venditione sit remissa. Item et hoc necesse est ut non incuria iudicis neque culpa emptoris res evicta sit sive tota sive pars eius, vel etiam aliquod ius rei, ut ususfructus, servitutes; et ideo necesse est ut presente emptore contra eum pronuntietur. Iniuria enim que fit emptori non pertinet ad venditorem. Opus quidem est ut ipsum quod distractum est; evictum sit. Ceterum si hereditas distracta sit, licet singule res evincantur non tamen ei evictio debetur nisi ex conventione speciali per quam et adici et detrahi emptioni licet. Pignus quoque eo nomine oblatum tenetur, et re evicta peti potest. Si dupla promissa sit et ex stipulatu agendum est; alioquin ex natura emptionis, ex empto. In id quoque quod interest agendum est; ideoque etiam quod in re empta inpensum est resartiendum est, c 70, d.
si a vendicante servari non potuit. In permutatione autem, si evictio promissa non est, prescriptis verbis agendum est. In summa, quicumque de evictione tenetur, sive heres venditoris sive ipse venditor, postea dominium nactus, sive dominus cui per procuratorem vendiderit; item fideiussor evictionis vendicans rem suo nomine exceptione repellitur; heres vero fideiussoris, licet de evictione teneatur, suo tamen nomine a vendicatione non excluditur. Res autem tunc evicta videtur cum propter ipsam evictionem emptori habere non licet, sive rem ipsam restituat, sive eius litis extimationem victus prestiterit; quo casu magis ex secunda emptione rem retinet. Periculum quoque evictionis finitur postquam emptor rem prescripsit, vel manumiserit servum, item si ante litem contestatam mortuus est.

Source : BIU Cujas

XXXVII. Creditorem evictionem non debere.

Sunt quidam qui distrahunt qui de evictione nec ad pretium restituendum tenentur ut creditores, item offitiales: hii enim non tenentur nisi sponte specialiter de de eviction promittant: ex necessitate enim non coguntur. Item si sciant rem alienam esse vel sibi non obligatam, tenentur: hoc tamen iudicio se potiores in pignore debent prestare.

XXXVIII. De patria potestate.

De eo iure quod in patrimonio seu etiam in bonis vertitur huc usque diligenter expositum est; nunc autem illud ius quod non in domino nec in patrimonio versatur principaliter pertractandum est. Ideo de patria potestate adicit. Potestatem quidem patriam in liberos habemus qui naturali et civili iure, ut ex matrimonio quesiti sunt, vel civili iure tantum ut adoptione. Persona vero patris semper et sacra et sancta et honesta liberis videri debet; ideo pietatem et obsequium ac omnem reverentiam prestare his debent; quapropter omnia que per liberos adquiruntur ad parentis dominium pertinent, his exceptis que specialiter ex nova constitutione excepta sunt. Quedam vero in totum perveniunt, ut que ex re patris profecta sunt, vel eius accione sunt acquisita; quedam dumtaxat ad usumfructum, proprietate filiis concessa uti adventitiis; administratio quarum rerum seu cura necnon et diligentia ad patrem pertinet. Item quedam sunt que in totum ad filios pertinent, ut castrensia et quasi, in quibus nec usufructus patri debetur. In aliis supradictis licet admi-
c. 71, a. nistratio eis permissa sit, non tamen alienatio eis concessa est; eapropter nec alienare possunt nisi in casu, nec libertatem eis auferre quam filiifamilias habent salvo iure patrie potestatis. Immo parentes ex necessitate coguntur ad liberos agnoscendos, item ad alimenta eis prestanda maxime maiori patrimonio, nec non ad cetera que ad usum cotidiane vite necesaria sunt exhibenda. Sin autem liberi, pietate non servata, reverentiam leserint, contumeliis forte parentes quos venerari oportet affitiendo, vel manus impias in eos inferendo, vel subsidium vite si in ea causa sint parentibus denegando, non solum more et iure patrie potestatis castigandi sunt; sed etiam in iuditio offerendi sunt, ut in delictum ad publicam pietatem lesam pertinens pro modo admissi severius iudicetur, dicta vero sententia quam pater dicere noluerit; quod etiam in matre iuris est.

XXXVIIII. De adoptionibus.

Civili tamen iure in potestate liberi rediguntur, ut adoptione que fit duobus modis. Hii qui sunt in aliena potestate in adoptionem dantur apud eum qui tantum plenam habet legis actionem; qui vero sui iuris sunt per principem arrogantur, dum tamen si inpuberes sint causa cognita arrogatio permittatur. Exquirendum est enim an causa honesta sit, et an expediat pupillo, et ex qua affectione hoc faciat, et insuper caveat arrogator persone pupilli se restituturum bona illius qui ad successionem venturi essent si arrogatio facta non esset. Qui autem in adoptionem dantur ex potestate naturalis patris non exeunt nec in patris adoptivi potestatem transeunt, licet ab intestato ius successionis eis tributum sit. Hoc ita, nisi naturali parenti in adoptionem dati sint aut avo materno vel paterno. Cum filius emancipatus sit tunc enim ius naturale et civile insimul concurrit) in potestate huiusmodi patris adoptivi transit. Cum autem quis arrogatur et ipse et filii eius tamquam nepotes potestati eius subitiuntur; sed in arrogatione et in adoptione hoc spectandum est ut maior sit pater quam filius, plena enim pubertate, idest X. et octo annis precedere debet cum pro natura quidem est ut maior sit filius quam pater; ideoque adoptio imitatur naturam. Cum autem arrogatus est impubes, neque exeredari neque emancipari debet, nisi ex iusta causa. Si vero aliter factum est arrogator iubetur quar- c. 71, b.
tam suorum bonorum ei relinquere preter bona que ad eum transtulit et que postea quesita sunt per eum. In summa autem hoc intendendum est ut omnes presentes sint et consentiant tam pater quam filius.

XXXX. De emancipationibus.

Ius autem potestatis quod nuptiarum, seu adoptionis sollepnitate constituitur, vel aliqua legittima auctoritate, emancipatione dissolvitur; que fit non tantum rescripto principali sed etiam iudicis auctoritate. Ideoque si parens velit suos filios vel nepotes seu deinceps a sua manu dimittere, tribunal competentis iudicis adeat vel intret vel alios quoslibet magistratus quibus est hoc ius adeat et ita suos liberos a sua potestate liberet salvo ei omni iure legittimo, licet hoc specialiter expressum non sit; omnis enim emancipatio contrata fidutia hodie fit.

XXXXI. De ingratis liberis (1).

Evenit quandoque ut liberi per emancipationem liberati propter ingratitudinem in potestatem redigantur; si enim liberi contumaces extiterint in parentes, vel convitium acerbissimum intulerunt, seu cuiuslibet atrocissime iniurie dolo pulsaverint dampno emancipationis iure mulctantur.

XXXXII. De postliminio reversis et ab hostibus redentio.

Explicitum est ius quod in liberos habemus, modo rationabiliter ius retinendi quod in redemptos nobis competit exponendum est; sed quia tam hii qui redempti sunt quam hii qui aliter redeunt postlimium habent, ideo

(1) *Cod.* libertis.

Source : BIU Cujas

quid de postliminio reversis premittit. Qui vero aliquem ab hostibus redemit, in sua potestate eum non habet, sed in pignoris causa quoad peccunia solvatur eum retinere potest, nisi qualicumque iuditio id remissum sit, veluti si ingenuam redemptam causa procreande sobolis sibi copulavit; nisi forte ob suum delictum petitio ei denegetur, veluti si mulierem redemptam prostituit. Postliminium habent qui ab hostibus redimunt vel redempti sunt. Est enim postliminium ius omnium que iuris sunt post captivitatem amissorum recuperatio, vel ius amisse rei ab extraneo recuperande. Lex enim Cornelia fingit eum qui captus est semper in civitate fuisse; ideoque in his omni-
c. 71, c. bus que iuris sunt restituuntur. In his vero que facti sunt non iuvantur: causa enim facti non continetur postliminio, quia ea que facti sunt nulla constitutione iuris infecta fieri possunt. Ideoque ea que per huius modi casum admissa sunt, si in eadem causa manent, omnimodo directa actione peti possunt. Que vero usucapta vel prescripta vel ex bonis alia ratione subtracta vel non utenda amissa sunt, per rescissoriam in rem infra utilem annum restituenda sunt.

XXXXIII. De infantibus expositis.

In redemptos ius retinendi habemus, unde videtur conveniens ut etiam in expositos hoc idem propter inpensas competeret; quod nisi in casu non admittitur, et ideo de expositis infantibus tam liberis quam servis proponit, et de his qui eos nutriendos suscipiunt. Infans ingenuus si expositus sit, vel servus domini voluntate (quo causa statim in libertatem eripitur) nulli permittitur eos necessitati alicuius condictionis subicere seu retinere, velut servilis seu ascriptitie vel coloniarie condictionis, licet nominatim expressum sit hoc forte occasione qualibet inpensarum, nec tamen repetitio eorum locum habet cum propter pietatem inpensum videtur. Est tamen casus in quo repetitio datur puta cum quis filiam alterius ingenuam susceperit et eam suo filio in matrimonio collocare velit: si enim pater puelle hoc rennuat ad inpensarum restitutionem tenetur. Si vero infans servilis conditionis vel invito vel ingnorante domino expositus sit, recte in servitutem eum petere dominus potest; ita tamen ut inpensas refundat nisi ille qui receperit fur sit.

XXXXIIII. Quid sit longa consuetudo.

Huc usque de iure scripto tractatum est; nunc de iure non scripto edisserendum est. Quemadmodum enim ius scriptum auctoritate publica nititur, immo eius cui hoc a populo permissum est, ita ius non scriptum rebus ipsis et factis eodem iuditio declaratur. Nichil enim interest populus suffragio voluntatem suam declaret an ipsis negotiis cotidie ex usu et consuetudine hoc ostendat; diuturni enim mores consensu utentium comprobati pro lege servantur. Sed in hoc differunt quod ius scriptum nisi civitatis ratione non admittitur; ius autem consuetudinarium non solum urbis Rome sed etiam cuiusvis opidi c. 71, d.
recipiendum est, dum tamen iuri scripto non obstet. Et quemadmodum iura scripta ad similia producenda sunt, ita et iura consuetudinaria ad exemplum trahenda sunt. Et tam ius commune quam speciale ex consuetudine constitui potest, dum tamen illud diligenter intueatur ne mali mores admittantur, item ne illud quod errore et non ratione est introductum licet consuetudine obtemperatum est recipiatur; et similiter ne rationem aut legem vincat sciendum est; et si autem in iure scripto *equitas et iustitia premittenda est, ita in iure non scripto semper* equitas seu causa que consuetudinem inducat inspicienda est. Consuetudo obtima legum interpres est nec non per consuetudinem omnium leges etiam ipse abrogantur.

XXXXV. De donationibus.

Explicito iuris scripti et non scripti tractatu, de donationibus rationabiliter apponit que tam ex usu quam novo iure in obligationem redacte sunt; et ideo de his in fine tractat. In quibus et quedam communia spectantur. Donatio quidem est liberalitas ex mera voluntate descendens, maxime cum munificentia sola procedit. Est et donatio que cum causa fit que non proprie liberalitas dicitur: quo casu negotium mixtum cum donatione est, in quibus etiam quedam communia iura spectantur. Commune est quod instrumento rei donate tradito et de re quidem danda seu tradenda actum videtur, quod et in pignore optinet: datis enim instrumentis, et de ipsis obligandis cogitatum esse videtur. Item acciones non solum vendi sed ex alio iusto titulo cedi et invito debitore possunt, sed etiam donari. Lex quoque in donatione dicta servatur quemadmodum et in aliis contractibus; quo casu negotium cum donatione mixtum videtur. Si enim quis in sua re donanda legem certam dicat, maxime in tradendo liberalitatem, quidem aliquatenus exercere videtur, et accipientem rem obligat pro fide implenda; unde prescriptis verbis agitur ut, lege non impleta, datum potest condici. Consensu quoque et voluntate dicitur hodie donatio contrahi; unde constat et inter absentes eam perfici posse: et si ususfructus retineatur, pro traditione habetur: que omnia et in multis aliis contractibus communia sunt. Qualiter autem donationes perfitiantur videndum est. Perfitiuntur quidem hodie non tantum stipulatione et traditione sed etiam tunc eum donator ostendit suam voluntatem sive in scriptis sive sine scriptis. Cum autem donatio in scriptis conficitur et in ea forma et observantia c. 72, a.
ponitur ut si ultra quingentos solidos sit, etiam insinuaccionem desideret. Item, etsi infra quantitatem sit, cum in scriptis fiat, in his conscribendis nomen donatoris in rem et ius nominari palam oportet, nec oculte seu subdole vel privatim fieri debet immo vel ab ipso donatore, vel ab alio conscribatur. Si vero ultra prefinitam quantitatem, sint acta, necessario aditiantur vel in civitate apud

Source : BIU Cujas

magistrum census, vel in provintiis apud earum moderatores. Sunt tamen quedam donationes que ab actorum confectione libere et absolute sunt, veluti donationes imperiales facte a principe seu ab augusta; item que fiunt a magistris militum in suos milites, et multo magis quod ob religionem seu ob captivorum redemptionem donatum est, vel ob exuste domus refectionem, dum tamen in ipsa causa espendatur. Si autem ab eadem persona in endem plures diversis temporibus donationes facte sunt, que coadunate legittimam quantitatem excedant, singule tamen intra legittimam quantitatem sint, utrum una an plures donationes intelligende sint: a lege enim diffinitum est ut multe et valide sint, cessante quoque stipulatione tam ei cui donatum est quam eius heredi, item in eum qui donavit et in eius heredem. Ex hac causa conditio ex nova lege competit, et hoc verum est sive res certas sive partem substantie sive totam substantiam donavit, ut veri et non falsarii, etsi donatarii nolint, inveniantur.

XXXXVI. De donationibus que sub modo confitiuntur.

Est autem pura liberalitas que absolute donatio dicitur: est et alia donatio que sub modo vel condictione vel certo tempore fit: de qua nunc dicendum est. Dono quidem tibi sub modo ut aliquid des vel facias: quo casu statim donatio valet; sed eo non inpleto, dupliciter mihi iura subveniunt. Datur mihi prescriptis verbis accio ut modus inpleatur, vel ad repetendum quod datum est, si velim, conditio competit, licet enim utilem vendicationem, modo non inpleto, divi principes dandam esse sanxerunt, maxime cum sub alimentorum modo donatio facta sit. Quod autem sub conditione donatum est non valet nisi conditio
c. 72, b. inpleatur; agi tamen de lege inplenda prescriptis verbis accione potest, licet conditio detur. Conditio quidem donationi inserenda est priusquam donatio perfitiatur; perfecta enim donatio conditiones postea non capit, que quandoque pro inpleta habetur, etiam si aliud eveniat quam quod in condictione expressum sit quod pro eodem habetur, veluti si filio sub condictione emancipationis donatum fuerit, et non emancipatione sed mortis parentis sui iuris efficiatur; pro inpleta enim habetur. Si vero dono aliquid ut post certum tempus seu quandocumque alii restituas, et hoc tecum pactus sim; ex meo pacto novo iure datur utilis accio mihi, licet meo heredi, fide non inpleta, conditicia accio competat.

XXXXVII. De revocandis donationibus.

Ea vero que donata sunt temere revocari non possunt; hoc enim nisi certis ex causis non conceditur. Cause autem sunt huiusmodi: si ille qui donationem accepit ingratitudinem in donatorem intulit, forte manus inpias in eum inferendo seu atroces iniurias effundendo, vite quoque periculum seu non levem iacture molem substantie donatoris ex suis machinationibus ingerendo; item condictiones inter eos initas sive in scriptis sive sine scriptis non inplendo: ex his enim causis quod donatum est repeti potest ab eo qui donavit; non etiam a successoribus querele exordium instituendum est: quod enim donator non dixerit, hoc eius heredibus non permittitur. Si vero in filios donationem contulit, et hii ingrati reperiantur, revocare quidem potest quod donavit, licet id solutum restituere cogantur quod tempore mote controversie apud eos residet. Nam ea que a matre pacifica alienata sunt non revocantur; habetur enim perinde atque si in rem ageretur. His tamen matribus repetitio datur que non secundo nupserunt, si enim ad secundas venierint nuptias, non hoc eis concedimus ut ob ingratitudinem donationes revocentur; presumitur enim propter iustas causas ingratitudinem introducere, sed immo propter nuptiarum secundarum cogitationem ad hoc venisse putabuntur. Tribus enim tantum ex causis, illis (1) que secundo
nubunt datur repetitio veluti si apertissime filius vite c. 72, c.
matris insidiatus esse ostendatur, aut manus inpias intulisse probetur, aut totius substantie ablationem molitum esse declaretur. Permissum est quidem patrono, etiam cessante ingratitudine, si totam suam substantiam vel eius partem libertis, cum liberos non habet, donavit, liberis postea susceptis, in totum revocare eam. Item et si libertus cui donatum est obsequium neglexerit, eo ipso ingratus habendus est, ideoque non tantum quod donatum est revocatur, sed etiam quod ex peccunia a patrono donata comparatum est, vel patroni benefitio quesitum est: ita tamen ut et hic repetitio ipsi patrono tantum detur non etiam eius successoribus. Successores enim defuncti liberalitatem retractare non possunt, nisi a defuncto lis inchoata sit.

XXXXVIII. De mortis causa donationibus.

Si pure vel sub conditione aliquid donatur, quid iuris sit dictum est; cum vero mortis causa quid donatur, que quidem ibi spectandum sit edisserendum est. Mortis causa donatio est que cogitatione mortis fit; que eatenus differt ab illa pura et absoluta donatione, quod ibi potius vult habere eum cui donatur quam semetipsum: in hoc vero mortis causa donatione magis sibi vellet habere quam eum cui donavit, magisque eum cui donat quam heredem suum; et in summa mortis causa donatio legatis comparatur fere; hec enim a donatore traditur, legata vero ab herede petuntur, et quemadmodum legata convalescunt, ita et donationes morte confirmantur. Item et sollempnitates ultimarum voluntatum dederantur; V. enim testes ibi desiderantur sive cum scriptura sive sine scriptura fiant; ideoque lex Falcidia in his locum habet. Licet enim corporaliter de patrimonio exierint, lege tamen in defuncti bonis permanserunt; quapropter si alicui certa lege donatum est, forte ut alicui post certum tempus

(1) *Cod. om.* illis.

Source : BIU Cujas

detur, ea non inpleta, ex fideicommisso ei competit accio. Item nec insinuationem nec presentiam publicarum personarum desiderant, etiam si quantitatem legitimam excedant; iura enim ultime voluntatis servantur et omnes effectus sortiuntur quos liberalitates supreme habent. Tres autem species donationis sunt mortis causa: veluti cum quis
c. 72, d. imminente periculo donat ita ut statim dominium in capientem transferatur, licet ex causis ceteris repetitio ei qui donavit competat; secundo, si propter mortis cogitationem det ita ut non statim fiat accipientis, sed tunc demum cum mors insequatur; tertio, cum quis non propter presens periculum, sed quia quandoque se moriturum cogitat donat: fit a sano et in bona valetudine posito. Sed hec donationes revocantur si convaluerit qui donavit, sive prior decesserit qui liberalitatem acceperit, sive donatorem penituerit. Si autem id actum est ut non liceat penitere, nullo casu revocetur quod donatum est; pactum admittitur, et ideo repetitio denegatur. Repetuntur autem vel condictione vel utili in rem accione: conditio quidem ob causam seu sine causa donatori competit etiam si res prescripta seu usucapta sit ab eo qui donationem accepit. Usucapi enim, sive prescribi ex hoc titulo quemadmodum ex donatione inter vivos potest: fructus quoque medio tempore percepti restituuntur similiter; inpense autem que in rem donatam facte sunt per doli exceptionem reservantur.

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

LIBER NONUS

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas



I. Explicit liber VIII., incipit nonus. Qui accusare non possunt.

SATIS rationalibiter ius privatum dissertum est; nunc ius publicum dulcissime seu compendiose edisserendum est. Ius autem publicum tum in publica vindicta, tum in rebus que in patrimonio vel in usu pubblico sunt, vertitur: quapropter illud ius publicum quod in delictis publicis coërcendis vel vindicandis consistit premittendum est. Ad ea vero iuditia exercenda publice omnes admittuntur, non tamen sine delectu; ideoque de his qui accusare non possunt in primis edicendum est: quo ostenso postea edisserendum est qui facile ad accusationem admittendi sunt, dum tamen unusquisque suo nomine non etiam alieno ad accusationem admittatur. Prohibentur enim quidam ab accusatione propter etatem, ut pupilli; quidam propter sexum ut mulieres; quidem propter sacramentum ut milites, quidam propter magistratum vel potestatem quam gerunt, alii propter delictum ut infames; quidam propter turpem questum, veluti si duas accusationes contro duos reos subscriptas habet; item qui ob accusandum vel non, negotium alicui fatiendum vel non, nummos acceperit, quidam propter calumpnie notam vel propter calumpnie suspitionem, veluti qui subornatus falsum testimonium dixerit. Item quidam propter suam conditionem, veluti liberti contra patronos, item liberi contra parentes, frater
c. 73, a. quoque contra fratrem de magno et capitali crimine proibentur; quidam propter accusationem adversus eos institutam in pari vel in minori crimine: maius vero crimen merito minori prefertur; quidam vero propter paupertatem, veluti qui minus habent quam L. aureos. Sed tamen omnes hee persone admittuntur si suas suorumque iniurias persequantur, mortem vero parentum seu propinquorum vindicant. Liberi quoque, item liberti de facto querentes parentis item patroni circa rem propriam et familiarem deferendam civiliter et cum impetratione venie audiuntur, dum tamen aliquid quod fama sugillet vel cum atrocitate non dicant. Servi vero non inter familiares prorsus repelluntur; si tamen accusare presumunt statim capitali pena puniantur. Quod in liberos obtinet; exipiendum tamen est crimen maiestatis item surrepte annone seu fraudati census: in his enim causis omnes persone, infames quoque, audiuntur.

II. De accusationibus et inscriptionibus.

Que persone ad accusationem admittantur, et cum quo ordine institui et exerceri publica iuditia debeant videndum est. Inscriptiones quidem et accusationes necessarie sunt. Libellorum antem conscriptio ita facienda est, ut consul et dies et apud quos pretores seu presides vel proconsules premittantur: Gaius Seius professus est se Lutium Titium lege Cornelia de sicariis reum facere, quod dicit eum in illa civitate vel in loco illo, Mevium occidisse sub mense illo et consulibus illis. Diem autem et horam invitus non comprehendat. Item in libellum subscribere debet se professum esse hanc accusationem ad finem perducturum; vel si litteras nesciat alius pro eo subscribere debet. Quod generaliter in omnibus obtinet qui lege aliqua reum aliquem deferunt. Accusationes viva voce fieri debent presente tamen accusatore et hoc absente nec non etiam aprobante atque subscribente; facta ergo subscriptione, fideiussor pro exercenda lite, ab utraque parte dandus est; quo non dato, tam reus quam accusator in custodia publica retinendi sunt in pari causa vel forma, quoad crimen iudicetur cum calupniantes vindictam po- c. 73, b.

Source : BIU Cujas

scat similitudo suplitii. Si tamen plures sint qui eundem accusent, iudex idoneiorem debet eligere, adibita cognitione cause: quod estimandum est ex eo quod interest sive ex etate vel moribus vel alia iusta causa, dum tamen ob idem crimen pluribus legibus reus non fiat. Hec quoque omnia observanda sunt. Et si servi accusati fuerint, tamen dominis defensio permittatur si satisdare velint. Si antem reus absit cum accusator presens sit, tempus a iudice statuendum est, intra quod reus innocentiam suam purget; eo non interveniente, bona eius adnotanda sunt; quidem intra annum bona sua, si se purgaverit, recipiet. Si vero post annum venerit, innocentiam suam poterit purgare rebus propriis fisco relictis. Sententia tamen in absentem minime danda est. Sunt crimina notoria que sine etiam sollempnitate accusationum, iudice iubente, discuti ossunt; notoria sunt que iudici maxime per offitiales nuntiantur, que pro libitu eorum inducenda seu examinanda sunt et dirimenda.

III. De exhibendis et transmittendis reis.

Facta accusatione et inscriptione, exibendi sunt rei; et si alterius iurisdictionis sunt, exhibitio aliter fatienda non est nisi iudice precipiente; transmittendi quidem rei sunt cum alterius provintie seu iurisdictionis sunt, licet ibi puniri debeant ubi commissa sunt crimina vel ubi reperiuntur vel reperiri possunt; ideoque si miles in provintia crimen pubblicum commisit vel repertus fuerit, causa ad magistrum militum referenda est.

IIII. De custodia reorum.

Reis exhibitis nichil aliud restat, nisi ut custodiantur, maxime cum satisdatum non est, et hoc verum est sive accusator existat, sive iudex ab offitio suo eum produci fecerit cum crimen notorium sit, sed facta satisdatione, ab eo exhibendus est qui satisdedit; quo non exhibente peccuniaria pena afficiendus est, licet si dolo non exhibuerat. Etiam extra ordinem puniendus est. Si certa quantitas promissa est, ea exhigenda est; alioquin si neque ex conventione, neque ex precepto iudicis, neque etiam ex consuetudine certa quantitas ostenditur, officio iudicis de modo peccunie inferende statuendum est. Qualiter autem rei custodiendi sunt, iudici deliberare permissum est utrum persona in carcere recipienda, an
c. 73, c. militi tradenda seu sibi committenda sit; et hoc pro qualitate criminis vel honore et dignitate vel innocentia persone, vel pro facultatibus eius qui accusatur faciendum est. Reo in custodia retento, statim questio facienda est, noxius puniatur et innocens absolvatur; nisi enim ex iusta causa hoc prorogandum non est. Sed interim custodia personarum receptarum ad commentariensem spectat, ut in carcerem pro qualitate delicti seu sexuum diversitate rei custodiantur, prebita eis victuali alimonia ne in penis carcerum consumentur, ne innoxii puniantur et nocentes debite ultioni subtrahantur. Si autem reus culpa eorum qui prepositi sunt evaserit, eadem pena afficiendi sunt custodes; et si crudelitatem suam accusatoribus vendiderint, vel male circa reos custodiendos versati fuerint, a iudice capitali pena puniendi sunt: et etiam iudicibus pena imponitur si desides et resupine cervicis in hac causa reperiuntur.

V. De privatis carceribus inhibendis.

Carceres privatorum inhibiti sunt modis omnibus, tam in Alexandria quam etiam per omnes provintias Romani imperii. Illi autem qui talia facere ausi sunt, procul dubio crimen maiestatis incurrunt; iudice etiam qui hoc cognoverit et lesam maiestatem non iudicaverit eodem capitali crimine subitiendo.

VI. Si reus vel accusator mortuus fuerit.

Evenit quandoque ut pendente accusatione reus vel accusator mortuus sit: quo facto crimina morte estinguuntur, nisi crimen maiestatis sit. Data autem sententia, si bona specialiter in toto vel in partem adempta sunt, si provocatio facta est, et mors insecuta est, causa tamen appellationis propter bona tractanda est.

VII. Si quis imperatori maledixerit et ad legem Iuliam maiestatis.

Pertractato iure accusantium personarum et accusatorum, qualiter initietur criminale iuditium ediserit. Sed quia inter cetera crimina magnitudine sui preminet quod committitur in maiestatem; primum de crimine lese maiestatis intenditur. In maiestatem autem committit aliquis non solum consilio vel facto, sed etiam de principe terreno maledicendo; ideo proponitur de maledicto. Quum vero ex personis dicta pensantur, intuenda est persona an committere potuit quod infertur ut in infante an fuerit sane c. 73, d.
mentis ut in ebrio vel furioso, dum non est in dilucidis intervallis, an antea quidem fecerit an etiam cogitaverit, ut sapientissimus quisque et philosophanti non absimilis. Nam si per levitatem ab infantie proximo procedit verbum, a principe contempnitur, quum hunc innocentia consilii tuetur: si per insaniam, infelicitate fati perferens excusatur, Papinianus etenim inquit temeritatem facillitatis veniam continere, et inconsultum calorem calumnie vitio carere. Paulus tamen verba superiora sic distinguit, nisi perseverantia apparuerit iuditium animi fuisse; sic itaque remittitur, etsi per iniuriam procedat verbum, nisi perseveretur, vel nisi tale sit delictum quod descendat ex scriptura legis, vel ad exemplum legis sit vendicandum. Hec dicta sufficiant si quis imperatori maledixerit, dicamus nunc de lege Iulia maiestatis. Hoc crimen propter sui magnitudinem proximum est sacrilegio quod omnibus, siquidem sine delectu, patet; nam qui alias non accusant hic

Source : BIU Cujas

admittuntur, ut infames, milites et qui pro pace excubant: servi contra dominos, liberti contra patronos, mulieres etiam: quia coniurationem Sergii Cateline Iulia mulier detexit. Verum hoc crimen non in occasionem ob principalis maiestatis venerationem est habendum, sed in veritate. Maiestatis nempe crimen est illud quod adversus populum Romanum vel securitatem eius committitur quatenus his cuius opera, dolo malo consilium initium erit, quo obsides iniussu principis interciderent, armati homines cum telis lapidibus in urbe sint conveniantve adversus rem publicam, locave occupentur vel templa, cetus vel conventus fit, homines ad seditionem convocentur; cuius opera, consilio, dolo malo consilium initum erit ut quis magistratum populi romani vel qui imperium potestatemve habet occidat, contra rem publicam arma ferat; quive hostibus populi romani consilium, nuntium, litterasve miserit, signum dederit; dolo malo fecerit ut hostes populi romani consilio iuventur adversus rem publicam; quive milites sollicitaverit, concitaverit quo seditio vel tumultus adversus rem publicam fiat; quive de provintia cum ei successum esset, non discesserit, aut qui exercitum deseruit, vel privatus ad hostes profugit; qui sciens falsum conscripsit vel recitavit in publicis tabulis: hii primo capite legis Iulia maiestatis enumerantur. Sed et lex XII.
c. 74, a. tabularum iubet eum capite puniri qui ostem concitaverit, opem tradiderit; lex autem Iulia maiestatis precipit eum qui maiestatem publicam leserit teneri, qualis est ille qui inbellis cesserit, arcem tenuerit, castrum concesserit. Eadem lege coercetur et qui iniussu principis gesserit bellum, delectumve habuerit, exercitum comparaverit; vel qui in provintia cum ei successum esset exercitum successori non tradiderit, qui imperium exercitumve populi Romani deseruerit vel qui privatus pro potestate magistratuve sciens dolo malo gesserit; cuius dolo malo iure iurando quid actum est quod aversum rem publicam faciat; cuius dolo malo exercitus populi romani in insidias ductus ab hostibus proditus erit; cuius dolo malo factum dicitur quominus hostes in potestatem populi Romani veniant comeatu, armis, telis, equis, aliave qua re adiuti erunt vel ex amicis hostes facti; cuius dolo malo factum erit quominus res extere nationis optemperent populo Romano, vel quo magis obsides, peccunia, iumenta hostibus dentur adversus rem publicam; item qui confessum in iuditio reum, et per hoc in vincula coniectum, emiserit. Item in maiestatem committit cuius opera consilio, dolo malo provincia vel civitas hostibus prodita est; item crimen maiestatis facto vel violatis statuis et imaginibus maxime exacerbatur in milites; item qui statuas aut imagines imperatoris iam consecratas conflaverit vel quid aliud simile admiserit lege Iulia maiestatis tenetur. Hoc tamen crimine liberatus est a senatu qui statuas imperatoris reprobatas conflaverit, et qui vetustate corruptas reficit, vel iacto lapide incerto fortuito casu eas atigerit, et qui eas non consecratas vendidit. Sed et iudex non tenetur hoc crimine qui contra constitutionem imperatoris pronuntiavit, sed si eam neglexerit pena falsi cohercetur; item qui inconsulte iuravit se semper iratum esse in servos, si eum clementia flexit, quia iuramentum factum per Deum satis habet ipsum ultorem; sed si per pignus principis in pecuniaria causa iuravit et deieravit, fustibus cesus ut inofficiosus castigatur; unde corporis periculum non sustinet. Item quisquis hoc crimen intendit, si non probat, cum reo qui privilegio dignitatis non defenditur tormentis subicitur. Ille etiam torquetur cuius instinctu ad accusationem venitur. Item nullus prohibetur uti defensione generis militie, dignitatis, si offeruntur ei inconsulto c. 74, b.
principe, tormenta fidicularum, excepta causa maiestatis in qua sola omnibus est equa conditio. Item si quis inierit factionem, vel pro ineunda sacramentum dederit, vel acceperit de nece cuiuslibet qui militat imperatori, quasi huius delicti reus, gladio ferietur; eadem enim severitate voluntatem sceleris quam effectum puniri iura volunt. Bona eius publicantur et memoria post mortem dampnatur: hoc verum est quando reus criminis perduellionis fuerit hostili animo adversus rem publicam animatus, si crimen a successoribus non purgatur. Hodie tamen per constitutionem imperatoris Friderici indistincte *publicantur:* filiis eius imperatoria lenitate cum infamia vita conceditur: paterno enim debent perire supplicio in quibus paterni hoc est hereditarii criminis exempla metuuntur. Ab omnium successione erunt penitus alieni preterquam a bonis libertorum; dampnati patris ad nullos honores, nulla sacramenta, perpetua egestate sordentes perveniunt; mors erit eis solatium, vita supplitium; qui pro his apud principem intervenire temptaverint, votabiles erunt sine venia. Filie dampnatorum que propter fragilitatem sexus minus sperentur audere sentient sententiam mitiorem, ut habeant quartam bonorum matris quocumque modo decesserit. Actus omnes initi quacumque fraude, vel iure quo primum memorati de ineunda factione cogitaverint, nullius momenti erunt. Uxores perditorum, recuperata dote quam debent restituere filiis tempore quo ususfructus absumitur, cum per donationem a viro sic accepissent, fisco prestabunt; filiabus in his, non filiis falcidia deputata. Quod in predictis cavimus et in eorum filiis, erit in satellitibus consciis ac ministris et in eorum filiis. Qui in exordio factionis, studio vere laudis accensus, prodiderit factionem, premio et honore donabitur: Qui usus est factione vel fere incognita consiliorum archana patefecit, absolutione tamen et venia dignus est. Servi in capite domini postulati torquentur. Debitores ei iure non solvunt si decesserit; propter adhuc incertam personam succedentis bona servantur donec crimen convincatur.

Sunt autem crimina ordinaria sunt et extraordinaria. Ordinaria dicuntur quorum accusatio certa c. 74, c.
lege ac certa pena super his prodita est, ex quibus crimen maiestatis est quod adversus populum Romanum vel adversus principem securitatemve eius committitur.

Accusatio huius criminis lege Iulia introducta est,

Source : BIU Cujas

que omnibus sine delectu patet, et qui aliter accusare non possunt, ut infames et milites, item servi nec non et mulieres. Servi in capite domini torquentur; arenarii quoque.

VIII. Ad legem Iuliam de adulteriis.

Cum aliquis sit reus legis Iulie maiestatis, quid iuris sit supra dictum est: nunc vero que sunt in lege Iulia de adulterio consideranda disserendum est. In primis notandum quod indifferenter hec lex utitur his nominibus adulterio et stupro; cum adulterium proprie in nuptam committatur (ita appelatur composito nomine propter partum conceptum ex altero), stuprum vero cum virgine vel puero vel vidua sit, vel concubina (1). In hac lege inspiciendum est que persone ad accusandum admittantur, que ree fiant hoc crimine, qualiter hoc crimen probetur, que prescriptiones accusantibus adulterii obitiantur, qua pena convicti vel deprehensi puniantur. Datur hec accusatio tam marito quam patri iusto, tam naturali quam adoptivo; datur etiam extraneis cum sit crimen publicum. Hodie tamen per legem Codicis proximis necessariisque prius solummodo defertur copia accusandi. Sed tamen quidam eam legem hoc modo conantur exponere, ut proximis necessariisque personis accusandi copia detur etiam constante matrimonio, quod nequaquam in aliis precipitur. Cum autem hanc accusationem publicam esse constet, ceteris tamen maritus et pater preponitur: qui si similiter ad accusandum venerint, nemini dubium est quia patri maritus preferatur. Cum etiam et si pater prevenerit, et libellos inscriptionum deposuerit, marito non neglegente, maritus veniens preferatur, quia ipsum inprimis iudicem genitalis thori esse volumus, qui propensiore iure et maiore dolore exequitur accusationem, non habita distinctione pater familias an filiusfamilias sit. Ex ordine maritus sic accusationem debet proferre ut primum divortium uxori sue mittat quum constante matrimonio iure veteri accusare non potest licet novo iure permittatur (2). Cui iure mariti accusanti licet coniugem ream facere ex sola suspitione,
c. 74, d. sine metu calumpnie nisi appareat evidenter calumpniari et etiam sine incriptionis vinculo. Marito vero cessante post dissolutionem matrimonii quilibet admittitur: omnibus tamen pater mulieris prefertur, cum etiam interdum ipsi marito preponatur, veluti si cum infamem arguat, aut doceat colludere eum magis eum uxore quam ex animo accusare. Mulier vero adulterii non accusat, si non de suo conqueritur matrimonio. Sed nec servi ob violatum contabernium agent.

Patri et marito accusantibus dantur LX. dies utiles, in quibus feriati computantur, intra quos vir iure mariti accusare poterit sive iuxta uxor fuerit aut sponsa; cum ad omnia matrimonia lex Iulia pertinet. His autem diebus transactis dantur et alii IIII. menses et ipsi utiles quibus extraneis volentibus accusare permittitur; sed si maritus prevenerit et accusationem instituerit, tempora patri non cedunt qui interim accusare non potest, sic tamen ut quoad unus occupet utriusque cedant: ubi vero maritus occupavit, patri non cedent. Extraneis autem qui accusare post patrem et maritum possunt, tempora IIII. mensium cedent, ex quo pater et maritus negaverint se accusaturos.

Alioquin autem evenit ut matrimonio constanti, crimen adulterii inferatur pro adulterio tamen in priori matrimonio commisso, ut etiam liberum arbitrium tunc habet accusator a quo velit incipere. Sic tamen si denunciatio vel ad domum missio nuptias precessit; alioquin prius adulter peragetur, deinde mulier matrimonio dissoluto. Et cum adulter prius accusatur, expectabit mulier de adulterio sententiam, et si absolutus fuerit, mulier per eum vincet nec uitra ab alio poterit accusari. Si vero condempnatur mulier non erit condempnanda vel infamanda sed causam suam aget, ut fortassis obtinere vel gratia vel iustitia, vel legis auxilio possit. Quod enim si alter conviciis oppressus est, vel falsis argumentis testibus subornatis apud presidem gravatus qui aut nolit aut non possit provocare, mulier vero iudicem reliosum sortita causam suam defendet.

Hoc crimine rei deferuntur non tantum adulter vel adultera sed etiam qui domum suam prebuit ut adulterium vel stuprum committeretur, vel ut de adulterio tractaretur, quia sine colloquio adulterium non committitur. Preterea si questum ex adulterio uxoris vel uxor de mariti c. 75, a.
fecerit, vel qui iam in adulterio uxorem deprehensum retinuerit, nisi ignorantiam suam possit excusare; similiter qui aliquid accepit ob conscientiam stupri, vel cuius dolo malo et consilio factum est ut adulter vel adultera data pecunia vel qua alia pactione se redimant.

Probatur hoc crimen testibus. Subitiuntur etiam in hoc crimine questionibus servi; eorum scilicet de quo et de qua quereretur, parentisque utriusque eorum sive accusatoris, vel etiam extraneorum. Sed si rei vel ree servi fuerint subiecti tormentis ipsi publicabuntur vel si dominium non est eorum, id saltem ius qui in eos habent publicatur, ne dum sperant in eorum reverti potestatem, in mendatio perseverent. Idem et de servis accusatoris attende: si questio de his habita fuerit vel ei reus vel rea fuerint absoluti, extimatio eorum servorum eis est reddenda. Si vero fuerint extraneorum non publicantur quia non babent cui gratificentur; sed si mortui fuerint extimatio dominis datur; tamen in his damnum datum est quantum damnum est. Si autem servus adulterii accusetur et de ipso questio postuletur, duplum domino prestari lex iubet.

Prescriptiones accusantibus hoc crimine hec obstant: quinquenni tempus et sex mensium utilium quibus transactis adultera se defendit, cum adulter tantum se quinquennio tueatur quod est continuum non utile. Istorum autem sex mensium hec est separatio ut in nupta ex die

(1) *Substitutum fuit postea:* nisi concubina sit.

(2) *Postea additum fuit:* et si accusatio vera ostendatur, tunc repudium mittitur.

Source : BIU Cujas

divortii computentur; in vidua ex die commissi criminis. Item istos sex menses sic utiles accipies ne crimen quinquennio sopitum excitetur; quamvis enim aliquid supersit ex sex mensibus utilibus computandis ex die divortii vel commissi criminis, tamen si quinquennium continuum transierit a die commissi criminis accusatio cessat.

Pena convictorum hoc crimine est capitis amissio quum sacrilegos nuptiarum gladio puniri opportet; de deprehensis vero quemque sine iudice vindicta sumitur. Nam datur patri ius occidendi omnem adulterum in ipsa turpitudine deprehensum, tam in domo sua quam generis, ut et prope uno ictu et impetu utrumque interficere possit. Sed marito in domo tantum sua non soceris; sed non quemlibet, immo eum tantum qui leno fuit, vel qui artem ludicram ante exercuit, vel in scenam saltandi causa prodiit,
c. 75, b. vel qui iuditio publico dampnatus fuit nec in integrum restitutus fuit; quive libertus mariti uxorisve fuit. Alium autem noctu deprehensum si occiderit, quamvis homicidium perpetraverit, tamen quia et nox et iustus dolor eum relevat, debet in exilium dari. Interdiu deprehensum vel nocte quem aut nolit aut non possit occidere, retinebit per XX. horas testande eius rei causa, scilicet ut introducat aliquos testimonia futuros. Novo iure aliter super his invenies, scilicet ut adultera verberata in monasterium mittatur, quam inter biennium viro recipere licet. *Biennio transacto, vel viro priusquam reduceret mortuo, adultera tonsa monastico habitu suscepto, ubi dum vivit permaneat, duabus partibus proprie substantie liberis, si habet, aplicandis, tertia monasterio. Sed si liberos non habet, parentibus estantibus huiusmodi iniquitati non consentientibus, tertia pars aplicatur, due monasterio. Omnibus predictis non extantibus omnis eius substantia monasterio queratur, pactis dotalium intrumentorum in omni casu viro servandis, ut in Auth. Coll. VIIII., ut nulli iudicum.,* § *si ipsi.*

VIIII. Si quis eam cuius tutor fuerit corruperit.

Supra generaliter de adulterio et stupro, nunc specialiter de quibusdam veluti cum tutor pupillam suam corruperit, vel mulier propriis servis se iuncxerit. Cum tutor pupillam corruperit deportationi subiugatur, atque bona eius fisco vindicantur, cum eam penam debuerit sustinere qua raptores puniuntur, licet mitius cum eo agatur. Cum vero mulier proprio servo se iuncxerit capitali sententie subiugetur, verberone ignibus congremando. Et est omnibus copia deferendi hoc crimen cum et officiales denuntient. Servus etiam si detulerit, probato crimine, libertate donatur. Filii ex hac coniunctione suscepti in nuda libertate permanent, omnibus exuti dignitatis insignibus, et neque per se neque per alios quid accipient ex facultatibus matris. Successio autem mulieris ab intestato filiis legitimis vel cognatis defertur.

X. Ad legem Iuliam de vi publica seu privata.

Explicito tractatu legis Iulie de adulterio et stupro subsequenter legem Iuliam de vi publica seu privata exponit eo videlicet quod adulterium et stuprum sepe vi adhibita perpetratur. Est vis publica, est vis privata. Vis privata est que fit sine armis, vis publica cum armis. Appellatione armorum tela, fustes, gladii continentur ut non armatos intelligere debeamus eos solos qui tela habuerunt, sed etiam eos qui aliud quod nocere potest habent: lege Iulia de vi publica tenentur, *quod tela domui sue sive agro collegerit*, preter usum navigationis venationis inveneris, nisi ex hereditate ei obvenerint vel convitii causa habuerint. Eadem lege Iulia tenentur qui cum telo bona rapuerit, vel ex incendio aliquid abstulerit, preter materiam vel qualemcumque per vim stupraverit, vel puerum ingenuum rapuerit cum imperium potestatemve habet adversus provocationem; civem Romanum necaverit, verberaverit, aut in collum eius quid eieceri ut contorqueretur, vel qui per vim possessionem inquirere temptave- c. 75, c.
rit, ut si quis mortuus fuerit vel ex parte eius qui vim intulit vel ex parte eius qui restitit relegatione submota aut deportatione, vim inferens suplitium capitale excipiet. Item qui nova vectigalia exercent hac lege tenentur. Lege Iulia de vi publica dampnatus in insulam deportatur bonis eius abrogatis. De vi privata dampnatus relegatur, amissa tertia bonorum.

XI. De raptu virginum.

De vi publica seu privata tractavit per quas sepe raptus virginum vel viduarum necnon sanctimonialium perpetratur, ideo de istarum raptu supponitur. Raptores virginum vel viduarum et qui eis auxilium prebuit capitis supplitio plectentur, et maxime si Deo fuerint dedicate, quod non solum ad iniuriam hominum sed etiam in ipsius omnipotentis Dei reverentiam committitur. Ne ergo talis crescat insania, ubi fuerint inventi adhuc flagrante crimine, ab eorum parentibus vel consanguineis aut tutoribus vel curatoribus patronis, vel dominis, illico interficiantur; et si liberte vel ancille fuerint rapte, tamen supradicta pena raptores punientur. Si autem in ingenuam tale facinus fuerit perpetratum, omnes res raptorum vel eorum qui eis auxilium prebuerunt ad dominium mulieris transferantur, que de his rebus quantocumque voluerit in dotem dare poterit et cui voluerit se coniungere, dummodo raptores non nubant, sive volentibus mulieribus sive nolentibus tale facinus fuerit perpetratum, quia hoc ipsum velle mulieris ab insidiis nequissimi hominis inducitur. Parentes horum mulierum si patientiam prebuerint ac dolorem remiserint, deportatione plectentur. Inter hec autem ministeria servum deprehensum concremari iubemus.

Source : BIU Cujas

XII. De emendatione servorum et propinquorum.

Post vim illicitam tractat de licita que adhibetur ad emendationem servorum sive propinquorum si correptionis causa virgis aut loris servum dominus afflixerit aut in vincula coniecerit. Servo mortuo nullum crimen in his seu metum patietur; sed si voluntate ictu fustis aut lapidis eum occiderit, homicidii erit obnoxius. In puniendis quoque vitiis propinquorum *senioribus propinquis tribuimus facultatem ut quos ad vita decora domestice laudis exempla non provocant, saltem correctionis medicina compellat. Sed nec potestatem in immensum extendi volumus, sed iure patrio actoritas corrigat propinqui iunioris erratum, et privata animi adversione compescat; quod si atrocitas facti ius domestice emendationis excedet, placet enormis delicti reos dedi iudicum notioni.*

XIII. Ad legem Corneliam de sicariis.

Constitutiones factas ad legem Iuliam de vi publica seu privata exposuit; nunc constitutiones habitas ad legem Corneliam de sicariis et veneficiis supponit. Sicca ergo
c. 75, d. gladii est nomen, unde siccarii dicuntur. Sicca etiam omne telum continet, unde lege Cornelia de siccariis tenetur qui hominem occidit, quive hominem occidendi, furtive faciendi causa cum telo ambulaverit; quia lege Cornelia dolus pro facto accipitur. Propterea qui hominem non occiderit sed vulneraverit ut occideretur, pro homicida dampnatur quod ex re erit constituendum; nam qui gladium strinxit et in eo percussit, indubitate occidendi animo id commiisse dicetur, et si clavi percusserit, vel si cucuma in rixa, quamvis ferro percussit, lenienda est eius pena. Ille quoque qui per lasciviam mortis causam prebuit, non hac pena tenetur sed in quinquennium relegatur. Item lege Cornelia tenetur qui hominis necandi causa venenum confecerit, dederit, vendiderit, vel qui hominem castraverit libidinis sive commertii causa. Furem autem nocturnum impune occides si parcere ei sine periculo non potuisti. Sed filium pater occidere non potest, sed accusare eum apud prefectum vel presidem provintie debet. Pena huius legis est insule deportatio et omnium bonorum publicatio. *Sed hodie solent capite puniri, nisi honestiori loco positi sint, ut penam legis sustineant; humiliores enim solent vel bestiis subici, altiores in insulam deportari; transfuge ubicumque quasi hostes occidi.*

XIIII. De his qui parentes vel liberos occidunt.

Nunc audi de quodam speciali et accerrimo quo tenetur qui parentes vel filios occidit, vel qui properavit vi facta eius affectioni, que parricidii nuncupatione continetur, ut patris, matris, avi, avie et ceteros in quos paterna vel materna affectio est, vel cuius dolo id factum est licet sit extraneus. Et ideo si creditor sciens ad id scelus pecuniam subministravit, puta ad comparationem veneni vel ut latronibus agressoribusve daretur, qui patrem interficerent, parricidii pena tenetur. Pena huius criminis est ut virgis sanguineis verberatus, in eculeo, cum cane et gallo galinatio, vipera et simia, et sic inter ferales angustias comprehendatur et in vicinum mare vel amnem proiciatur ut religionis qualitas postulaverit.

XV. De malefitiis et mathematicis et ceteris similibus.

Supra de his qui delinquunt palam necando hominem: nunc de homicidio eorum qui prohibitis artibus vite hominum insidiantur, ut sunt malefici et mathematici, ut sunt aruspices qui sua conscientia tantum condempnantur, ut ad limen alterius accessum non habeant, illo concremando
qui ad alienam domum accessit, et illo deportando bonis c. 76, a.
ademptis qui eum vocavit. Item prohibetur ut nemo aruspicem aut mathematicum consulat. Interdicitur quoque omnibus curiositas divinandi perpetuo et quicumque iussis obsequium denegaverit, capitis supplicium feret. Artem vero geometricam addiscere atque exercere non est prohibitum, sed nec eorum scientia criminationibus est implicanda qui efficiunt ne inbres metuerentur materis, vindemiis, aut ne venti grandinisque lapidatione quaterentur.

XVI. De sepulchro violato.

De vivis violatis audistis, nunc de mortuis violatis: quod efficitur cum sepulchrum eorum violatur. De sepulchro violato civiliter et criminaliter agi potest: lege tamen Aquilia non agetur, sed quod vi aut condictione agi poterit. Est quoque a pretore actio in factum proposita in sepulcrorum violatorem, in qua primum reus ei ad quem res pertinet condempnetur quatenus equum videbitur. Sed si nemo ad quem pertinet res sit, sive agere nollet, ei qui agere vellet, cum sit populare, C. aureorum iuditium dabitur. Item si ille qui habitaverit in sepulcro vel edifitium suum, aliquid aliud habuerit quod sepulcri causa factum sit, CC. aureorum condempnatione plectetur. Nec solum supradicto modo defuncti afficiuntur iniuria sed etiam cum sepulturam eorum quis inpedit, et ideo si creditor ab his ad quos funus pertinet, mortuo posito ante sepulturam pignora vel fideiussores vel aliquo modo debitum exegerit, omnia in irritum erunt revocanda, debito manente in sui natura. Ille vero qui hoc commisit L. libras auri dependit, vel si ad hec solvendo non erit idoneus, sub competenti iudice penas luet corporales iure veteri, sed novo iure, qui domum moribundi ascendit, ipsum vel alios qui eius sunt molestans, accione post mortem eius *cadat et alium tantumdem exigitur ab heredibus iniuriati, pubblicanda tertia parte bonorum, ipsoque infami facto.* Pena huius

Source : BIU Cujas

criminis est veteri iure relegatio: sed si corpora fuerint contrata vel erupta, humilioris quidem fortune supremo supplitio afficiuntur; honestiores in insulam deportantur, alias aut relegantur aut in metallum dampnantur.

XVII. Ad legem Faviam de plagiariis

Qualiter plaga parenti vel domino infligatur homicidio
c. 76, b. servorum dictum est. Nunc qualiter afficiantur commisso plagio. Plagium dictum est a plaga maris eo quod sepius servi vel liberi a dominis vel patribus subtrahuntur. Plagium vero committit qui sciens alienum servum vel liberum hominem vendiderit, donaverit, in dotem dederit vel permutaverit; item qui ex aliqua earum causarum accepit, in eadem causa haberi debet, non autem statim plagiarium esse qui furti crimine ob servos interceptos sive sollecitatos tenetur, sed tunc cum alienatur aut supprimit, idest celat. Si vero servum subreptum non suprimit sed palam apud se detinet, fur est dicendus non plagiarius. Plagiarius quoque non erit qui servum absentem vendiderit; sed qui in fugam lapsum tenet. Pena huius criminis est ut servus libertate donatus bestis subitiatur: ingenuus autem gladio consumatur.

XVIII. Ad legem Viscelliam.

Locuta est lex superior de homicidio; loquitur eadem et de falso, et ideo et de falso supponitur; sed primum de quodam falso quod lex Viscellia punit. Subsequitur lex homines libertine condictionis si ea que sunt ingenuorum circa dignitates appetunt, nisi substententur a principe, anulorum aureorum impetrata licentia. Libertinus enim autem qui se dicet ingenuum tam de operis civiliter vel criminaliter poterit perurgueri, extra ordinem tamen pro qualitate admissi.

XVIIII. Ad legam Corneliam de falsis.

De falso dictum est specialiter: nunc generaliter; sed quia falsum pluribus modis fit, ideo de falsis pluraliter ponit. Falsi pena tenetur qui ob renuntiandum remittendumve testimonium dicendum penas accepit. Sed tutores et curatores qui cum fisco contraxere, tutela vel curatela non reddita, punientur ac si falsum commississent: ita tamen si vivat is cuius tutela gesta est. Sed si decesserit licet heredi rationem nondum redderit, iure contrahere potest. Item tenetur qui testamentum celaverit, deleverit subiecerit, resignaverit; si etiam quodlibet instrumentum subripiat. Sic crimen instrumentorum subreptorum publici iuditii non est, nisi testamentum alicuius subreptum arguatur. Reus quoque hoc crimine fieri potest qui instrumenta apud se deposita adversario eius dederit vel qui falsos codicillos aliudve instrumentum fecerit; qui accusationem falsi ideo evadere non potuerit, quod ille se neget
c. 76, c. uti. Sed qui falsam monetam percusserit si id totum formare noluerit, subfragio iuste penitentie absolvetur. Item si quis falsis constitutionibus vel rescriptis utatur aqua et igni ei interdicitur lege Cornelia. Eadem quoque lege qui nummos aureos partim araserit, partim tinxerit, si liber est, ad bestias detur; si servus est, summo supplicio afficitur. Ille quoque qui pondera aut mensuras falsas habet, ex decreto in insulam relegetur.

De supposito vero partu convicta mulier ultimum supplicium feret, cuius rei accusatio cuilibet ex propinquis datur, sed his ad quos ea res pertinet, cum nec etiam ea ulla temporis prescriptione tollatur. De falso criminaliter et civiliter usque ad XX. annos agitur. Huius criminis deportatio pena est et omnium bonorum publicatio. Sed si servus sit, ultimo supplicio affici iubetur.

XX. De his qui sibi ascribunt in testamento.

Generaliter de falso diximus; nunc specialiter de quodam tenetur qui in testamento aliquid sibi ascribit. Iurisperiti interpretati sunt in legem Corneliam committere eum qui cum ad scribendum testamentum adhibitus esset, quamvis dictante testatore, aliquod emolumentum sibi ascribit, vel heredem se ascribendo, vel legatum sibi assignando, vel libertatem ascribendo. Nec erit is venia dignus qui se ignorasse edicti severitatem pretendit. Filius tamen vel servus si iusso patris vel domini aliquid ascribit necessitate potestatis excusatur, si tamen accedit auctoritas patris subscribentis se eadem dictasse et recognovisse, ut sit hec differentia inter eos qui sunt *in potestate et extraneos testumentum scribentes: quod in estraneo si specialiter testator subscripserit, locum habet, pena enim legis cessat* et capi potest legatum; in filio vero vel servo generalis subscriptio sufficit. Item de falso quoque tenetur qui ei in cuius est potestate, vel ei qui in ipsius est potestate ascribit. Si tamen pater filio militi ascribit, non tenetur, quia sibi non ascribit. Dictantibus autem testamentum vel aliam ultimam voluntatem legatum vel fideicommissum posse relinquere minime dubitatur.

XXI. De falsa moneta.

Adnectit de alio falso quo tenentur falsam monetam cudentes; falsa moneta est cum preter electam alia subrogatur, materia remota, vel etiam mutata forma que quia vera non cuditur dicitur adulterina; quam qui cudit, quia ad alterius accedit officium, adulter dicitur. Huiusmodi homines inquirendi cuncti cognoscant necessitatem sibi incumbere; cum et accusatoribus eorum immunitatem permittimus. Huius criminis reus similis fuerit super eius nomine et gradu, ad competentes iudices deferatur;
domus vero vel fundus in quo hec perpetrate sunt fisco c. 76, d.
vendicabitur, si dominus presens est quia eius egligentia est punienda. Si vero longe a domo vel possessione affuerit, nullum substineat detrimentum. Pupilla antem et

Source : BIU Cujas

vidue etiam si sunt prope constitute, domo vel possessione non careant, si nulla tam gravis conscientie criminis noxia apud eas residat. Impuberes vero, etsi conscii fuerint, nullum substineant detrimentum; tutores tamen si in proximo fuerunt rebus suis satis huius criminis obnoxii, illico dilatione semota exustionibus flammarum mancipetur.

XXII. Ad legem Juliam de ambitu.

Tractat adhuc de alio falso: committit enim falsum qui honorem ambit, simulans se rei publice velle prodesse, cum magis commodo suo studeat: et est prodita accusatio hoc nomine que tamen hodie cessat in urbe, quia ad curam principis magistratuum creatio pertinet, non ad populi favorem. Quod si in municipio contra hanc legem magistratum aut sacerdotium quis petierit, in C. aureis cum infamia punitur. Item qui novum vectigal instituerit hac pena tenetur. Idem est si reus vel accusator domum iudicum intraverit.

XXIII. Ad legem Juliam repetundarum.

Cohercuit lex superior eos qui dignitatem vel aliqua officia repetere ausi fuerint; hec autem coercet positos in dignitate qui aliquid acceperint; quo magis aut minus quid ex suo officio faceret lege Julia repetundarum tenetur: qui cum in magistratu potestateve esset a suis subiectis plus minusve in anno acceperit, quam quod sit aureorum C., et si ultra acceperit, in quadruplum invitus exsolvet ut duplum spoliatus accipiat, et duplum fiscus, ut sunt de assessoribus. Lege Iulia excipiuntur tamen quedam persone a quibus in infinitum accipere licet, ut sobrini, priores cognati et uxores. Datur autem ex hac lege accionem in heredem intra annum, dumtaxat a morte eius qui arguebatur. Item eadem lege tenetur qui ob indicandum vel non denuntiandum testamentum aliquid acceperit. Lex quoque Iulia de repetundis precepit ne quis ob iudicem arbitrumve dandum vel mutandum, iubendumve ut iudicet, neve ob non dandum vel non mutandum ut iudicet, neve ob hominem in vincula publica coniiciendum aliquid acceperit. Hodie ex hac lege extra ordinem puniuntur et plerumque in exilium mittuntur, vel etiam durius coercentur, ut alioquin capite plectantur vel, in insulam deportentur.

XXIIII. De crimine peculatus.

Qualiter extorqueatur a iudice quod sibi subiectis accipit sive rapuit dictum est: nunc qualiter puniatur qui
c. 77, a. publicas pecunias subtraxit, et sic de crimine peculatus. Peculatus est crimen pubblice pecunie civitatis romane; sed ob peccuniam alterius civitatis furti non peculatus quis tenetur, ut ff. de furtis. l. ob pecuniam. Alioquin tamen et pecunia privata crimen peculatus facit, veluti si quis quod fisco debetur accepit, simulans se fisci creditorem. Lege Julia peculatus tenetur qui pecuniam sacram, religiosam vel publicam aufert; intercipit quod ne ut eorum fieret curavit, vel qui in aurum vel argentum es immiscuit sive ut id fieret curavit. Sed et si donatum Deo immortali abstulerit, vel si cum in moneta publica operatur, extrinsecus sibi signat peccuniam, vel signatam furatur, vel nil de residuis tenetur qui pecuniam delegatam in usum aliquem retinuit. Nec in eum qui consumpsit hoc crimen ante quinquennium amissum obici non potest. Intenditur quoque adversus heredes superius crimen quia in his principaliter movetur questio ablate pecunie. Pecculatus pena est deportatio.

XXV. De crimine sacrilegii.

Sacrilegio sunt obnoxii qui aut nesciendo omittunt, aut negligendo violant sanctitatem divine domus, vel qui c. 77, b.
de principali iuditio disputant, vel qui officium gerende administrationis desiderant in ea provintia cuius cives haberentur. Sacrilegi quoque sunt qui publicum sacrum compilaverint, atque privata sacra vel ediculas incustoditas temptaverunt: amplius quam fures, minus quam sacrilegi puniuntur. Nullus tamen putet qui rem privatorum in sacra ede deposita subripuit sacrilegum esse, sed magis furem: penam sacrilegii statuet iudex pro qualitate persone, pro condictione temporis, etatis et sexus. Legitur autem quod vivi exurantur, aut furca suspendantur, aut bestiis dampnentur. Bestiis dampnantur qui templa fregerunt et noctu dona detulerunt. Ceterum si quis interdiu modicum aliquid de templo abstulerit, pena metalli est cohercendus; si honestiore loco nactus sit, in insula deportandus.

XXVI. Quando civilis accio criminali preiudicet, et an utraque ab eodem exerceri potest.

De civilibus et criminalibus causis dictum est: sed quia de ea re similis et civilis et criminalis accio competit, ideo videndum est que, cui, quandoque preiudicet. Quotiens de re familiari civiliter et criminaliter accio competit, non interest quam prius experiamur, nec si civiliter fuerit actum, ut criminalis consumitur, vel e converso; quando autem ea accione agitur que ad rem familiarem pertinet, sed principaliter ad vindictam, ut accio iniurie, si civiliter fuerit actum, criminaliter postea non agetur.

XXVII. De crimine expilate hereditatis.

De publicis et ordinariis criminibus dictum est supra; nunc de privatis et extraordinariis, et prius de crimine expilate hereditatis dicitur. Hoc crimen cum expilatur hereditas datur in locum defitientis accionis furti, cum iacenti hereditati furtum non fiat, nisi in tribus casibus,

Source : BIU Cujas

scilicet cum pignus dederat defunctus, aut commodaverit, aut cum ususfructus alienus fuerat. Datur quoque et post aditam hereditatem, antequam res ab herede possesse sint, ut ff. eod., l. II. Nam hoc casu furti accio non competit antequam ad exhibendum vel rei vendite agatur. Evenit quandoque ut quamvis hereditas expiletur, expilate tamen hereditatis crimen non intenditur, veluti si uxor post mortem mariti aliquid subtrahat, quia nec furti cum ea agitur vel famosa accione, quum est sotia divine atque humane rei. Agent igitur heredes adversus eam ad exhibendum vel rei vendite; fructus etiam rerum quos mala fide detinuit repetentur: extantes vendicando, consumptos vero condicendo. In hoc crimine reus extra ordinem cohercetur.

XXVIII. De vi bonorum raptorum.

Post crimen expilate hereditatis tractatum, tractat de vi bonorum raptorum; accio qua raptor civiliter punitur, et criminaliter lege Iulia de vi publica seu privata cohercetur. Ille qui vi rapit fur manifestus dicitur non ex deprehensione sed ex sua publicatione, *quia furti nec manifesti tenetur, et vi bonorum raptorum accione.* Si fuerit actum vi bonorum raptorum, tollitur furti; si vero furti, non tollitur vi bonorum raptorum quatenus plus est in ea. Hec accio dolum in se continet. Nam qui facit, vi et dolo facit; unde si qui dolo caret licet vi rapuerit, vi bonorum raptorum non tenetur, sicut habet de exaccione publica qui pecus abduxit, dum putat contra legem vectigalis aliquid a me factum, qui, quia dolo caret, vi bonorum raptorum non arguitur. Hac accione de bonis raptis agitur, que nichilominus competit etsi una res minima de bonis rapta sit. Item nichil interest sive res sit in bonis, sive ex bonis, quare sive pignorata, sive commodata vel deposita sit, hec accio proponitur intra annum in quadruplum: post vero in simplum.

c. 77, c.

XXVIIII. De crimine stellionatus.

Stellio est animal diversi coloris, inde per similitudinem crimen stellionatus dicitur, quod obicitur his qui cum sit varie mentis et dolo aliquod delictum perpetraverint; ita demum tamen si aliud crimen non sit quod obiciatur. Unde si aliquod crimen est commissum et titulus criminis deficit, illic stellionatum obicimus; quod enim in iuditiis privatis est de dolo accio, hec in criminalibus stellionatus persecutio. Quod maxime in his locum habet veluti si quis rem alii obligatam, dissimulata obligatione distraxit vel permutavit, vel in solutum dedit. Sed si quis merces supponerit vel obligatas averterit vel in solutum dederit, item si quis inposturam fecerit, hoc crimen locum habebit. Pena huius delicti nulla est legittima, cum nec sit legittimum crimen. Solet enim extra ordinem plecti, dummodo non debeat opus metalli in plebe agi. Agendi pena in his vero qui sunt in aliquo honore positi ad tempus relegatio vel ab ordine motio est.

XXX. De iniuriis.

De privatis et extraordinariis criminibus tractare incipit, et ideo inter ipsa de iniuriis tractat, cum sit privatum et extraordinarium. Iniuria generaliter dicitur esse quod non iure fit; sed hic specialiter dicitur iniuria contumelia. Iniuria multis modis fit, aut enim re aut verbis, aut litteris. Re, quando manus inferuntur; verbis, quando manus non levantur, verbis tamen fit convitium; litteris, cum libellus ad infamiam alicuius scribitur. Item iniuria omnis aut fit in corpus aut ad dignitatem aut ad infamiam. In corpus fit cum pulsatur; ad dignitatem, cum comes matrone adducitur; ad infamiam, cum pudicia alicuius atemptatur, quod est de pudico impudicum facere. Iniuria quoque alioquin est atrox, alioquin non atrox. Autem iniuria exstimatur aut ex persona, aut ex loco vel tempore in quo fit, aut ex re; nonnunquam ex loco vulneris. Ex persona, veluti cum magistratui fit vel parenti aut patrono; ex loco in quo fit, ut in ludis et in conspectu; re, si vulnus sit inflictum vel os alicui fractum; loco vulneris, si in oculo sit percussus. Iniuriam ut dixi patitur quis multis modis, aut enim per servos, aut per liberos, aut per uxorem, aut per se ipsum. Per servum, cum gravis iniuria infertur: hoc est adversus bonos mores: verberatur; nam levem iniuria equo animo quis fertur: per uxorem, cum iniuria uxori infertur ut tanti quis condempnetur ei quanti si ea in nullius esset potestati; patri, quanti si vidua esset. Ex iniuria autem illata viro uxor non aget, quum viri non ab uxoribus, sed uxores a viris defenduntur. Ex iniuria filii pater aget. Aliquando tamen evenit, etsi pater presens sit, agere tamen non possit, propter aliquem casum competere accionem filio interdum; et si presens sit pater, et agere potest, agere tamen non vult, vel quia remittit vel quia pater donat, filio danda est accio, ut si pater vilis sit, verberatur, domusve eius vi introita. Attende quoque iniuriarum civiliter et criminaliter agi posse; nec interest, ubi de re familiari agitur. quo iuditio prius experiamur et in hac accione pretor permittit preiudicari legi communi privato iuditio, quia non de re familiari agitur sed potius de vindicta. In hac accione auctor iniuriam extimat suo iure iudicium. Inter cetera cum hec accio sit ex bono et equo introducta dissimulatione aboletur, et ideo si iniuriam passus statim ad aurem non revocavit, remissam iniuriam non potest recolere, et cum per pactum ipso iure tollatur.

c. 77, d.

XXXI. De famosis libellis.

Re vel verbis quomodo iniuria fiat dictum est, nunc quomodo litteris fiat dicendum est. Iniuria fit cum quis libellum ad infamiam alicuius scribit, componit, edit vel dolo fecit ut quid eorum fieret. Qui innocentem taliter infamare voluit nec potuit, capitaliter punitur. Qui vero nocet non dampnatur: peccunia

Source : BIU Cujas

enim nocentium noxia esse et oportere et expedire: ex tali condempnatione fit aliquis intestabilis, ut ff. eod., lege ultima.

XXXII. De abigeis.

Abigei dicuntur qui peccora ex paratis vel ex pascuis subtrahunt et quodam modo depredantur, et abigendi studium quasi artem exercent equos de armentis vel de gregibus oves abducentes. Ceterum si quis ovem oberrantem vel equos in solitudine relictos abduxerit, fur est dicendus non abigeus. X. oves fatiunt gregem; IIII. vel V. porci. Item oves pro numero abactorem aut abigeum fatiunt aut furem; cum quantitas ab abigeo furem di-
c. 78, a. scernat, ut ff. de penis., l. aut facta., § quantitas., nam qui unum suem subripuit ut fur tenetur, nisi sepius unum vel alterum abegerit. Qui vero gregem abegit, ut abigeus est; bos autem unus vel equus abigeatus crimen faciunt de armento subducti. Pena huius criminis est in plebeis in metallum vel in opus publicum temporarium, vel ad gladium ubi id malefitium frequentius exercetur, datur; in aliis relegatio vel ab ordine motio, et qui cum gladio abigunt, bestiis obiciuntur. Receptatores abigeorum extrahunt aliam: X. annos relegantur.

XXXIII. De his qui latrones vel aliis criminibus reos occultant.

Qui reos alicuius criminis occultando sibi sociant pari pena cum reis, se noverint vindicandos, et si latrones vel alterius criminis rei in possessione degant, si dominus est vel procurator, eos ultro offerant, aut si scientes hoc non fecerint a civili officio arguentur. Si vero exhibere distullerint, ad eos detinendos civilia dirigantur auxilia, et si hec non suffitiunt tunc iudex locorum a viro devoto tribuno officium exhigat militare per quod rei abstrahantur et detineantur. Dominus etiam possessionis vel procurator inpunes non manebunt; nam dominus dominio possessionis privabitur, procurator vero vel primas perpetuo exilio subiacebunt; si vero post exhibitionem qui accusantur innocentes apparuerint, accusatores penam que in calumpniantes datur, exipient.

XXXIIII. De exquirendis reis.

De presentibus accusatis dictum est, nunc de absentibus accusandis, qui quia accusari non possunt, requiruntur edictis vel litteris ad magistratum missis, bonis eorum adnotatis. Qui si intra annum redierint, et se purgaverint, vel intra annum mortui fuerint, integras res suas recipient, vel ad heredes transmittent; si vero neque responderunt, nec qui eos defenderent habuerunt, tunc post annum bona eorum in fiscum coguntur; nec ideo minus si postea reversi, probatione dilucida innocentiam suam purgaverint, res eorum apud fiscum remanebunt. Annus ex inde computandus est ex quo ei facta annotatio est; intra quem, si que sunt mobilia aut moventia que deteriora fiant aut intereant, venire debent, et pretium eorum esse in deposito. Curandum quoque est ne qui ei qui profugit medio tempore, a medio tempore a c. 78, b.
debitoribus eius solvatur.

XXXV. De questionibus servorum.

Supra de criminibus: nunc de questionibus que sepe in ipsis criminibus habentur; sed qualiter et quatenus videamus. Et non a tormentis est incipiendum ut divus Augustus constituit; sed tunc demum ad questionem servorum est accedendum, cum aliis argumentis causa sic fuerit examinata, ut sola confessio servorum deesse videatur. Item questioni fides non semper est habenda quia res fragilis est et periculosa et que veritatem fallit. Nam quidam patientia sive duritia ita tormenta contempnunt ut ab his veritas extorqueri non possit; alii tam sunt impatientia ut quodvis mentiri malint quam pati tormenta. Ad questionem non sunt provocandi quos accusator de domo sua produxit, cum nec initium probationis de domo rei possit sumere accusator. Preterea inimicorum *questioni non debet haberi fides.* Sed nec servorum questionibus creditur si pro domino vel adversus dominum interrogentur, nisi in crimine adulteri, fraudis crimine, et maiestatis. Similiter contra me non torquebitur servus qui bona fide mihi servit, vel liber homo quem bona fide possideo; sed nec libertus in patronum vel frater in fratrem quia in quem quis invitus testimonium dicere non cogitur nec debet torqueri. Item de servo in metallum dampnato questio non habetur in eum qui dominus fuit, vel si servus redibitus fuerit in caput emptoris non torquebitur. Notandum quoque est questionem de servis haberi non tantum in criminalibus causis, sed etiam in peccuniariis, si aliter veritas extorqueri non possit. De libero etiam homine questio habetur, si circa testimonium dicendum vacillet.

XXXVI. De abolitionibus.

Qualiter crimina intendantur dictum est supra; nunc de ipsis abolendis. Est autem abolitio accusationis institute peremptio. Fit autem pluribus modis abolitio: aut publice, ob diem insignem, ob publicam gratulationem, aut ob rem prospere gestam, aut privatim auctore postulante. Fit quoque tertio genere abolitio accusatore mortuo; in quibus quid iuris sit adtende cum publica sit abolitio. XXX. dies utiles dantur ipsi accusatori ex quo ferie finite sunt, in quibus facultatem habet repetendi res quibus protervis persequi crimina volens non auditur, nec non in Turpillianum incidet cum extemplo reum non defert. Ad impetrandam autem abolitionem fallaciter incu- c. 78, c.
santes non admittuntur: qui vero non explanaverit se prosiluisse ad accusationem per errorem seu temeritatem

Source : BIU Cujas

vel ob calorem, abolitioni locum faciet, nisi reus aliquid in itinere iam tolleraverit, idest si carcerem, tormenta vel verbera seu catenas substinuit. Sed tunc abolitio competit, si ille qui passus est suum consensum accomodavit. Cum vero nichil passus est, etiam si fuerit custodie officio traditus, infra XXX. dies accusatori abolitio non denegatur, nisi consentiat.

XXXVII. Ut intra certum tempus criminalis questio terminetur.

Post crimen delatum intra duos annos a litis contestatione numerandos causa criminalis est finienda. Quod si accusator persequi supersederit, aut, quod est contumatius, ultima die adesse neglexerit, non tamen quia animum desidendi habuerit, quarta parte bonorum mulctatur et infamis efficitur. Quod si persona adeo sit vilis cui damnum fame non sit iniuria, penam patietur exilii. Quod si ipsi iudices examinationem distullerint; si vero civilis negotii litem ausi fuerint protelare et propter hoc triennium fuerit elapsum, si in magistratu vel maiori dignitate, usque ad illustratus gradum positi sunt, X. libras auri cogentur inferre privatis largitionibus principis. Si autem minor iudex fuerit, trium librarum auri mulcta plectetur.

XXXVIII.

Ad senatusconsultum Turpillianum.

Die his qui crimen contemptum deferunt dictum est; nunc de senatusconsulto Turpilliano quod punit accusantes. Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, et tribus penis subicitur: aut enim calumpniantur, aut prevaricantur, aut tergiversantur. Calumpniari est falsa crimina scienter intendere; prevaricari vera abscondere; tergiversari in universum accusatione desistere. Qui calumpniantur ea pena sunt afficiendi qua reus puniretur si foret convictus, quia calumpniatores ad vindictam poscit similitudo supplitii. In publicis et ordinariis criminibus, aut in privatis et extraordinariis calumpniosi extra ordinem puniuntur; sed non utique qui non probat quod intendit, protinus calupniari videtur. Nam huius rei inquisitio arbitrio iudicis committitur; qui reo absoluto incipit querere qua mente ductus ad accusandum processit, et siquidem iustum eius errorem reperit absolvet eum; si vero in evidenti calumpnia deprehenditur, et iudex ita pronuntiaverit: NON PROBASTI, pepercit ei; si autem pronuntiaverit: CALUPNIATUS EST, condempnavit eum; quo casu, licet de pena nichil subierit, legis potestas adversus eum exercebitur, nam, ut ait Papinianus, questio est in arbitrio iudicantis, pene vero persecutio non eius voluntati mandatur, sed legis auctoritati servatur. Prevaricator vero in publicis et ordinariis criminibus, punitur per Turpillianum in V. libras auri et infamis efficitur; et in extraordinariis criminibus et extra ordinem officio iudiciis cohercetur, idest eadem pena punietur qua reus qui per prevaricationem est absolutus, ut ff. *de prevaricatione.*, *l. ambigi.* Tergiversator vero eadem pena punitur quam et prevaricatur, ut supra, de adulterio: de crimine adulterii.

c. 78, d.

XXXVIIII. De penis.

Tractavimus de publicis criminibus et privatis; nunc de ipsis penis quibus convicti in crimine affitiuntur. Penarum alia capitalis alia non. Capitalis pena est cum aut mors irrogatur aut civitas amittitur, aut cum servitus contingit: cetere non sunt capitales sed ad examinationem pertinent, veluti relegatio vel fustium ictus.

Nunc genera penarum nobis enumeranda sunt. Sunt itaque que aut vitam adimunt, aut servitutem iniungunt, aut civitatem auferunt, aut exilium aut cohertionem corporis continent, aut dapnum cum infamia aut aliquem dignitate *privant aut corpus debilitant aut aliquem actum prohibent;* que pene e quibus criminibus imponantur prosequamur.

Pene criminum ex quibus vita adimitur alioquin adimunt gladio, alioquin igne, alioquin suspendio, aut bestiis subitiendo, alioquin culeo. Gladio adimitur vita adulteris, comitentibus in maiestatem et iis qui cum masculo nefandam libidinem contraxerint, nec non raptori et incendiario et ei qui famosum libellum composuit vel recitavit et ei qui de sepulcro ossa contraxerit, si sit humilior; honestiores vero in insulam deportantur vel relegantur aut in metallum dampnantur. Predicto quoque modo punitur miles qui pacem turbavit vel qui in libello rem a duce prohibitam fecit, vel mandata non servavit, etiam si res bene sit gesta. Sed et qui vallum transcendit aut per murum castra ingreditur capite punitur; nam et Romuli frater, idest Remus, fertur occisus ob id quod muros transcendere voluit. Cuius conditionis habentur qui propositum suum detegere voluerint vel deseruerint; nam eo occiso, capite puniuntur, unde in his criminibus et in aliis quampluribus gladio animadverti oportet, et non securi vel telo, vel fuste vel laqueo vel alio aliquo modo prout nec liberam mortis facultatem concedendi ius presides habent, multo magis nec veneno necandi. Sed nec dampnare quem sic possunt ut de saxo precipitetur, vel si liber sit, in perpetuis vinculis habeatur. Igne exuruntur servi qui cum suis dominabus habuisse rem deteguntur, vel suis dominis insidiati fuerint vel artem mathematicam exercuerint; hostes quoque et transfuge, item violatores monete et ageris vili corruptores et renuntiatores consiliorum, et incendiorum populumque flammarum exustionibus mancipantur.

c. 79, a.

Suspendio aut bestiis subitiendo adimitur vita latronibus; in his maxime locis in quibus grassati sunt ut conspectu ab hisdem facinoribus alii deterreantur, consolatio sit cognatis et affinibus interremptorum. Qua pena interdum afficiuntur transfuge ad hostes et consiliorum renuntiatores et seditionis et tumultus auctores qui, populo concitato, pro dignitatis qualitate aut in furcam tolluntur

Source : BIU Cujas

aut bestiis subiciuntur, aut in insulam deportantur. Plagiarii quoque qui viventium filiorum miserandas parentibus orbitates infligunt, si quidem sunt servi aut libertate donati, bestiis subiciuntur, ingenui vero gladio consumuntur. Sed sacrilegi qui manufacta templa effregerunt, aut ad bestias dampnantur aut vivi exuruntur aut in furca suspenduntur. Nova pena ex lege Pompeia de parricidiis afficitur qui parentes aut filii aut affectionis eius quem nuncupatione parricidii continetur facta perpetraverit, neque gladio, neque ignibus neque ulli alii solutioni pene subiungitur, sed insutus culeo cum cane et gallo callinaceo et vipera et simia et inter eas ferales
c. 79, b. augustias constitutus secundum quod religionis qualitas tullerit, in vicinum mare vel amnem prohiciatur, ut omni elementorum usu vivus carere incipiat et ei celum superstiti, terra mortuo auferatur. Quo de crimine hii tenentur, quorum dolo factum est vel conscii criminis extiterunt; nam ut suum aufertur eius qui tantum agnoverat filium patrem veneno necare, vel necare iudicaverat, relegatus est et mendicus suppremo supplitio affectus est.

Servi efficiuntur dampnati in metallum vel in opus metalli; nam inter eos in vinculis tantum differentia est; sed non utique Cesaris vel fisci, sed pene. In quo numero sunt quibus aque et igni perpetuo interdicitur; unde sciendum est in metallum ad tempus neminem dampnari debere, nisi usque ad X. dampnetur; alioquin, licet metallicum opus faciat, liber manebit. Sed etsi ad tempus dampnatus fuerit, duplicato tempore finitur, eo tempore tantummodo duplicando quod ad penam supererat, nisi cum X. excessura fuerat duplicatio. Tunc enim tempore pena non artat. In metallum damnantur plerumque plagiarii et fures et fractores qui gladio se defenderent, nec tamen quemquam percusserint, nec non et humiliores quamdiu viripotentes virgines corruperunt. Illi quoque qui instrumenta penes se deposita alteri reddunt, qui pro persone conditione, aut ad metallum dampnantur, aut in insulam deportantur.

Civitatem adimunt ea crimina que deportationem iniungunt, ut lex Cornelia de siccariis que altiores in insulam deportat, et Cornelia de falsis, et Iulia peculatus que aque et ignis interdictionem continent, in quam hodie deportatio successit. Item deportatur tutor qui pupillam suam violata castitate stupravit et qui vim publicam commisit; sed eum qui filium dilectum, ut inhabilem militie fieret, debilitavit preceptum divi Adriani deportavit, nec non et eum eadem pena afficit qui filium suum qui novercam adulterabat in venatione necavit, eo scilicet quod latronis magis iure quam patris eum interfecisset. Nam patria potestas in pietate non in atrocitate debet consistere.

Exilii pena afficiuntur qui ad tempus vel in perpe-
c. 79, c. tuum relegantur; ad tempus ut receptatores abigeorum qui X. annis relegantur; in perpetuum ut effractores. Iudices quoque pedanei si peccunia corrupti dicantur, plerumque a preside a curia submoventur, aut in exilium mittuntur, aut ad tempus relegantur, et alii plures: qui omnes et factionem testamenti non admittunt, et civitatem romanam retinent.

Exilium autem est triplex: aut certorum locorum interdictio, aut lata fuga, ut omnium bonorum interdicatur preter certum locum, aut insule vinculum, idest relegatio in insulam. Potest etiam aliquis sic dampnari ne domo sua exeat.

Corpore exerceantur qui verberibus affitiuntur vel qui vim privatam... aut per ignorantiam aut fortuito lapides finales furati sunt.

Dampno cum infamia afficiuntur vel qui vim privatam vel ambitus crimen commiserunt; nam et creditor qui sine auctoritate iudicis res debitoris occupavit, infamis efficitur et tertia parte bonorum mulctatur, et qui ambitum commisit C. aureis cum infamia punitur.

De dignitate aliqua dehitiuntur milites qui arma sua alienaverunt vel aliena subripuerunt et advocati, decuriones qui falsum instrumentum cognoscentes presidi recitaverunt: hii enim in Corneliam, falso tantum recitato, non incidunt.

Actus prohibitionis continent extraordinaria, ex quibus alioquin advocatione interdicitur, alioquin negotiatione ut in persona Dardanorum contingit.

Membri abscissionem posse aliqua crimina continere ex eo colligo quod dicitur nullum sibi debere extimare permissum alicui sceleratissimo alterutras manus aut pedes amputare, aut huiusmodi quedam inferre supplitia per que articuli dissolvuntur; quia membrorum dissolutio gravior est utriusque manus abscissione. Si vero criminis qualitas membri abscissionem desiderat fieri, unam solam manum debere amputari. Pro furto vero non volumus omnino quodlibet membrum abscidi, sed aliter eum castigari. Fures autem volumus qui celate et sine armis delinquunt; eos autem qui violenter agrediuntur, aut cum armis aut sine armis, in domo aut in itineribus aut in mari, penis legalibus subdi volumus, hoc est furca suspendi; sed hoc c. 79, d.
quoque neminem fugiat, quod si quis pro criminum deprehensorum qualitate in metallum fuerit dannatus, hoc tamen in eius facie non erit scribendum, cum et in manibus et in furis possit damnationis una scriptione comprehendi qua facies que ad similitudinem pulchritudinis celestis est signata, minime maculetur.

Item idem inter eos autem qui in metallum et in opus metalli damnantur differentia est, unde in vinculis qui in metallum damnantur gravioribus puniuntur; qui vero in opus metallicum in lenioribus. In metallum quoque vel in opus metallicum varie damnari debet; sed qui in tempus dannatus est, etiam si faciat metallum opus, in metallum esse dannatus intelligi debere, quia huius libertas manet. Servos quoque in metallum vel in opus metallicum dari solere nulla dubitatione, et si fuerint dannati, servi pene efficiuntur. Non ad eum postea pertinebitur cuius fuerint antequam damnarentur.

Source : BIU Cujas

Unde si servus in metallum dannatus benefitio principis pena fuerit liberatus; quia semel domini desierat esse servus pene factus non erit; postea in potestate domini reducendus. Si vero in perpetua vincula, sive in temporalia fuerint, dampnatus eius remanet, cuius fuerat antequam dampnaretur. Civitatem admittunt in opus publicum in perpetuum dati et in insulam deportati, quia ea que iuris civilis sunt non habent. Deportandi autem in insulam presidibus provintie non est datum, sed prefecto; videlicet ipsi presides in insulam relegare possunt, si etiam insulam sub se habent, idest ad eius provintie formam pertinentem cui administrant; si vero non habent, pronuntient in insulam relegari, scribant autem imperatori ut ipse insule releget. Sunt qui similiter et provintiis eius interdicatur, nec etiam in insula assignetur.

Inter deportatos et relegatos hec est differentia quod in insula relegari et ad tempus et in perpetuum quis potest; deportari vero nequaquam. Item sive ad tempus sive in perpetum quis fuerit relegatus, et civitatem romanam retinet et factionem testamenti non admittit, et liberos in potestatem habet et omnia alia sua iura retinet quod nullo modo in deportatione invenies; item relegatos, et ad
c. 80. a. tempus, sive in perpetuum relegantur, possunt parte bonorum mulctari; qui vero ad tempus, et non. Exilium continet ut legata fuga, sed exilium triplex est, aut cunctorum locorum insule vinculum, idest relegatio in insulam. In exulibus autem gradus penarum constituit edictum divi Adriani, ut scilicet qui ad tempus relegatus est, si ante tempus vel interdictis abstinuerit, in insulam perpetuo relegetur. Qui vero relegatus in insulam, excesserit insulam, deportetur; qui deportatus evaserit, capite puniatur: nam continuatio eorum cumulat penam.

Qui autem in opus publicum ad tempus dampnatus refugit, duplicato tempore dampnari solet. Sed duplum id tempus oportet quod ei supererit. Si tamen in X. annos dampnatus ante tempus refugit, non duplicari ei pena sed perpetuari debet, aut in opus metallicum transvehi; quia quotiens X. excessura est duplicatio, non est artanda tempore pena.

Corporis continent fustium amonitio et flagellorum castigatio.

Damnum cum infamia continetur, veluti cum accusator IIII. parte bonorum mulctatur et infamis efflcitur eo quod criminalem causam intra biennium persequi supersedit.

Dignitatis deponere cum gradu militie quis pellitur eo quod aliena arma subripuerit.

Actus prohibitionem continet si advocationibus interdicatur vel ne apud tribunal presidis postulet; neve ad conditionem eorum qui publice locuntur accedat, si nunquam in foro civiliter dicitur. Ille enim tam foro quam advocationibus interdicitur.

Iste sunt fere pene que iniungi solent; sed sciendum est discrimina esse penarum: neque enim omnes eadem pena afflci potest. Nam in primis decuriones vel filii eorum in metallum vel in opus metalli dampnari non potest, vel furce subici, vel exuri vel fustibus cedi, quia omnes fustibus cedi solent. Sed hii dumtaxat qui tenuiores sunt, honestiores vero puberibus non afficiuntur. Item milites in metallum aut in opus metalli non dampnantur.

Semper cum pena iniungitur est inspiciendum consulto quis deliquerit an casu, quia in omnibus hec distinctio aut penam iustam debet eligere aut temperamentum adhibere. Item delinquunt homines, aut proposito aut impetu aut casu. Proposito vero latrones, impetu cum qui aut telum ad manus ferrum aut aliud inveniamus. Casu, cum in c. 80, b.
venando telum in feram missum, hominem interficimus. In delictis quoque aut facta puniuntur, ut furta et cedes; aut dicta ut convitia; aut scripta ut famosi libelli; aut consilia in coniuratione. Sed hec IIII. genera VII. modis considerantur: causa, persona, loco vel pene qualitate quantitate.

Causa ut in verberibus que impunita sunt a magistro illata, vel parente, que puniuntur cum per iram ab extraneo quis pulsatur.

Persona dupliciter spectatur; eius qui fecit et eius qui passus est. Aliter enim puniuntur ex hisdem facinoribus servi quam liberi et aliter, qui in dominum parentemve ausus est quamqui in estraneum.

Aliter qui in magistratum quam qui in privatum.

Locus spectatur eo quod locus facit ut idem vel furtum vel sacrilegium sit. Tempus consideratur per quod discernitur fur diurnus a nocturno; quia aliter fur nocturnus, ut in ff. de furtis., l. balneariis.

Cum qualitate factum vel atrocius vel levis, ut furca manifesta nec manifestos discerni solent.

Quantitas spectatur eo quod distinguitur furem abigeo; nam qui unum subripuit, ut fur tenetur, qui vero gregem; ut abiges.

Eventus spectatur hoc modo ut si quis delinquere voluit non ideo tamen punitur nisi ad effectum perduxit; ut facta ad eventum solum puniuntur, quamquam lex Cornelia non minus eum puniat qui occidendi hominis causa cum telo ambulaverit quam eum qui occideret.

XXXX. Ne sine iussu principis liceat certio iudicibus confiscare.

Dictum est supra de penis delinquentium, sed quia c. 87, a.
post penam sequitur bonorum confiscatio, videamus de bonis proscriptorum seu dampnatorum. Sed quia iniussu principis iudicibus bona confiscare non licet, idcirco apponit titulum « ne sine iussu etc. » Nulli iudicum licet auctoritate sue administrationis aliquem totius sustantie potestate percellere, nisi primo hoc ad imperiales retulit aures, exceptis his qui summa potestate administrationis sunt decorati, ut illustres, qualis est prefectus pretorio et alii similes.

Source : BIU Cujas

XXXXI. De bonis proscriptorum seudampnatorum.

Reffert condempnetur servus an liber, et si liber, utrum ex negotio an ex delicto. Nam si servus capitaliter condempnetur, pecculium domino auferri non debet, immo quod servum habuisse probaverit recipiet et eius differtur suplitium, donec domino administratorum rationem reddat, dum tamen id velotius fiat ut servus penam patiatur quam meruit. Idem et in filiofamilias milite dicitur. Si liber ex delicto condempnetur, auferuntur ei omnia bona que antea habebat; posteave quesierit. Si vero ex contractu postea quesita non publicantur et eatenus publicati condempnantur bona, ut si indulgentia principali liberetur a pena, non tamen ei restituatur nisi per omnia in integrum restitutus fuerit. Notandum quod iudicati bona cum sua causa suoque honere ad fiscum traseunt, ut satisfatiat pupillis et aliis quibus confiscatus obnoxius fuerat. Et non solum bona maris publicantur sed etiam femine, sed cum femina deportatur filiis nichil de bonis matris debetur, quia non sic debentur bona matris filiis, sicut et patris. Verum cum cetera bona femine publicentur, dos tamen excipitur, nisi in V. casibus, ut in crimine maiestatis, vis publice, parricidii, venefitii, de siccariis. In his enim casibus dos publicatur, omni iure marito salvo contra fiscum. Sed cum maritus stilum proscriptionis excipiat, manu mox iniecta uxor dotem vendicabit non inanem et simulatam sed veram a se datam, et ceteras res proprias occupatas statim recipiet; et non solum dotem, sed etiam donationem quam ab innoxio adhuc marito accepit; apud eam firmiter residebit. Si quid etiam in emancipatos liberos ante tempus criminis ac reatus contulerit, sine omni inquietudine reserventur. Si condempnatus liberos habet, dimidia pars substantie liberis adiciatur, alia dimidia fisco aplicatur. Sed si cuius alias crimen increverit, siquidem filios habet, eis nichil detrahitur; sed si filias, dumtaxat filiabus facultatum dimidia competit, altera dimidia ad curiam devolvitur. Sed si nemo predictorum supersit, fiscus succedet. In maiestatis vero crimine antiqua iura fixa perseverant. Sed hodie his distinctionibus omissis ascendentes et discendentes condempnato usque ad tertium gradum succedunt, et uxori dos et ante nuptias donatio reservatur. Si vero sit sine dote, partem a legibus definitam accipiet.

XXXXII. De bonis mortem sibi conciscentium. c. 87. b.

Quid iuris sit super bonis proscriptorum seu dampnatorum est dictum; nunc quid sit observandum super bonis mortem sibi consciscentium videndum est. Cum quis mortem sibi conscivit, si quidem hoc fecit quum suplitium voluntaria morte prevenire voluit, fiscus succedet, dummodo delictum unde accusabatur tale fuerit cuius nomine capitaliter erat dampnandus; nam si de modico furto reus postulabatur, eius patrimonium non confiscatur; ergo tunc demum eius bona fisco debent aplicari, qui sibi manus intulit, si eo crimine nexus fuit ut si convinceretur bonis careret. Si quis ergo tedio vite vel doloris impatientia vel pudore heris alieni, vel quod diceretur filium suum occidisse, mortem sibi intulit, filiis bona non auferuntur. Et si queratur de eo qui sibi manus intulit et non perpetravit, an debeat puniri, quasi de se sententiam tulerit, omnimodo puniendus est; qui enim sibi non pepercit multo minus alii parcet, vel iactatione quasi mortem contempnere videatur ut quidam philosophi fatiunt. Sed si quis in reatu, nulla iusta causa precedente, mortem sibi intulisse dicatur, si parati fuerint heredes causam suscipere et innocentem defunctum hostendere, audiendi sunt nec bona eorum debent publicari nisi de crimine potuerit probari. Hec omnia vera sunt, iure antiquo inspecto, sed moderno id optinet quod supradiximus.

XXXXIII. De sententiam passis et restitutis.

Quum sententiam passi et restituti principali indulgentia restituantur, de sententiam passis et restitutis dicamus. Cum quis restituitur in integrum, in omnibus honoribus et ordini suo omnia bona sua recuperat et per hoc debitores suos convenient et creditoribus obligatus remanet, iusque patrie potestatis habet ne luctuosior sit reditus quam discessus; si ante sententiam, eius verum filii subditi fuerant; sed cum simplex intervenit restitutio, sed non in integrum, ea dumtaxat redditum exulibus seu deportatis tribuit, non etiam integram atque illibatam extimationem conservat. Simplex enim indulgentia quos liberat notat; nec infamiam criminis tollit, sed pene gratiam facit.

Source : BIU Cujas

QUAESTIONES DOMINORUM BONONIENSIUM

(Ex codice manuscripto bibliotecae nationalis parisiensis, N. 4603)

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas



I.

MANDAVI procuratori ut fundum venderet. Qui vendit, sed antequam traderet denuntiavi ne venderet. Ipse nichilominus tradidit, et ego vendidi alii et tradidi. Queritur quis potior sit, utrum qui emit a procuratore an qui emit a domino. Bulgarus: Qui emit a domino est potior, si denuntiavit dominus procuratori ante pretii solutionem. Rei vindicatio locum habet. Sed dissentiunt Bulgarus et Martinus.

II.

Quidam collocavit filiam suam in matrimonio filiofamilias et dotem promisit patri, et dimidium patri, dimidium filio solvit. Unde pater iratus expulit filium cum uxore. Qui filius super dimidio dotis multa lucratus est· Nunc vult frater cogere eum communicare. Queritur si possit. Bulgarus: Potest accione familie herciscunde.

III.

Quidam volens fraudare filios legitima passus est se venire ad pretium partecipandum ignoranti. Filii petunt omnia et ipsum eripere in libertatem. Queritur si possunt. Bulgarus: Possunt petitione hereditatis.

IIII.

Misi Titio vinum in cypho argenteo. Qui vinum bibit et cyphum dedit custodiendum clienti suo. Amissus est cyphus. Queritur si dominus cyphi possit agere. Bulgarus: Si dedit tali clienti custodiendum quem facile decipere non sit credibile, non tenetur. Actio commodati proponitur.

V.

Possedi rem alienam bona fide. Ante impletam usucapionem scivi alienam. Tunc feci testamentum et iussi ut res redderetur, postea convalui et impleta est usucapio. Nunc ipse cuius fuit vult petere. Queritur si possit. Bulgarus: Non. Rei vendicatio proponitur.

VI.

Accepi mutuam peccuniam dato pignore et convenit ut nisi redderem ad diem propositam, tunc esset ei empta pro illa peccunia quam accepi. Sciebam tale pactum non valere. Renunciavi legi que prohibet legem commissoriam in pignore et iuravi ita tenere firmam conventionem. Die veniente non reddidi peccuniam. Nunc volo petere pignus. Bulgarus: Si volo deierare, petere possum accione pignoratitia.

VII.

Mulier viro dotem dedit. Qui vir predia alii obligavit, uxore presente et consentiente. Vir ad inopiam deductus est. Uxor vult petere predium cum esset ei tacite obligatum. Queritur si possit. Bulgarus: Si scivit ius suum utique durare, non sibi preiudicavit; sed si nescivit et consensit viro alienanti, preiudicavit sibi. Si obligatur, non sibi preiudicavit.

VIII.

Queritur si sacramentum calumpnie prestetur tam in criminalibus quam incivilibus causis. Bulgarus: Sic ut C.

Source : BIU Cujas

de iureiurando propter calumniam., l. in omnibus. (1), et C. de fide instrumentorum., l. ult.

VIIII.

c. 101, b. Credidi tibi peccuniam sciens se daturum scorto. Non dedisti scorto, sed emisti rem pernecessariam. Volo petere a te pecuniam. Queritur si possim. Bulgarus: Possum certi condictione.

X.

Prescripsi predium tuum per XXV. annos. Contulisti te ad ecclesiam, et cum esses in ecclesia possedi per V. annos. Nunc ecclesia vult vendicare. Queritur si possit. Jacobus: Potest. Bulgarus: Idem.

XI.

Quidam vi abstulit castrum cuidam. Deinde alii dedit, et ab eo pro feudo accepit idem castrum et hominium ei fecit, idest fidelitatem. Qui iuravit quod nunquam castrum auferret vassallo suo. Qui vassallus cum vellet vendere castrum inimicis domini, dominus ei abstulit. Postea cum dominus iret cum suo milite, iste vassallus dominum fugavit, et militem vulneravit, et equum et arma ei abstulit. Queritur si amisit ius suum. Bulgarus: Sic. Hic proponitur interdictum unde vi.

XII.

Commodavi equum Titio usque ad certum locum. Qui cum equitaret vidit me fortiter pugnantem cum inimicis meis et clamantem omnes amicos meos ut me adiuvarent. Qui Titius ad pugnam venit et me nimium adiuvit et equum amisit. Ego volo agere commodati. Queritur si possim. Bulgarus: Possum. Hic apponitur accio commodati.

XIII.

Titius amore virginis captus rogavit uxorem Lutii ut virginem quam diligebat sibi inveniret. Que dixit: Veni infero et eam habebis. Tunc Titius sero facto venit et uxor Lutii in locum virginis se supposuit et tota nocte cum ea dormivit. Titius putans esse virginem quam diligebat, secum concubuit et interim captus est a viro eius cum qua dormiebat. Queritur si possit accusari de adulterio vel de incesto. Bulgarus: Potest accusari de incesto, non de adulterio.

XIIII.

Mandavi Titio ut oves de pascuo furaretur ut comederemus ego et ipse. Qui oves meas furatus est ignorans meas esse, et occidit eas, et comedimus eas ego et ipse. Postea reperi meas fore. Volo agere adversus eum. Queritur si possim. Bulgarus: Non.

XV.

Dedi tibi fundum in emphiteosim et mihi unoquoque anno pensionem solvebas. Postea vendidisti alii ut mihi pensionem solveret et mortuus es. Heres tuus mihi pensionem solvit per XXX. annos, postea comperit se non habere fundum pro quo solvebat. Modo non vult solvere, sed quas pensiones prestitit ut indebitas vult repetere. Queritur si possim agere adversus heredem tuum ut de cetero mihi solvat, vel adversus emptorem. Bulgarus ait non posse agere adversus heredem, sed adversus emptorem. Hic proponitur condictio ex lege.

XVI.

Quidam instituit duos filios equaliter ex fundo emphiteotico tali pacto ne alienarent nisi inter se, non habita mentione nepotum. Unde filius postea decessit relictis duobus filiis. Qui filii vendiderunt dimidium partis alii. Alter filius vendidit totam suam partem extraneo. Nunc nepotes volunt rescindere venditionem. Queritur si possint. Bulgarus: Non. Hic apponitur utilis accio. c. 102, a.

XVII.

Quidam promisit michi X., et si non daret infra certum diem, promisit nomine pene XX. Mortuus est, relictis duobus heredibus. Unus ex heredibus ante diem partem suam solvit. Queritur si pena peti possit ab eo qui solvit. Bulgarus: Non.

XVIII.

Dedi librum meum pignori creditori et dixi ut librum venderet et solveret sibi et aliis creditoribus. Qui vendidit librum et non vult solvere aliis creditoribus. Nunc creditores volunt istum creditorem convenire ut solvat. Queritur si possint. Bulgarus respondit posse.

XVIIII.

Titius filius familias dixit patri suo: Da mihi portionem meam que me contingit. Et sic pater ei dedit. Iste vivendo luxuriose omnia dissipavit. Post multum temporis reversus est ad patrem et diu cum patre et filiis commoratus est. Contingit postea patrem decessisse intestatum. Iste qui omnia sua consumpserat vult venire cum fratribus ad hereditatem. Queritur si possit. Bulgarus: Posse computato eo quod dissipavit.

XX.

Quidam locavit fundum ad tempus, videlicet usque ad quinquennium. Finito quinquennio, creditor fructus per-

(1) *Cod.* moribus.

Source : BIU Cujas

cepit domino ignorante vel nolente. Queritur an furti accione conveniri possit conductor, an condictione sine causa. Bulgarus: Sive intervertat sive non, furti tenetur.

XXI.

Quidam languebat ad mortem dolore intolerabili. Accivit medicum, qui si posset eum liberare, daret sibi C. Qui liberavit eum ex illa infirmitate quam patiebatur. Qui in aliam incidit vel graviorem vel similem. Medicus petit C. quia eum liberavit. Eger excipit quia adhuc infirmatur. Queritur utrum medicus possit petere C. nisi liberaverit eum a secunda infirmitate. Bulgarus: Si eger poterit probare se incidisse in aliam infirmitatem ex medicinis illius, medicus cogitur eum curare. Si non poterit probare, solvat C. Ex locato agitur ad C.

XXII.

Quidam locavit fundum cuidam certa pensione constituta per XXX. annos, vel per XL. Solvit iste conductor. Secundus locator vult accipere fundum. Primus locator excipit dicens: Istum conductorem nomine meo possidere non suo. Queritur utrum ipse secundus locator possit se tueri exceptione XXX. vel XL. annorum, an ipse primus locator habeat accionem in rem. Bulgarus: Non habet exceptionem.

XXIII.

Duo fratres habebant predium ab ecclesia in emphiteosin. Cum unus esset Romam iturus alterum dimisit. Qui totam pensionem solvit. Ille qui erat Rome omnia bona sua socio dedit et per procuratorem quem socio suo dedit missus est in possessionem ille socius. Frater vero qui domi remansit se et sua ecclesie dedit. Eo mortuo expulit ecclesia eum quem alter frater miserat in possessionem per procuratorem. Queritur si iste expulsus possit agere, vel si ecclesia cecidit de iure suo. Videamus. Expulsus proponit contra ecclesiam conditionem ex illa
c. 102, b. lege: *Si quis in tantam*, vel interdictum unde vi. Bulgarus: ecclesia omnino possessionem restituere debet sine pena. Postea de proprietate litiget propter primum yconomum non exclusum.

XXIIII.

Cum rex per Italiam ducere vellet exercitum, suis tale privilegium dedit ut quecunque raperent eorum essent. Tunc unusquisque ex militibus regis rapuit. Boves meos vendidit Titio ementi bona fide. Qui Titius boves meos occidit et carnes per frusta vendidit. Nunc ego volo agere adversus Titium pro pretio quod accepit ex bubus meis. Queritur si possit. Bulgarus ait posse negotiorum gestorum actione utili de precio. Ex bubus directa rei vindicatio intentatur contra militem vel contra alium.

XXV.

Manumisi ancillam meam pregnantem tali pacto ut partus remaneret servus. Partus editus est. Nunc volo vendicare partum. Queritur si possim. Bulgarus dicit non. Hic apponitur rei vindicatio.

XXVI.

Titius advena, cum in civitate morari vellet Mevii patrocinium quesivit, et singulis annis certum salarium, scilicet libram piperis, dare promisit. Mevius cum trans mare vellet ire, omnia que habebat distraxit Seio. Seius (1) contra Titium (2) agit accione in factum ad salarium vel certi condictione. Reus obtinet.

XXVII.

Quidam bovem subripuit et bone fidei empori vendidit. Emptor autem bovem interfecit. Dominus agit contra eum actione negotiorum gestorum et rei vendicatione ad corium et certi condictione ad precium persequendum. Pro reo data est sententia.

XXVIII.

Gaius cum Mediolani esset, et pecuniam uxori sue mittere vellet, Seium vicinum invenit et predictam pecuniam sibi Cremonam laturo dedit. Hic autem Cremonam festinans, est in itinere detentus et, ipsam pecuniam cuidam amico suo tradidit ut Cremonam perferret. Sed hic a latronibus captus omnia perdidit. Gaius agit adversus Seium accione mandati. Reus absolvitur.

XXVIIII.

Cum tres socii pariter hospitium conducerent, unus ex eis alium socium noviter de sua terra venientem pro more suscepit. Sociis hesitantibus de hoc homine hic etiam bona fide eum commodavit et laudavit: nichilominus tamen alter ex illis dubitans secessit et res suas secum portavit. Iste vero qui de novo venerat, nocte surrexit et omnia bona reliqui socii subripuit. Convenitur socius qui eum adduxit accione in factum ad instar caupone. Absolvitur reus.

XXX.

Ticius obligat pignus Seio. Postea Seius idem pignus obligavit Sticho. Titius, debito soluto Seio, vendicat pignus a Sticho. Reus condempnatur.

---

(1) *Cod.* Titius.
(2) *Cod.* Seium.

Source : BIU Cujas

XXXI.

Conductor rem locatam pignori dedit bone fidei creditori. Dominus rei alium heredem instituit, qui ante adi-
c. 103, a. tam hereditatem eam vendidit et de turri ei ostendens misit eum in possessionem. Modo queritur quis horum est potior in detinenda possessione, creditor scilicet vel emptor qui accione in factum tuetur sibi possessionem reddita loco interdicti uti possidetis. Dicendum est creditorem possidere, emptorem autem minime; non enim heres fecit eum possessorem, quamvis de turre ostenderit et iste animum apprehendendi habuerit. Et hoc ideo, quia heres eam non habebat nec ea possessio vacua erat: in hoc enim casu illa lex que ex oculorum inspectione, possessionem aliquam constituit loquitur.

XXXII.

Datus est Titius curator in testamento, et non est postea comfirmatus. Et sic cepit amministrare negocia puberis. Qui dum amministraret, a quodam legitimo curatore puberis commonitus est ne amplius amministraret quoniam inutiliter datus est curator in testamento. Quod Titius cognoscens cum primum datum se utiliter putaret, cessit legitimo amministrationem, necessariis non ammonitis ut curatorem puberi peterent. Qui legitimus cessa sibi amministratione cepit negocia gerere. Eo postea ad inopiam devoluto, pubes vult Titium convenire accione negotiorum gestorum de his que gerere debuit quasi in subsidium, cum non potest propinquum convenire propter inopiam.

XXXIII.

Titius cum adhuc impubes esset filiam Seii desponsavit et duxit eam filiam in suam domum, accepta etiam dote. Et dum filia Seii sic in domo Titii maneret, contraxit matrimonium cum alio impubere, qui etiam eam duxit et secum coiit non facta renunciatione secundum quod leges percipiunt. Modo ista querit dotem Titio, vel eius patri. Videbimus si repetere possit. Ugo: Si secundus possit eam iuste retinere, actor proponit condictionem sine causa vel rei vendicationem. Bulgarus secundum leges fori condempnat eam ut redeat ad priorem.

XXXIIII.

Quidam dedit filio suo familias XXX. libras causa emendorum librorum, et habuit alios filios. Pater intestatus diem suum obiit. Alii fratres hunc cui data est peccuniam convenire volunt ut conferat peccuniam. Ille vult se tueri quasi donationem morte confirmatam. Iacobus ad collationem venire dicit, si non potest probare filius castrense peculium ei constituisse.

XXXV.

Quidam construxit sibi molendinum in flumine publico et possedit illud sine controversia et lite mota post XXX. annorum spatium. Deinceps alter quidam edificavit prope illud aliud molendinum quo et obstruit cursum eius prioris. Et ita peior conditio prioris per secundum efficitur. Queritur an prior constituens habeat interdictum. Bulgarus: Habet. Ugo: Negatoriam accionem et potest eum prohibere per interdictum quod vi aut clam.

XXXVI.

Mandavi Titio ut emeret mihi equum pro X. libris, scilicet dextrarium. Qui ivit ad Seium. Qui Seius habebat dextrarium et palafredum venales. Iuraverat tamen quod unum sine altero dare non debebat. Titius nolebat emere nisi dextrarium, verumtamen Seius utrumque pro X. libris Titio tradidit. Titius tradidit mihi dextrarium. Ego etiam petii palafredum. Queritur si possit. Bulgarus: Pos- c. 103, b.
sum accione mandati, quia nichil remanere debet apud mandatarium.

XXXVII.

Locavi fundum tibi et tu dedisti eundem genero tuo in dotem, et idem ab eo reconduxisti et utrique integras per XXX. annos pensiones solvisti. Questionis est utrum a possidente te fundum petere possim. Bulgarus, Iacobus: Potest.

XXXVIII.

Ego volens ire in expeditionem, rogavi te habentem equum venalem, ut eum michi venderes: Tu vendidisti et tradidisti, et his verbis usus fuisti: Vendo tibi et trado hunc equum uti optimus maximusque est. Ego confidens in his verbis ivi ad bellum. Equus retrogradus est inventus. Fui captus et omnia mea amisi. Nunc volo te convenire ex empto. Queritur si possim. Bulgarus: Non possum.

XXXVIIII.

Ego vendidi tibi codicem meum et tradidi; tuque duxisti tecum feminam capillos succintam que pro te fideiussit apud me. Queritur si feminam quam credidi masculum fore accione convenire possim. Bulgarus: Possum.

XXXX.

Duo fuerunt coheredes, quorum alter erogavit in nuptiis de bonis communibus. Modo ita contingit quod volunt dictare inter se iudicium familie herciscunde. Vult deducere de bonis communibus tantum quantum alter expendit. Queritur si possit. Iacobus: Non potest, quia videtur velle donare.

Source : BIU Cujas

XXXXI.

Legavit testator hominem in genere Titio. Queritur utrius sit electio, an legatarii an heredis. Bulgarus: Heredis, quia si illam rem promiseris tua est electio.

XXXXII.

Quidam paterf amilias morte ambitus functus divisit duobus filiis (1) bona sua et domum unam solariatam pater ipse familias divisit eis, ita ut alter habet partem inferiorem, alter autem filiorum superiorem. Nunc utique non potest iri ad superiorem domum nisi per inferiorem sit aditus, ut tempore patris esse solebat. Queritur si per inferiorem partem suam debeat alter filius prestare ei aditum, et queritur an divisio patris valeat. Bulgarus: Non valet divisio. Idem Bulgarus: Non prestat aditum.

XXXXIII.

Quidam suscepit mea bona me presente, per annum me absente iusta et necessaria causa, itemque per annum me presente, et impleta videtur usucapio per triennium. Queritur an debeam in integrum restitui et queritur an arbiter possit dare minoribus in integrum restitutionem. Bulgarus: Arbiter non potest restituere tempus absentie. Et modicum illud tempus presentie in quo conducit hospitia non debere computari dicit.

XXXXIIII.

Quidam mutuavit pecuniam alteri et accepit a debitore predium in pignus pro pecunia, sed de usuris nichil expressit; sed tali conventione ut predium coleret et fructus perciperet. Et inde ille sic colere fecit et fructus percepit per aliquot annos ultra quam erant usure debite que currebant
c. 104, a. de more illius regionis. Denique debitor solvit peccuniam et recepit predium. Vult fructus computari in sortem et fundum vendicare. Creditor vult in usuras computare. Queritur an debitor possit petere fundum quasi soluto debito. Iacobus: Non potest creditor computare fructus in usuras.

XXXXV.

Duo fratres post pubertatem simul tenuerunt omnia communia bona hereditatis per XXXV. annos. Vult alter dictare iudicium familie herciscunde. Queritur an possit. Bulgarus: Non potest.

XXXXVI.

Pater et filius simul in bello mortui sunt. Cognati patris eius ab intestato hereditatem petunt. Mater illius filii sibi competere allegat per filii successionem. Dicit enim patrem prius obisse, quum verisimile est prius decessisse. Queritur. Bulgarus: Robustior supervixisse videtur, quare (1) si filius fuit impubes prius obisse creditur.

(1) *Cod. om.* filiis.

XXXXVII.

Seia a fratris sui filio alterius fratris pupilli hereditatem ab intestato petit. Cui opponitur patrem communem testamentum fecisse quo puberem filium et eius prolem pupillo substituisset. Queritur an possit probare testamentum quinque testibus. Bulgarus: Potest quia quelibet voluntas valet inter liberos.

XXXXVIII.

Seia principi vel papae querelam faciens, Titium suum fundum possidere dicit. Princeps vel papa nuncio suo mandavit ut Titium huius querele nomine in ius vocaret. Nuncius mandatum suscepit et principi postea renunciavit Titium in ius vocasse. In questione est an nuncius presumatur Titium convenisse et interruptionem factam esse, aut si non sit interruptio, debeat ei dari restitutio. Iacobus interruptionem factam esse dicit. Martinus eum posse restitui dicit per illam l. ff. quibus causis in integrum restituuntur., l. sed etsi., § ait Pretor.

XXXXVIIII.

Titius erat debitor Mevii. Sed cum ei nollet solvere Mevius, invenit vicinum Titii et ei boves abstulit pro Titio. Vicinus Titii decisit cum Mevio et solvit id quod Titius debebat. Nunc queritur si possit agere vicinus Titii adversus eum negotiorum gestorum accione. Iacobus: Potest si animum gerendi negotium eius habuit. Bulgarus: Ait non posse. Hic proponitur rei vindicatio, ut ff. de manumissis testamento., l. imperatores.

L.

Debitor meus solvit mihi pecuniam quam eligere fecit meo arbitrio. Postea reperi pecuniam esse falsam. Nunc volo agere adversus debitorem meum ut solvat optimam pecuniam. Queritur si possim. Bulgarus: Possum.

LI.

Ticius cum esset in vinculis promisit mihi X. si eum liberarem. Ego nocte quadam vincula dissolvi et liberatus est. Hoc audito a populo quod liberassem Titium, populus venit ad fratrem meum qui habebat domum communem mecum et dimidium illius domus nomine meo destruxit.

(1) *Cod.* quia.

Source : BIU Cujas

c. 104, b. Ego volo agere adversus fratrem meum pro dimidia parte domus que remansit. Bulgarus: De iure stricto potest, sed de equitate non potest.

Volo agere adversus Titium quem liberavi a vinculis ut prestet X. que promisit. Bulgarus: Non potest quia turpitudo versatur ex parte petentis.

LII.

Titius instituit duos heredes. Unus vivebat, alter non. Ei qui non vivebat, cum ignorabat utrum viveret substituit. Substitutus vult in partem admitti. Hic proponitur accio ex testamento. Bulgarus: admittitur in partem dimidiam substitutus iste.

LIII.

Filiusfamilias minor accepit mutuam pecuniam contra Senatusconsultum Macedonianum; postea solvit. Queritur si ipse minor possit repetere per in integrum restitutionem, vel si pater eius possit repetere. Bulgarus: Potest per in integrum restitutionem datam si suo nomine solvit.

LIIII.

Item queritur: Quidam paterfamilias intravit monasterium et cum ibi esset, filius eius fecit testamentum et reliquit patri suo Falcidiam et mihi reliqua iure institutionis. Nunc egressus est ille pater de monasterio et possidet omnia bona filii sui. Ego volo agere adversus eum hereditatis petitione. Queritur si possim.

LV.

Titius emit predia a minore sine decreto quod predium minor possidebat suo nomine et corpore coloni. Sed antequam minor traderet, invenit colonum cuius corpore possidebat et dixit ei: Vendidi predium Titio; ideo oportebit te predium tenere nomine Titii. Qui colonus dixit Titio: Ego possideo nomine tuo. Et Titius tunc misit colonum in possessionem predii suo nomine. Minor postea vendidit et tradidit alii adhuc minor. Titius vult petere predium ab illo cui minor vendidit et tradidit. Queritur si possit. Bulgarus: Potest. Hic apponitur accio in factum reddita loco interdicti uti possidetis.

LVI.

Duo fratres diviserunt inter se omnia bona. Qui habebant equum furtivum, et datus est equus ille furtivus in fratrem ea conditione, ut si auferretur ei, alter frater redderet ei tantum quantum valeret equus iste furtivus. Postea ille frater qui habebat equum furtivum permutavit hunc equum furtivum cum fratre suo, cum dominus vi equum abstulit. Nunc queritur si iste frater possit agere adversus fratrem suum cui promisit de evictione. Bulgarus: Non. Hic proponitur accio prescriptis verbis.

LVII.

Quidam habens filiam et duos filios, unum maiorem, alterum impuberem omnes equaliter instituit et filium maiorem filio impuberi substituit pupillariter. Contigit quod maior ante impuberem decessit relicto filio. Postea predictus impubes infra pupillarem etatem decessit, et statim filius substituti cepit possidere bona defuncti impuberis. Modo soror impuberis vult petere bona defuncti impuberis vel in solidum vel pro parte. Queritur an filius substituti possit se tueri ex pretextu quod succedit substituto. c. 105. d.

LVIII.

Quoddam monasterium possedit fundos cuiusdam ecclesie per XX. annos. Ecclesia conquesta est Apostolico sine scriptis. Apostolicus per executorem suum proabbatem illius monasterii vocavit ut ille responsurus veniret. Ille abbas contumax venire noluit et sic possedit per XX. annos. Nunc ecclesia vult vendicare fundos. Queritur si possit. Bulgarus: Non, quia sine scriptis conquesta fuit.

LVIIII.

Quidam cum haberet equum venalem instituit procuratorem ut venderet. Qui vendidit equum. Sed emptor cum non haberet nummos, dedit procuratori pignus pro pretio. Qui procurator fugit cum pignore. Nunc dominus equi vult agere adversus procuratorem pro pretio. Queritur si possit agere ita, quod pignoris precium non compensetur. Bulgarus ait: Potest agere pro pretio equi sed pignoris pretium compensatur. Hic apponitur accio utilis ex vendito.

LX.

Titius dedit agrum suum colendum Seio hoc pacto, ut unoquoque anno certam modiationem frumenti acciperet metiendo, scilicet mensura bononiensi. Postea vero Bononienses mensuram diminuerunt, et penam etiam statuerunt si quis de cetero alia mensura metiretur. Queritur an Titius possit petere modiationem constitutam, metiendam scilicet mensura prestita, et si petierit, an incidat in penam a talibus constitutam. Bulgarus: ait pro actore iudicandum. Hic apponitur accio ex locato.

LXI.

Locavi tibi aream tali lege, ut domum ibi edificares in qua me reciperes. Sic domum edificasti, per plures annos me recepisti. Fortuito casu domus est combusta. Modo volo ut edifices et ibi recipias me. Queritur si possim te cogere ut edifices. Bulgarus: Possum. Hic apponitur accio ex locato.

Source : BIU Cujas

LXII.

Locavi equum Titio usque ad Renum; postea mandavi ei ut daret equum Mevio. Qui Mevius erat iturus a Reno usque ad alium locum. Mevius iste stipulatus est a Titio equum sibi dari a Reno antea, et si non daret Titius equum, promisit penam. Postea ego revocavi mandatum, scilicet dixi Titio ne daret equum Mevio, quia timui ne Mevius amitteret equum incursu latronum. Modo queritur an Mevius possit petere penam a Ticio, qui promiserat equum dare vel penam, si non daret equum. Bulgarus: Pena non potest peti. Hic apponitur certi condictio.

LXIII.

Emi equum bona fide. Interim comperio esse furtivum. Reddidi ei equum qui mihi vendiderat ideo, ne apud me inveniretur. Nunc dominus equi vult me convenire et furti et rei vendicatione, et ad exhibendum. Queritur si possit. Bulgarus: Accio furti non habet hic locuum, sed rei vendicatio locum habet.

LXIIII.

Accepi mutuam pecuniam et solvi non reddita mihi cautione. Postea creditor vult agere adversus me. Et egit
c. 105, b. et optinuit, cum non potuissem probare me solvisse. Nunc reperi instrumenta quibus possum probare me solvisse. Queritur si possim repetere quod indebitum dedi. Bulgarus: non repeto condictione indebiti, sed sine causa. Hic proponitur condictio indebiti vel sine causa.

LXV.

Volebam emere dextrarium. Mandavi procuratori meo ut emeret. Qui ivit ad Lutium habentem equum venalem vel dextrarium, et accepit dextrarium ut mihi ostenderet. Ego cognovi dextrarium meum esse quem olim amiseram. Nolo reddere procuratori, neque illi qui ei dedit. Queritur si procurator vel ille qui ei dedit possit me convenire. Bulgarus: Ille qui dedit procuratori potest me convenire condictione sine causa.

LXVI.

Queritur an qui novit furem cogatur indicare.

LXVII.

Quidam curator in testamento patris datus est. Qui cum crederet se posse dari amministravit. Postea comperto errore legitimo concessit. Qui factus est non solvendo. Queritur si possit conveniri de gerendis. Actor his utitur. Reus: Hoc verum est de protutele accione, sed accione negotiorum gestorum non tenetur quis nisi de gestis, quia sufficit si cui vel in paucis amici laboribus consulatur. Bulgarus: Debuit denunciare Pretori; alioquin tenetur.

LXVIII.

Titius emit equum a Seio et precium solvit. Sed cum haberet necesse ad nundinas proficisci, equum non recepit. Interim equum Seius alii vendidit et apud secundum emptorem naturali interitu mortuus est. Nunc Titius agit adversus Seium ex empto.

LXVIIII.

Persuasione et dolo Titii, alias non venditurus, fundum vendidi Seio bona fide ementi; minus tamen iusto pretio habui, sed plus dimidio vendidi. Queritur si contra enum aliquam accionem habere possim. Bulgarus: Reus optinet.

LXX.

Quidam conduxit equum et omne periculum in se suscepit. Queritur si talis pactio valeat. Bulgarus: Non valet. Martinus contra. Item queritur quis culpam probare debeat. Bulgarus: Conductorem non tantum perdidisse, verum sine dolo et culpa perdidisse probare dici debet.

LXXI.

Ticius cum molendinum haberet clausuram fecit ut molendinus moleret. Sed ex illa clausura in fundum Gaii aqua restagnabat. Unde Gaius adversus Titium agit denunciando ut clausuram tolleret. Gaius opus factum destruxit. Titius agit adversus Gaium interdicto quod vi aut clam. Actor obtinet.

LXXII.

Quidam invitaturus amicos ad cenam ab alio cuppam commodato accepit. Mane optulit ut eam commodatarius acciperet. Respondit ut commodatarius ad domum afferret. Commodatarius per servum suum ad domum eius remisit et cum servus in domum nullum inveniret, ibi demisit. Et sic sublata est cuppa. Commodator repetit et accionem commodati intendit.

LXXIII.

Quidam testamento filium preteriens extraneum heredem instituit et decessit supradicto filio tacente. Eius agnati contra scriptum heredem accionem intendunt. Nunc queritur quid iuris sit. Petitio hereditatis proponitur ex actoris parte. Reus optinet propter legem.

LXXIIII.

Duo patroni libertum habebant. Uni extitit ingratus. Modo queritur si possit in servitutem revocari. Reus optiuit.

LXXV.

Quidam Bononienses, dum debent eligere potestatem rectorem, societatem coierunt ut si quid lucrum ei obveniret, communicaretur. Queritur utrum hec societas sit c. 106, a.

Source : BIU Cujas

honesta, et si aliquis aliquid perceperit utrum ceteris communicaret. Quedam sunt ad faciendum honesta, quedam sunt turpia ad paciscendum, ut C. de pactis., l. ult. Reus optinet quia turpe fuit pactum.

LXXVI.

Cuidam mula surrepta est. Fur eam bona fide ementi vendidit. Dominus mule adversus bona fide emptorem rei vendicationem proponit. Et dum negotium ventilaretur interitu naturali mula periit. Dominus tamen petere non cessat. Reus optinet.

LXXVII.

Quidam C. debebat Titio. Seius cum nullo modo procurator esset, falso nomine procuratoris assumpto, debitorem convenit et falsarum allegationum pretextu coram iudice optinuit, creditore autem solutionem ratam non habente. Debitor cum habeat compertum Titium iniuste et falsis instrumentis extorsisse sententiam, agit adversus. Titium et solutum repetit condictione indebiti proposita. Reus lata pro eo sententia optinuit.

LXXVIII.

Ticius vendidit fundum Mevio pro X. Convenit tamen cum eo ut si Mevius certa die non solveret pecuniam, quod esset in pena quanti fundus esset dupli. Die autem veniente venditor pretium petiit. Emptor noluit solvere. Post XV. dies voluit. Convenerat tamen cum emptore venditor ut partem una die partem alia solveret, sed in prima die in mora fuit. Nunc queritur si possit Titius penam exigere, vel si Mevius potuit moram purgare. Iacobus dicit venditorem non posse petere pecuniam quia videtur id factum in fraude legitimarum usurarum, sed posse petere interesse. Bulgarus pro parte penam esse petendam dicit si non erat persona usuraria. Martinus: Ita demum si litem contestatus est venditor de pretio. Ugo: Petere posse, aut non, si non interfuit venditoris.

LXXVIIII.

Titius Mevium in vinculis posuit. Qui omne ius sibi competens dimisit ut eum dimitteret. Quid iuris sit queritur. Bulgarus: Titium teneri ait vel de dolo, vel quod metus causa.

LXXX.

Titius donavit nepotibus suis omnia bona sua usufructo retento. Quidam eorum impetraverunt a Principe ut liceret eis possidere iure dominii omnia predicta bona et ut avie sue alimenta prestarent. Reliqui nepotes ab alio Principe idem rescriptum impetraverunt. Queritur si priores nepotes qui rescriptum impetraverunt possint agere adversus posteriores qui de possessione priores deiecerant. Iacobus: Si priores simpliciter impetraverunt ut liceret eis possidere et vi a posterioribus deiecti sunt, potiores esse; si vero specialiter ut vi liceret eis deicere impetraverint, et postea posteriores vi deiecerunt, posteriores esse potiores, quia in pari sunt delicto.

LXXXI.

Pomponius et Modestimus invicem sibi pelles accomodaverunt. Qui Pomponius pelles ipsas furto amisit. Queritur quis contractus, cuius periculum, que culpa et a quo probatio prestanda est, utrum ille qui amisit probare debeat sine dolo et culpa sua amisisse, an ille qui dicit.

LXXXII.

Ferrarienses cum vellent civitatem munire, collectam fecerunt et iuraverunt quod unusquisque pro toto patrimonio suo daret collectam quamdam. Postea unus ex his cum haberet patrimonium Bononie et aliud Ferrarie, queritur si debeat pro ambobus. Jacobus dicit non posse eum c. 106, b.
cogi, nisi pro ea quantitate quam habet Ferrarie.

LXXXIII.

Quidam cum accepisset a quodam monasterio fundum in emphiteosin, solvebat ei pensionem. Alii minori ecclesie libellario nomine sicut solebat eundem fundum dedit. Que ecclesia ei pensiones prestabat. Demum maior ecclesia venit adversus minorem ecclesiam interrogans eam per quem possideret. Illa autem vocavit eum qui sibi dederat ut ipsam defenderet. Qui respondit amministratoribus illius ecclesie: Conveniatis cum maiori ecclesia quia meum instrumentum amisi. Et convenit, et eius nomine possidens solvebat ei pensionem. Postea primus emphiteota qui dederat huic minori Ecclesie etiam penam addiderat nisi prestaretur ei pensio. Cui pene adiecte quidam impuberes tunc temporis modo iam senes adesse nolunt. Queritur an possim ut in istrumento continebatur. Decessit. Cuius filius postea venit adversus minorem Ecclesiam et cepit ei petere pensionem ostendens instrumenta que fecit pater cui ecclesia ista solvit per tres aut IIII^or^ annos. Et ita solvebat utrique. Demum cum memorata esset patrem illius renunciasse iuri suo, cepit dicere ammodo se non soluturam, immo quod solverat repetituram quasi per errorem solverit. Ille autem vult petere penam insertam instrumento. Queritur si possit et an maior ecclesia possessionem per illum retinuisset. Bulgarus: Penam peti posse, nec obstare quod dicitur « nulla pena excedit quadruplum » quia verum est in maleficiis, et si pena adiciatur nomine rei. Ceterum si ex conventione, bene excedit quadruplum per legem illam si quis cautionibus l. sed et si quis [1], § ult. Et dicit maiorem ecclesiam per primum

[1] *Cod. capi.*

Source : BIU Cujas

emphiteotam retinuisse possessionem, et minorem ecclesiam maiori debere prestare et soluta per errorem facti repetere. Proponit hic filius condictionem ex lege: C. de iure emphyteotico., l. II., vel ex stipulatione si intercessit, ad penam petendam. Bulgarus: Impuberes tunc temporis testes modo aut senes admisit; nec obstat regula quod ab initio etc. quia in ultimis voluntatibus loquitur; nec obstat etiam si sint de ecclesia ut in sua causa reddant testimonium. Nam et libertus universitatis singulos in ius vocabit, ut ff. de in ius vocando., l. sed si hac., § qui manumittitur.

LXXXIIII.

Quidam ychonomus ychonomo fundum ecclesiasticum distraxit et penam pro evictione promisit. Queritur utrum alienatio teneat vel non teneat, et utrum pena peti possit. Iacobus: Alienationem secundum morem cuiusque provincie servanda esse, et penam, si morem regionis non sequamur, non posse peti quia quod contra legem factum est et id quod sequitur cassum re vera est.

LXXXV.

Quidam instituit duas filias puberes heredes, ita ut que prius sine liberis decederet altera alteri succederet. Quedam omnia bona sua marito dedit et morte confirmavit. Queritur utrum superstes possit iure fideicommissi petere portionem sororis morientis. Iacobus: Posse. Presumitur
c. 107, a. enim a lege testatorem noluisse fidei heredis committere.

LXXXVI.

Pater decessit instituta filiola cuius patrui duo tutores extiterant. Quidam nobilis iuratoriam cautionem prestitit se filio suo eam in matrimonio collacaturum; verum quia predicti tutores sexcenta que in patrimonio puelle erant volebant fenerare cum possent transvehenda mutare, vel idoneis debitoribus in civitate collocare, dicentes se ad tempus matrimonii pecuniam servare, quamvis fenerando possint augmentare, tamen ad id cogi non debere. Queritur utrum de suspecto accusari possint. Solutio [1] dicit non.

LXXXVII.

Quidam debitor solvit creditori suo vel creditoris arbitrio vel alterius. Quia paulo post peccunia reproba reperitur, in questione est utrumne debitor denuo ad solutionem cogatur nummis receptis. Bulgarus: Cogendum debitorem fore.

LXXXVIII.

Item quesitum erat: Si debitor cum solveret nummos alienos creditori, et creditor eos cum suis miscuisset, si dominus nummorum posset vendicare nummos a creditore. Bulgarus: Si creditor miscuisset, vel fortuito casu mixti essent, dominum vendicare posse; sed cum alius, sicut debita dedit creditori et creditor miscuit, dominum a creditore vendicare non posse, sed ab eo qui dedit.

LXXXVIIII.

Minor quidam XXV. annis ad Ecclesiam se contulit. Qui predia sua dedit. Nunc vult revocare. Quaeritur si possit. Bulgarus dicit alienationem non valuisse.

LXXXX.

Commodavi tibi equum ut ad villam ires. Deinde cum per viam incederes, invenisti latrones et amicos tuos pugnantes cum eis et eos iuvisti. Ego qui tibi commodavi, equum occidi. Volo agere commodati. Queritur si possim. Bulgarus: Possum.

LXXXXI.

Quidam paterfamilias intravit monasterium et cum ibi esset filius suus ei Falcidiam, et reliqua reliquit mihi iure institutionis. Nunc egressus est pater de monasterio et possidet omnia bona filii sui. Ego volo agere adversus eum hereditatis petitione. Queritur si possim.

LXXXXII.

Volebam emere codicem. Mandavi procuratori meo ut emeret. Qui ivit ad Titium habentem codicem venalem et accepit codicem ut mihi ostenderet. Ego cognovi meum esse quem amiseram. Accepi eum mea autoritate. Queritur si procurator vel ille qui ei dedit possit me convenire. Bulgarus, Iacobus, Ugo: Ille qui ei procuratori dedit potest me convenire conditione sine causa.

LXXXXIII.

Titius dedit fundum suum in emphiteosin. Postea emphiteota vendidit Seio bona fide ementi. Qui per XXX. annos possedit nec pensionem solvit. Postea dominus fundi c. 107, b.
dixit Seio ut sibi solveret pensionem pro eo fundo quem emerat. Qui pensionem unius anni optulit. Sed Titius noluit accipere illam pensionem illius anni sine pensione preteritorum annorum. Nunc Titius vult vendicare fundum. Queritur si possit. Bulgarus: Non, etiam si pensione accepisset.

LXXXXIIII.

Titius fundum vendiderat et arborem ibi natam excepit et viam ad poma percipienda. Postea arbor vi ventorum corruit excisaque fuit. Demum radix pullulavit et arborem effecit que fructus ut prior perfecit. Queritur cuius sit arbor, vel emptoris vel venditoris. Alia hic formatur questio: utrum debeat dare viam ad arborem. Respondit sic venditor quia dicit legem imposuisse sue rei eam conser-

[1] *Fortasse* Bulgarus.

Source : BIU Cujas

vandam esse, cum unicuique liceat legem sue rei imponere. Item alio argumento arborem suam facit quam radix emiserat, ut si quis superedificaverit supra fundamentum alicuius, illius est superedificatum cuius erat fondamentum. Emptor contra dicit: Lex que non continet impossibilem causam est servanda; sed quia impossibilem causam cogitasti, non est lex illa servanda hac ratione quod quicquid nascitur, quicquid seminatur, quicquid edificatur solo cedit; ergo arbor que ibi nata est solo cedit, nec usumfructum potest habere, veluti mutata specie arboris. Bulgarus: Cum venditor excepit causam impossibilem, nec de solo quod expressim dixerit, non potest petere usumfructum; si excepit, mutare debere.

LXXXXV.

Titius vendidit Seio equum. Queritur utrum precise teneatur ad rem tradendam, necne. Bulgarus, Ugo dicunt quod non tenetur emptor precise ad rem tradendam. Martinus, contra.

LXXXXVI.

Titius volens convivium facere, rogavit Seium quatinus cuppam auream sibi commodaret. Commodavit in mane per serventem suum. Titius eam ad Seium misit. Cum autem cliens domi neminem inveniret posuit eam super scrinium comodatoris, et postea furto surrepta est. Venit Titius et non invenit cuppam. Queritur si possit agere commodati adversus Seium. Bulgarus: Potest, quia negligens fuit dominus clientis.

LXXXVII.

Dedi fundum Titio iure locationis. Titius solvit singulis annis pro eo pensiones, postea dedit eum fundum Titio cum sorore sua in dotem. Qui sororius nescivit fundum ita esse locatum et tenuit eum libere et quiete per multos annos; sed tamen Titius semper annuas pensiones dum vixit pro eo solvit. Interim Titius concessit in fata. Volo agere adversus possidentem accione in rem-Queritur si possim. Bulgarus: Interest si dominus scierit colonum transtulisse, an nescierit. Nam si scierit amittit eum decennio vel vicennio, si nescivit amittit tricennio.

LXXXXVIII.

Quidam miles bononiensis captus est ad imolensibus et detentus est in carcere. Mulier quidam promisit ei quod eum liberaret si C. sol. ei daret. Illa liberavit eum et cum eo aufugit Bononiam. Imolenses vero sororem
c. 108, a. eius coheredem que Imole remansit, que, hac fugiente, totam hereditatem possedit convenerunt, et eam dimidia parte hereditatis spoliaverunt, dimidiam ei reliquerunt. Postea venit ista de Bononia Imolam, et vult agere cum sorore ad consequendam dimidiam illius partis. Queritur si possit. Bulgarus: De stricto iure potest.

LXXXXVIIII.

Item queritur: Si mulier ita vult agere adversus militem ad consequendum quod ei promiserat, si possit. Bulgarus: Non potest, quia turpitudo versatur ex parte petentis tantum.

C.

Quidam instituit duos filios ex quadrante; Ticium quem vivere putabat ex alio quadrante et ei substituit unum ex illis duobus. Queritur si substitutus habeat assem, an vero communicetur portio defuncti ex parte substituti. Bulgarus: Substitutus admitti potest. Proponitur accio ex testamento.

CI.

Duo coheredes diviserunt feuda inter se; unum feudum a comite, alterum a marchione; in divisioneque stipulati sunt: si marchio fundum quem possidebat auferret ei, liceret ei fundum alterius per partem venire. Qui post temporis intervallum permutationem fecerunt nulla facta mentione de evictione. Marchio fundum ab isto advocavit. Questio est an iste adversus illum cum quo permutavit regressum habeat, cum sibi per stipulationem non prospexisset. Bulgarus dicit [1] non habere accionem adversus hunc.

CII.

Commodavi tibi ciphum. Demum alio die in mane tempestive ad me detulisti. Ego sompno gravatus non accepi sed dixi ut domum referres; tuque per servum tuum remisisti. Qui super scrinium tuum reposuit, et sic latrones ciphum abstulerunt. Queritur an commodati agere possim, vel si in aliam accionem contractus transit scilicet depositi. Iacobus: Non transit, sed ex quo commodatarius obtulit, et ego non accepi, non prestiti exactissimam diligentiam; et ideo non tenetur.

CIII.

Queritur utrum clericus admittatur ad patrocinium. Bulgarus; Si non exhibeat venalem formam admittitur; alioquin obprobirum est clericis etc.

CIIII.

Emi equum a Titio, sed antequam eum silicet equum mihi traderet, Titius non tantum in mora fuit, sed etiam equum interfecit. Proponitur accio ex lege Aquilia, vel accio ex empto.

---

[1] *Cod. om.* dicit.

Source : BIU Cujas

CV.

Duo nummularii erant; unus habens necesse pergere ad domum dixit alteri: Habeto custodiam rerum mearum. Qui tacuit. Res amisse sunt, quia ille non custodivit. Queritur quo iure possit conveniri. Bulgarus eum accione depositi teneri dicit.

CVI.

Quidam testamento heredes instituit, et ab eo legata reliquit. Item a legatario cui legata reliquit, legata reliquit aliqua. Queritur utrum legatarius ad exemplum heredis possit deducere Falcidiam ex illis que a se legata sunt. Bulgarus dicit quod de equitate et ad exemplum heredis deducere potest.

CVII.

Quidam alii fundum locavit ut sibi annuatim quinque sextarios frumenti solveret. Sed mensura sextarii que tunc erat minor facta est in sequenti anno. Locator petit frumentum ad priorem mensuram; conductor non vult solvere nisi ad mensuram que modo est. Queritur si possit agere ex locato ad priorem mensuram. Bulgarus: Posse.

CVIII.

Quidam nulla dispositione facta in liberos intravit monasterium. Postea unus ex filiis suis intravit et fecit testamentum super rebus maternis. In quo reliquit patri
c. 108, b. quartam et ex dodrante instituit extraneum heredem. Pater postea exivit de monasterio et est in possessione omnium bonorum filii defuncti. Modo queritur an testamentum valeat et an qui est institutus possit petere dodrantem.

CVIIII.

Titius fecit foveam in agro suo ut caperet apros. Cum autem cecidisset aper in foveam, Titius ligavit aprum in fovea et ligatum commisit Sempronio rogans eum ut duceret ad domum Titii. Cumque duceret eum Sempronius, fugit aper, et in pristinam receptus libertatem, cecidit forte in foveam quam fecerat Sempronius ad apros capiendos. Questio est an sit modo aper Titii an Sempronii in cuius fovea nunc iacet, et an teneatur Sempronius accione mandati. Martinus: Actor Titius optinet; quod enim Sempronius persecutus est aprum fugientem potius nomine Titii quam suo nomine persecutus est. Et quamvis ceciderit in foveam Sempronii, tamen quia longa manu Titius eum per procuratorem semper tenuisse, videbatur, eius esse.

CX.

Titius locavit equum Sempronio usque ad Ravennam et mercedem accepit. Cum Sempronius iter incepisset invenit Titium solum preliantem cum inimicis suis et eum iuvit et a morte liberavit, et equum sibi locatum amisit. Formantur hic due questiones, scilicet an Titius possit agere adversus Sempronium de equo interfecto in prelio; item an Sempronius possit repetere mercedem quam dedit quia equo sibi locato non est usus. Proponit Titius accionem in factum contra Sempronium quia occasionem dampni dedit, et ideo dampnum dedisse videtur, sicut dicitur de eo qui die ventoso ignem in stipulam misit, ut ff. de lege Aquilia., l. qui occidit. In hac proponit etiam accionem ex locato quia non adhibuit illam diligentiam quam debuit. Unde videtur quod culpa sua dampnum datum sit. Proponit etiam furti accionem quia aliter est usus quam debuisset. Excusat se Sempronius ab accione furti, quia non putavit se facere invito domino, nec fecit animo lucrandi, immo animo liberandi eum a morte. Accio locati per doli exceptionem repellitur, quia etsi servisset ei cum proprio equo, et equus ibi mortuus esset, posset agere cum eo accione negotiorum gestorum, et sic multo magis potest se tueri. E contra Sempronius proponit accionem ex conducto de mercede quam dedit, quia equo non est usus. Non ergo debet sentire incommodum cum non sensit commodum. Dicit Martinus ex equitate Sempronium esse absolvendum ab equi petitione, tamen quia temerarius fuit, in hoc scilicet quod ad pugnam duxit, mercedem quam dedit repetere non poterit.

CXI.

Quidam peremit quemdam gladio. Illius interfecti duo filii remanserunt: unus minor XIII. annis, alter vero maior XXV. annis. Iste maior pactum fecit cum ipso homicida se non moturum aliquam controversiam de illo crimine, et ita excesserant iam XX. anni a die commissi criminis. Modo venit ille qui tunc erat minor, modo factus maior et vult agere contra istum homicidam. Iste vult se tueri prescriptione XX. annorum et pacto fratris. Videamus si possit. c. 109, a.

CXII.

Anno MCLVIII. regnante Federico imperatore et eodem consule, anno V. imperii eius, indictione VII., mense ianuario, pridie kal. febr., ego Modestinus professus sum me deferre Pomponium reum lege Cornelia de sicariis apud Iacobum presidem, quod dico eum occidisse Labeonem in civitate Bononie, in curia Sancti Ambrosii, anno primo imperii predicti imperatoris et consulatus eiusdem principis, indictione VIII., intrante madio. Item subscribo me professum esse deferre predictum Pomponium reum huius criminis.

CXIII.

Fur nummos furtivos mihi ignoranti solvit, quos miscui cum meis nummis ita quod secerni non possunt. Postea scivi eos esse furtivos et confessus sum furem

Source : BIU Cujas

eos mihi solvisse. Modo queritur si dominus nummorum possit vendicare a me cui soluti sunt. Bulgarus: Si nummi alieni mixti sunt cum meis casu fortuito, rei vendicatio competit; si sunt mixti voluntate nostra, sunt communes; si ego miscui sine voluntate tua competit tibi vendicatio; sed si alius mihi dedit, et ego cum meis miscui, sum dominus factus, et non vendicabis.

CXIIII.

Vendidi tibi fundum ea lega ne alienares. Postea vendidisti. Nunc volo agere adversus emptorem. Et tu similiter adversus eum vis agere. Queritur si uterque possit agere. Bulgarus: Sic.

CXV.

Collocavi sororem meam in matrimonio Titio et dedi ei dotem. Qui dotem accepit et quendam fundum quem ei non dedi putans dotalem esse, cum non esset, possedit decennio. Et mortuus est. Postea alii eamdem sororem meam collocavi, et dixi ut in dotem haberet omnia que prior maritus habuit. Modo volo vendicare fundum quem non dedi priori marito, sed ignorabam penes eum fuisse. Queritur si possim. R. (1): Sic.

CXVI.

Titius possedit fundum Seii per XX. annos et eum Sempronio vendidit bona fide ementi. Qui Seius contulit se et sua monasterio. Interim impleta est prescriptio. Queritur utrum ecclesia possit agere. Potest evincere. Proponitur vendicatio ad consequendum fundum.

CXVII.

Titii servus apud nummularium pecuniam deposuit. Quam Seio quem servum domini fore credebat accipienti bona fide reddidit. Qui ex ea pecunia fundum bona fide emit. Est in questione utrum Titius idemque servi dominus possit agere contra Seium, vel ad fundum peccunia sua emptum vel ad peccuniam. Proponitur accio utilis negotiorum gestorum in factum utpote pecunia consumpta, et indebiti condictio contra depositarium. Bulgarus absolvit reum ab utili negotiorum gestorum vel in factum quia dominus servi habet depositi accionem, ut illi cogatur cedere indebiti condictionem quam habet contra Seium, nec ita succedat res loco precii sicut pecunia loco rei.

CXVIII.

Quidam, dum in rure certaret, lapide proiecto alium vulneravit. Tandem sanato vulnere putavit se verberatum. Amicis intervenientibus cum muneribus, pacem cum eo composuit et quod in eo actum erat remisit. Posteaque, transactoque modico tempore, ex predicto vulnere obiit. c. 109, b. Fratres mortui proiectorem criminaliter accusant. Item queritur; filius de fratre non vindicato, nec hereditatem adiit quum indignus debeat eam perdere. Bulgarus: Non potuit remittere accionem.

CXVIIII.

Titius in molendino suo concessit ius molendi Seio quoad sibi familieque sue sufficeret. Seius non videns tale ius sibi non expedire, Gaio Seio distraxit multo maiorem familiam habenti. Quem modum Titius molendi non patitur dicens tale ius non posse ad alium transire. Proponitur confessoria in rem, et e converso agitur negatoria in rem que competit ei qui negat: confessoria competit ei qui asserit servitutem. Bulgarus dicit talem cessionem servitutem fuisse nec ergo ad alium transire potest.

CXX.

Quidam, cuius fundus ab alio possidebatur, ante impletam usucapionem seu prescriptionem se et sua contulit ad ecclesiam. Quem fundum completa prescritione XXX. annorum, ecclesia petit. Proponitur rei vindicatio. Bulgarus: Non submovetur, sed cum effectu auditur.

CXXI.

Titius erat debitor Sempronii. Qui, cum vellet defraudare Sempronium a debito suo, fugit. Sempronius vero eum insecutus tantum ei abstulit quantum sibi debebatur. Vult Titius agere contra Sempronium actione iniuriarum quia ei iniuriam fecit; similiter et vi bonorum raptorum, quia ei rapuit. Dicit etiam amisisse ius suum quia invasit quod petere debuit, quia ideo rigor iudiciorum et tutela publici iuris in medio constituta est ne quisquis sibi ipsi presumere valeat ultionem.

Et e converso Sempronius dicit quod sibi licuisset quia aliter non poterat consequi ius suum, et frustra leges invocat qui in eas commisit, ut ff. de minoribus., l. auxilium. Item per aliam legem defendere se querit: C. in. vel ter. quando liceat unicuique se vindicare sine lege., l. I., et ff. de liberali causa., l. qui ex libertate., et ff. tit. qui in fraudem creditorum., l. ait Pretor., § sic non debet., et ff. tit. de furtis., l. qui vas., et ff. tit. quod vi aut clam., l. ult., § si adimam. Martinus dicit Sempronium non teneri cum alias ius suum consequi non posset, hoc tamen intellecto: si plus ei non abstulit quam ei deberetur et sine verberatione.

CXXII.

Titius dedit predia quedam Sempronio hoc pacto ut Sempronius faceret ei pontem super flluvium per quem Titius posset ire ad castrum suum quod habebat ultra fluvium. Sempronius predia accepit et pontem fecit, sed vis aque pontem deiecit. Hic queritur an Titius possit agere adversus Sempronium ut iterum pontem faciat.

(1) Rogerius *vel fortasse melius* Responditur.

Source : BIU Cujas

Proponit Titius accionem prescriptis verbis, quia hac mente dedit ut semper haberet ibi pontem; et sic vult eum cogere ut pareat placitis, quia non videtur quod Sempronius paruisset placitis, cum id quod fecit non permansit. Proponit etiam confessoriam, dicens se habere tale ius, quod Sempronius debeat facere ibi pontem: sic dicitur de eo qui talem servitutem habebat in domo vicini scilicet ut paries vicini sustineret honera domus sue et corruit; nunc dicatur a legibus quod poterit vicinus cogi ut iterum ponat parietem; sic Titius vult cogere Sempronium. Dicit
c. 110, a. Sempronius se non teneri accione prescriptis verbis, quia placitis obtemperavit Titii [1] faciendo talem pontem qui poterat resistere consueto cursui fluminis, nec ei obesse debere si divina virtus vel vis fluminis pontem deiecit. Dicit enim confessoriam in re servitutis non habere locum in tali causa, quia statim quod pons factus fuit et publicus fuit, sicut ipse fluvius: non potest ergo asserere sibi servitutem deberi sicuti quilibet homo, nisi forte ab imperatore haberet. Martinus dicit Sempronium non teneri si talem fecit pontem qui possit resistere consueto cursui fluminis quia virtus divina vel casus fortuitus non debet ei obesse; tamen si simulata predia hac de causa recepit, ut forte ille deceptus sit, equum esset ita ut eatenus de ponte faceret, quatenus ultra habet, aut illud superfluum Titio restitueret quia nemo debet locupletari cum aliena iactura.

CXXIII.

Titius conduxit mulum Sempronii cum operibus suis, scilicet certa mercede constituta, ad hoc scilicet ut scilicet portaret merces Titii usque ad Faventiam et dies constituta fuit qua portare debuit. Sempronius non portavit sicuti debuit, immo alterius merces portandas conduxit. Ticius vero alium mulum conduxit et res portare faciebat. Dum res portarentur, a latronibus fortuito casu sunt ablate. Proponit Titius accionem ex conducto contra Sempronium quia culpa eius hoc dampnum contigit. Nam si res portasset quando convenit, res salve essent. Merito ergo hoc dampnum resarcire debet quia si culpa locatoris dampnum datum esset conductori, locator resarcire deberet, ut ff. locati., l. si in lege., § colonus.

E converso dicit Sempronius se non teneri nisi ad interesse pensionis, quia que fortuitis casibus accidunt non prestantur in bone fidei iudiciis, ut C. de pignorantia actione., l. que fortuitis. Sic ergo non debet ei imputari iste fortuitus casus. Nam alia ratione se excusat dicens se non teneri, nisi ad reddendam pensionem, sicut dicitur de advocato, qui non vult prestare patrocinium quod promisit; qui ad hoc tenetur ut reddat pecuniam datam pro advocatione prestanda. Item vertitur alia questio, scilicet quod Sempronius iuraverat quod amplius non iuraret de calumpnia in aliqua causa, an debeat iurare et si non iuraverit, eam amittat causam. Probatur eum debere iurare hoc modo: Sacramentum calumpnie publica auctoritate inductum est, scilicet ut contentiosa instantia litigantium compesceretur; ergo privata alicuius auctoritate remitti non debet. Item alia ratione probatur, scilicet quia fuit turpe et contra leges, ergo non debet servari, vel si non vult facere, pro condempnato debet haberi.

E contra dicit Sempronius non debere cogi iurare, nec ideo debet amittere causam, quia si sacramentum non sit licitum, dum tamen non immineat corporis periculum vel sit contra salutem anime, servari debet; et hoc ex decretis videtur dici posse: sic ergo non debet; amittere causam etiam si non iuret quia non debet cogi deierare. Martinus dicit eum teneri ex conducto ad dampnum resarciendum quia in culpa fuit eo quod non portavit merces sicut debuit; nam si portasset, salve esset. Dicit etiam illud sacramentum non debere servari quia contra leges fuit et inconsulte factum. Sic ergo aut debet iurare aut pro condempnato debet haberi.

CXXIIII.

Mevius instituit heredem Gasdiam que erat mater c. 110, b.
eius et legata et fideicommessa ab ea reliquit, quorum quantitas in hereditate [1] non erat. Gasdia hereditatem adivit non facto inventario. Proponunt legatarii et fideicommissarii accionem ex testamento ad solida legata prestanda, scilicet hac ratione quia si heres adivit hereditatem inventario non facto, solida legata prestare debet etsi eorum quantitas excedat defuncti patrimonium, quia in culpa est quod inventarium non fecit, ut in primo tit. Auth., § si vero. E contra dicit Gasdia se non debere amittere suum debitum naturale, quia errore ducta inventarium non fecit: sic ergo non debuit ei obesse, cum ignorantia iuris nemini obsit in dampno evitando. Item alia ratione se excusat, scilicet quod ius civile non debet corrumpere ius naturale. Inventarium enim iurecivili introductum est; quamvis ergo omittatur, non debet ei auferri quod natura debetur, quia ius civile non potest tollere ius naturale. Quod debitum dicatur hoc potest probari per ultimam legem de condictionibus in Codice. Martinus dicit eam debere solvere solida legata et fideicommissa ab ea relicta: hoc ideo quia inventarium non fecit quo potius conservasset se indempnem. Nam statim cum voluit hereditatem adire, diligenter debuit inquisisse res hereditarias. Nec potest pretendere iuris ignorantiam quia saltim hereditatem quam adire volebat quanta esset cognoscere debuit, et sic videre an expediret ei adire vel non adire. Cum ergo voluit habere emolumentum sentiet honus.

CXXV.

Titius dedit fundum suum Sempronio nomine libellario certa constituta mercede. Sempronius vero non solvit per

(1) *Cod.* Sempronii.

(1) *Cod.* herede.

Source : BIU Cujas

triennium et postea Seio vendidit. Titius cum Seio egit et iudicis iniuria causam amisit. Modo queritur qua accione possit Titius consequi dampnum quod habet ex facto Sempronii. Dicens ita: Tu vendidisti rem meam, et ex ea precium habes. Volo habere ratum quod fecisti, et sic consequi precium quod accepisti, sicut dicitur in C. tit. de rei vendicatione., l. mater. Proponit etiam rei vendicationem quia dolo desiit possidere, nam dolus pro possessione habetur. Merito ergo rei vendicatio tenetur. E contra dicit Sempronius se non teneri accione negotiorum gestorum, quia videtur renunciasse huic accioni ex eo quod egit rei vendicatione contra emptorem, sicut dicitur de commodatore qui cepit agere contra furem, quod non possit amplius agere contra commodatarium cui res surrepta fuit, vel si sciens rem surreptam esse egit commodati contra commodatarium cui res surrepta fuit, amplius contra furem agere non poterit. Sic ergo hic dicendum est ut postquam egit cum uno, amplius agere cum altero non possit. Dicit etiam se non teneri cum effectu rei vendicatione, et hoc propter exceptionem rei iudicate. Absolutus enim fuit emptor, merito ergo repelli potest. Titius debuisset enim appellare cum sententia ei displicuisset, vel convenisse iudicem qui litem suam fecit male iudicando. Martinus dicit libellarium amisisse ius suum ex hoc quod per triennium stetit quod pensionem non solvit, sicut dicitur de emphiteota. Dicit etiam quod licuit domino vendicare fundum libellarium (1) auctoritate sua, sicut dicitur de eo qui vendidit ancillam ne prostitueretur (2) quod habet auctoritatem iniciendi manus, nam auctoritate sua poterit inicere manus si
c. 111. a. prostituta fuerit, vel cum dixit ne in Italia moraretur, et si moraretur haberet potestatem iniciendi manus. Apparet ergo libellarium non potuisse alii vendere cum ius quod habebat amiserat, hoc scilicet quod per triennium steterit quod pensionem non solverit. Dicit etiam eum teneri accione negotiorum gestorum, ut precium quod de re domini accepit ei restituat, vel potest conveniri accione in rem quia dolo desiit possidere.

CXXVI.

Titio debebatur prebenda in Alamannia; constituit ibi Sempronium suum procuratorem, ad hoc scilicet ut unoquoque anno prebendam ei mitteret. Sempronius vero per nuncium misit quod cogere.... (3) detulil Titio usque ad III. annos. Transactis tribus annis per eundem servum misit Titius litteras Sempronio ut prebendam solitam ipsemet deferret, vel ei mitteret per personam eque idoneam. Sempronius vero confidens de Seio quia fideliter primo portaverat ad eum per eundem mittebat. Ille vero cum ea fugit et consumpsit. Proponit Titius accionem mandati contra Seium quia culpam adhibuit scilicet omittendo quod facere debuit. Debuisset enim ipse portasse vel per eque idoneam personam misisse. Cum ergo egressus est fines mandati merito tenetur ad dampni estimationem. Nec potest se excusare quia solitus esset mittere per Seium, cum ex litteris sibi missis potuisset perpendisse Titium nolle amplius per Seium sibi mitti, cum magis commonendo Sempronio litteras misit, quam ut sibi per Seium mitteret, spectabat ergo ad Sempronium periculum sicuti dicitur de commodatario qui dedit sibi comodatum ei perferendum qui solumodo causa ammonendi venerat.

E contra dicit Sempronius se non teneri, quia hoc dampnum magis fortuito casu contigit quam sua culpa. Consueverat enim Seius fideliter portare; merito ergo non tenetur cum previdere non potuit, sicut dicitur de commodatario qui dedit servo suo argentum sibi commodatum perferendum, de quo nulla habebatur suspitio ut deberet intercipi a malis hominibus. Nam si incerceptus fuerit, non tenetur commodatarius, quia ita fidus a principio videbatur. Sic ergo non tenetur Sempronius, nam nec divinare potuit Titium mutasse voluntatem quam expressius debuit dixisse. Martinus dicit Sempronium teneri quia negligens fuit in intellectu litterarum; nam ex eo quod ibi dicebatur quod debuisset ipsemet portare vel per eque idoneam personam mittere, debuisset intelligere quod nolebat sibi amplius per Seium mitti.

CXXVII.

Martinus qui patrocinabatur Petro litiganti cum Seio, captus est a Seio et in carcere ab eo missus. Tandem promisit Seio, quia alias minime liberaretur, C., et fideiussores ei dedit. A quibus stipulatus est Seius quod si ad diem statutum C. non solverentur a Martino, quod ipsi fideiussores solverent vel reducerent et reponerent Martinum in eodem carcere eiusdem castelli. Et fideiussores renunciaverunt omni exceptioni quam (1) aliquando possent allegare. Inter hec accusatus Seius quia haberet carcerem (2) privatum contra legem: castellum amisit et cetera bona fuerunt (3) publicata precepto imperatoris. Fideiussores hoc scientes seduxerunt Martinum ad locum statutum et in eodem carcere posuerunt. Sed quia Seius expulsus erat, c. 111. b
Martinus exivit et abiit ille Seius. Seius postulat a fideiussoribus quod promiserunt. Isti responderunt se satisfecisse pacto. Hic queritur utrum fideiussores sint liberati, vel si non sunt liberati, utrum profuit eis quod generaliter renunciaverunt omni exceptioni. Bulgarus dicit liberatos eos fore cum principalis obligatio de iure non teneat, quia metu contracta est; et quod prodest eis quia renunciaverunt omni exceptioni, quia contra legis vigorem tale pactum est interpositum.

---

(1) Vendicare fundum libellarium *supplevi eo quod in codice corrupto non possunt legi hoc loco.*

(2) Ne prostitueretur: *supplevi, ut supra.*

(3) *Verbum in codice deest.*

(1) Omni exceptioni quam, *supplevi eo quod in codice minime legi possunt.*

(2) Haberet carcerem, *ut supra.*

(3) Fuerunt, *ut supra.*

Source : BIU Cujas

CXXVIII.

Bernardus servum suum quem vinculatum habebat compedibus et medium magistro Hugoni locavit usque ad annum sub mercede librarum, et convenit inter eos quod in singulis noctibus magister Hugo debebat eum remittere Bernardo per certum Bernardi nuncium; ita quod factum est usque ad annum dimidium. Tunc cum Bernardi nuncius de solito more ad domum Hugonis servum reduceret, inveniens hostium clausum, longo clamavit tempore. Venit tandem nescitur quis et respondit deintus: Quis tu? Et ille: Servum domini mei quero. Et ille: Certo non habebis hoc nocte. Vade. Iste nuncius credulus et reputans eo servo magistrum Hugonem in nocte illa indigere, rediit. Servus hoc videns, fregit compedes et fugit. Bernardus, hoc audito, repetit servum et totius anni mercedem a magistro Hugone. Queritur an magister Hugo debeat servum restituere vel eius estimationem, et an totius anni mercedem. Bulgarus dicit: Non tenetur restituere dampnum, sed ad totam mercedem prestandam, scilicet totius anni.

CXXVIIII.

Iohannes emit a Martino fundum alienum bona fide. Dominus fundi cepit petere fundum a Iohanne et duxit eum ad iudicem. Iohannes vero denunciavit emptori suo, et interim cognovit fundum esse illius qui petebat. Qua de causa iurare de calumpnia noluit; et sic condempnatus est ad fundi restitutionem. Proponit Iohannes accionem ex empto contra Martinum propter evictionem dicens: Non videtur traditum quod retineri non potest. Merito ergo ex empto agitur, cum non licet ei habere quod sibi venditum est. E contra dicit Martinus se non teneri ex empto de evictione, quia culpa Iohannis videtur res evicta. Debuisset enim de calumpnia iurare. Nam quia non iuravit ideo condempnatus fuit. Sic ergo agere non potest, sicut dicitur de herede eo qui noluit venire ad causam agendam qui, sicut condempnatus fuit, contra venditorem agere poterit. Merito igitur iste agere non poterit cum ex contumatia sua causam amissit. Sic ita, quia non iuravit. E contra dicit Iohannes se non debuisse iurare: necessario repelli potest accio sua nam legi obtemperavit. Volunt enim leges neminem deierare. Sic ergo non peccavit quia legi obtemperavit; nec ergo debet dampnum sentire quia quod legitime factum est, nullam penam meretur. Non enim debuit preponere commodum pecuniarium Dei timori; sic ergo non est in culpa cum urgente necessitate, scilicet Dei timore, iurare
c. 112, a. noluit. Martinus copia legum asserit Iohannem posse agere contra Martinum ex empto de evictione, vel ex stipulatu, si stipulatus fuit; nec obesse quia non iuravit. Voluit parcere pudori suo: non est ergo reprehendendus, cum Deum hominibus preponere debuit. Ex post facto enim apparuit Martinum qui istum fundum Iohanni vendiderat minime habuisse ius vendendi; merito igitur Martinus interesse prestare debet.

CXXX.

Petrus accomodavit Bernardo equum quem in pascuis habebat usque ad certum locum. Qui videlicet Bernardus quando rediit reduxit equum in loco a quo acceperat nec certioravit dominum scilicet Petrum. Equus amissus est. Queritur utrum Bernardus teneatur accione comodati. Bulgarus: Sic.

CXXXI.

Titius habebat neptem ex filio in potestate, scilicet Florigeram, et eam donavit relicto filio patre Florigere et alterius filii. Qui scilicet pater Florigere intestatus mortuus est. Florigera vult venire ad hereditatem equaliter cum fratre: frater dicit Florigeram non debere venire nisi dotem avi totam conferat. Proponit Florigera accionem familie hersicunde contra fratrem suum quia constat eam heredem fore, dicendo bona intestatorum parentum equaliter debere venire ad masculos et ad feminas. Merito ergo cum fratre equaliter succedere. Et dicit se non debere hanc dotem conferre, quia non exivit de bonis patris, hec ergo confert, quia ea dos confertur que exivit de bonis eius, de cuius hereditate patris agitur. Sed ista dos non processit. E contra dicit frater Florigeram debere conferre dotem avitam quia cum exivit de bonis avi, videtur exisse de bonis patris, cum persona patris et filii eadem consistit, et ita intelligantur domini fili sicut et pater; nec minus habent quam administrationem; sic ergo cum avus dedit, videtur filius dedisse. Item alia ratione dicit eam debere conferre; nam cum venit ad hereditatem avi, quia heredis heres, testatoris est heres: sic ergo cum ista succedat patri, videtur succedere avo; agitur ergo de hereditate avi. Merito ergo dotem avitam debet conferre. Martinus dicit Florigeram debere conferre dotem avitam cum pater Florigere habuisset hereditatem patris sui. Nam cum Florigera veniret ad hereditatem patris, venire videtur ad hereditatem avi. Si tamen avus dedit dotem tantum nomine neptis, scilicet Florigere, non conferet eam, cum talis dos ad patrem Florigere redire non debuit.

CXXXII.

Titius cum vellet accipere mutuam pecuniam a Sempronio, duxit Seium ad Sempronium ut fideiubeat pro eo. Fideiussit Seius pro Titio apud Sempronium, et promisit reddere Sempronio pecuniam quam mutuaverat Titio. Postea Seius antequam numeraretur pecunia, videns Titium dilapidare bona sua, denunciavit Sempronio ne mutuaret pecuniam Titio. Sempronius nichilominus numeravit. Queritur si Sempronius possit convenire Seium. Proponit Sempronius certi condictionem contra Seium dicens: Fideiussor c. 112, b.
ideo accipitur ut si principalis reus desinit esse solvendo vel in totum vel in partem, fideiussor conveniatur. Cum ergo Titius solvendo non sit, merito Seius tenetur. Dicit etiam quod non potest se tueri Seius ob hoc quia denunciavit, quia obligatus erat. Non potuit ergo renunciare obliga-

Source : BIU Cujas

tioni eo invito. Contractus enim sunt primo in voluntate postea tamen rediguntur ad necessitatem, unde post contractum semel obligatum renunciare altero invito non posse iuris explorati est. Sic non potuit renunciare Seius, Sempronio invito, rei. E contra dicit Seius se non teneri quia iuste renunciavit, et res adhuc integra erat. Dicit etiam Sempronium dolum adhibuisse ex eo quod mutuavit post denunciationem, unde non debetur ei dari accio quia nemo ex dolo suo vel improbitate sua consequitur accionem. Allegat etiam aliud Seius quod Sempronius mutuavit perdituro: sic ergo non debet agere, cum sua culpa videtur amisisse debitum suum. Tuetur se etiam alia ratione, quia plus esse non debet in accessoria obbligatione quam in principalis. Sed principalis debitor nondum erat obligatus, nec poterat cogi recipere pecuniam. Eadem ergo ratione Seius non erat proprie obligatus. Potuit ergo renunciare, et sic non tenetur certi condictione cum iusta fuit denunciatio.

c. 112, c. E contra dicit Sempronius Seium non potuisse renunciare contractui et hoc duabus de causis, et quia stipulatio intercesserat et Sempronio intererat quia alii mutuasset pecuniam et usuras consecutus fuisset, unde non licuit Seio renunciare obligationi, quia nemini licet mutare consilium suum in alterius iniuriam. Videbatur enim Seius mutare consilium in iniuriam Sempronii, cum lucrum quod debebat consequi ex pecunia fenori data voluit Sempronium amittere. Non ergo licuit Seio renunciare obligationi in dampnum Sempronii eo invito; merito ergo Sempronius denunciationem contempsit. Martinus dicit in fideiubendo tacitum intervenisse mandatum quod revocari potuit, re existente integra. Res enim integra erat quia nichil adhuc numeraverat, unde si post denunciationem mutuavit, contra fideiussorem regressum non habere.

CXXXIII.

Alia questio est: Si in testamento ubi instituta esset ecclesia fratres presentes fuerunt et non contradixerunt, quia ius suum remisisse videntur, ut multis legibus argumentari potest, si poterit eis preiudicare. Cum autem in questione precedenti responsum sit fratres ab ecclesia petere posse, et cum decisio ipsius mors et finis sit presentis, videtur mihi quod talis consensus fratribus non preiudicet.

CXXXIIII.

Ego et tu compromisimus in arbitrum et penam invicem promisimus et ei pignora pro pena dedimus et unus c. 113, a. ex nobis eius arbitrio stare non vult. Modo queritur si alter qui parere vult arbitrio poterit pignora petere, aut arbiter poterit sibi retinere.

CXXXV.

Titius filium habebat. Qui filius peregre profectus est. Postea Titius invenit quendam puerum qui assimilabatur filio suo: ipse credens filium suum esse, accepit eum et duxit secum in domum suam, et eum ut filium suum detinebat. Demum collocavit eum in matrimonio cuidam mulieri que similiter credebat eum Titii filium esse: postea decennio transacto, vel forte spacio maioris temporis, cum essent ex isto matrimonio filii procreati et editi, filius rediit. Modo ista vult matrimonium dissolvere, quia dicit matrimonium nullum esse propter errorem et dicit dolum intercessisse ex parte illius qui sciebat se filium non esse, et non dixit cum dolus nenimi debeat patrocinari. Queritur si possit, et si filii ex tali matrimonio editi sint legitimi. Placentinus dicit ipso iure matrimonium nullum esse, sed favore liberorum et propter diuturnitate temporis non debere dissolvi, et liberos ut legitimos debere succedere ad instar illius legis de ritu nuptiarum.

CXXXVI.

Titius habebat duos creditores, scilicet Seium et Sempro- c. 113, b.
nium. Seius instabat et petebat pecuniam suam. Titius cum non haberet pecuniam dedit equum Sempronio hac conditione ut venderet et pecuniam sibi receptam sibi retineret in debitum suum. Queritur an Seius possit agere contra Sempronium. Proponit Seius accionem negotiorum gestorum contra Sempronium dicens: Nichil est humanius quam fidem promissam servare sed in fide tua suscepisti gerere negotium meum. Cum ergo humanitate, cum ipsa natura subgerente, fidem servare debeas, merito mihi accione negotiorum gestorum teneberis, sicut dicitur de eo qui pecuniam vel aliam rem perferendam accepit, quod tenetur accione negotiorum gestorum ei cui perferendam accepit: a simili ergo teneberis mihi qui ideo equum accepisti ut venderes et mihi solveres; nec deberes mihi obicere quod sis creditor. Tamen cum sibi ipsi solvere debuisti, videris renunciasse negotio tuo. Debuisses enim expresisse an in tuam causam tantum reciperes. Cum ergo non expressisti non licuit postea tibi mutare voluntatem. E converso dicit Sempronius se non teneri accione aliqua: hoc ideo, quia alteri pacisci vel stipulari nemo potest ergo Titius, stipulando vel paciscendo mecum, non potuit acquirere accionem, quia res inter alios acta alteri prodesse vel obesse non debet. Sic ergo pactum inter me et Titium factum tibi prodesse non debet. Item alia ratione se defendit dicens: Per liberam personam que alterius iuri subdita non est, excepto quam per procuratorem, accio acquiri alteri non potest: cum ergo Titius non esset in potestate tua nec procurator, Titius non potuit tibi accionem acquirere; merito ergo tutus sum ipso iure. Martinus c. 113, c.
dicit Sempronium teneri accione negotiorum gestorum Seio quia ab initio suscepit gerere negotium Seii, et Seius ratum habuit. Inspiciendus est ergo gestus et non contraria voluntas que postea intercessit.

CXXXVII.

Titius vendidit partem predii sui Sempronio et tradidit et precium accepit. Nichil fuit dictum de via nec de iti-

Source : BIU Cujas

nere. Sed cum Sempronius ad partem fundi empti nisi per fundum venditoris ire non posset, proponit accionem ex empto adversus Titium ne ei fundus emptus penitus sit inutilis, qui esset si viam non haberet, dicens: Contractus emptionis est bone fidei et exuberantis et ea veniunt in isto contractu que solent verti inter contrahentes, sicuti habes de domo vendita: etsi nichil fuit dictum de serratura hostii, neque de causalibus, neque de situla, tamen quia contractus bone fidei est, omnia predicta venire debent. A simili dico et de via. Et hoc multis legibus confirmat. E converso Titius respondit: Vere contractus iste bone fidei est, et quedam veniunt que si non dicantur tacite intelliguntur, sed de via ius nisi specialiter dicatur, itinere et actu non intelligitur, nec venirent, ut legitur in veteri ff. tit. de contrahenda emptione. In vendendo fundo quedam, etsi non dicantur, prestanda sunt veluti ne fundus evincatur, aut ususfructus eius; quedam, nisi specialiter dicantur non
c. 113, d. veniunt veluti via iter et actus. Et hoc multis confirmat legibus. Et ideo accione ex empto se teneri negat. Martinus dicit: Licet hec servitus non debeatur de rigore iuris, tamen via ex equitate debetur, ne fundus sit ei inutilis.

CXXXVIII.

Titius habebat frumentum venale, quod per civitatem fecit portari, ut ostenderetur, sicut moris est. Invenit eum Sempronius qui volebat emere, et ab eo quesivit si vellet vendere, et an totum tale esset. Qui respondit se velle vendere et putare totum esse tale, et subiungit: Veni et vide. Convenerunt de certo pretio. Ivit Sempronius, et vidit, et sibi placuit et pro toto pretium solvit. At cum mensurarent terre vitio vel vasis, fere pro parte maiori putridum invenerunt. Titius proponit accionem ex empto ad rem talem tradendam qualem ostenderunt, vel ad interesse per legem illam: Si res vendita non tradatur, in id quod interest agitur, ut ff. de accionibus empti., l. I. E contra Sempronius hoc modo se defendit, dicens quia paratus sit rem tradere qualem ostendit, dicens vel promissum esse contrahentibus inter se decipere, nisi ex proposito; si tamen deceptio tolerabilis non sit, idest ultra dimidiam iusti pretii. Et inducit leges. Martinus dicit quia hic curaverunt inter se, sed non rei veritate, sicut legitur illa
c. 114, a. lege ff. de contrahenda emptione., l. si rest., § ult. et ideo dicit venditionem tenere et dicit emptorem debere dimittere de precio arbitratu boni viri.

CXXXVIIII.

Advocatus promisit patrocinium clienti suo qui non prestito patrocinio decessit. Queritur si heres eius petere poterit salarium actione locati. Dominus Ugo dicit quod cum non prestiterit patrocinium, non potest petere salarium pro quo videtur facere quedam lex tit. locati et conducti., l. ex conducto accio; item in eod. tit. l. contra., l. sed adde., § cum et lege, qui operas. Aliud est cum fortuitus causus incidit in locatione, aliud in conductione.

CXXXX.

Quidam dedit filie sue in dotem multa que furto acquisierat et stipulatus est reddi soluto matrimonio. Consules vero prohibuerant illi qui acceperat ne redderet. Queritur si petere possit et ille teneatur qui accepit in dotem. Dominus Ugo dicit eum petere posse et proibitio consulum nulla fuit. Sed si dominus rei prohibuisset, aliud esse nulla est dubitatio.

CXXXXI.

Quedam instituit filium suum heredem et eum per fideicommissum rogavit ut si sine liberis decederet, hereditatem restitueret Titio. Decessit uno filio relicto quem iuste exheredavit. Queritur si Titius debeat ad hereditatem c. 114, b.
venire. Martinus: De rigore iuris non debere venire, et hoc per legem illam (ff. de iniusto et irrito testamento, l. postumus) sed tamen quia equitas prevalere debet et quia voluntas testatoris talis fuisse vedetur, si sine liberis decederet qui sibi succedere non possent, Titium admitti. Et hoc per legem illam.

CXXXXII.

Quidam cum fundum possideret, et accio confusa ei moveretur, denunciavit heredi sui venditoris. Qui cum in iudicio adesset, nullum emolumentun reportavit; nam sententia contra eum lata est; et cum victus esset, de evictione agere vult. Heres, ut dicitur, dicit patrem suum vendidisse, siquidem controversia inter eos fit, queritur si pro eo qui emisse se dicit, cum e contrario ab herede venditio negetur, presumptio aliqua faciat. Cum id eoque iuditio interfuit, is videatur eius a patre venditus. Sed iste emptor ut dicitur presumptionem pro se facere dicit. Is vero dicit hunc victum debere probare rem a patre venditam. Victus has rationes affert: ex parte heredis has leges.... Apud Bulgarum videtur presumptio pro condempnato facere, nisi ab herede in contrarium probetur, idest patrem non vendidisse, sicuti si intrumenta vel rationes pro me faciant, iudex pro me sententiam dabit, nisi adversa pars in contrarium probabit.

CXXXXIII.

Mandavi Titio de cuius amicitia pre ceteris confidebam quatinus equum vel dextrarium emeret pro XX. libris, quas scilicet tradidi ad id faciendum Titio. Cum domino Mevio qui dextrarium et palafredum habebat convenit de illo equo emendo qui bene fuit XX. librarum. Sed Mevius iuraverat quod nemini venderet nec aliquo modo separaret dextrarium a palafredo. Sed Titius noluit emere nisi solum dextrarium. Insistente itaque Mevio ut equum c. 114, c.
et dextrarium emeret pro XX. libris vendidit ei, et tradidit. Et quia iuraverat quod neutrum eorum equorum separaret ab altero, tradidit quoque ei palafredum. Deinde Titius tradidit mihi dextrarium. Ego etiam petii palafre-

Source : BIU Cujas

dum. Noluit ille tradere. Queritur utrum possit agere ad eundem palafredum accione mandati. Bulgarus: Potes quia nichil remanere debet apud mandatarium.

CXXXXIIII.

Locavi tibi fundum et tu dedisti eundem fundum genero tuo in dotem et ab ipso genero tuo iterum conduxisti, utrique per XXX. annos solvis integras pensiones. Queritur utrum possit petere fundum a possidente.

CXXXXV.

Titius distraxit fundum tali lege et conditione, ne emptor posset eum alienare. Postea emptor eundem fundum distraxit Seio. In questione est an alienatio teneat, et si alienatio non tenet quis vendicare potest, an primus venditor, an secundus. Bulgurus: Primus venditor habet condictionem ob causam; secundus venditor habet contra possessorem rei vendicationem et accionem ex vendito.

CXXXXVI.

Titius mandavit Seio ut suum fundum venderet et
c. 114, d. emptorem in possessionem mitteret. Postea Titius fundum suum vendidit Mevio; et cum non inesset sibi comodum ad fundum ire, ei de longe vel de turre fundum monstravit ut eius possessionem apparehenderet affectu et oculorum aspectu.

Item Seius procurator vendidit fundum alii secundum mandatum, et eum statim misit in possessionem fundi; modo queritur, quis eorum potior. Ille qui emit a domino proponit interdictum adversus illum qui emit a procuratore ad retinendan possessionem cum dicit se potiorem quod a domino emit et possessionem accepit et dicit dominum tacite revocasse mandatum cum vendidit, et ob id procuratorem non potuisse vendere. Respondit ille qui a procuratore emit, et possessionem accepit, interdictum uti possidetis adversus eum non proponi debere vel quia ille non possedit, vel quod ab eo nec clam nec precario possidet. Item ille dicit se iuvare per illam legem de publiciana que dicit quod si dominus revocasset mandatum postquam predium vendidisset, dicit se potiorem quam ille esset qui a domino postea accepisset. Bulgarus: Illum potiorem qui a procuratore emit et possessionem accepit.

CXXXXVII.

Titius pepigit cum sorore ne nuberet sine suo consensu et stipulatus est penam C. si nupserit sine consensu eius Non servato pacto sine consensu fratris nupsit. Queritur si in penam incidit. Frater penam a sorore petit certi condictione, que competit ex omni obligatione ex qua cer-
c. 115, a. tum debetur. Soror tali lege utitur que dicit matrimonia in dando et in solvendo esse libera nec ulla pena astringi posse, nec interesse fratris si nupserit idonee, cum etiam si patre absente nupsisset, eo reverso cogeretur ratum habere.

Item frater: Non inspicitur cum quis stipulatur penam quod intersit eius, sed que sit quantitas, que conditio in conditione stipulationis posita.

Item frater: Quod lex matrimonii sit libera nec astringi ulla pena, verum est intra virum et uxorem.

Soror: Lex loquitur generaliter inter omnes personas. Item soror: Pactum quod matrimonium astringit reprobatur, quia interest rei publice mulierem nubere et filios procreare, ut idoneis hominibus civitas repleatur. Bulgarus: Non debetur pena a muliere.

CXXXXVIII.

Titius possidebat liberum hominem bona fide. Qui negotium gessit: deinde iudicatus est liber. Queritur utrum de impensis in eius negotio factis agere possit cum suum proprium negotium credidit gerere, non eius quem bona fide possidebat. Est et alia questio: Quidam promisit quod daret pecuniam certo loco, et paratus est alibi solvere, ratione interesse actoris habita. Nunc creditor accipere non vult. Queritur si liberare se possit si consignat et deponit.

De prima questione, impensarum nomine ille qui impendit proponit accionem negotiorum gestorum, quam his argumentis firmare intendit; nam licet suo lucro studens impendit et suum credens negotium cum foret c. 115, b.
alterius, tamen locus est accioni negotiorum gestorum multo magis si bona fide gessit, ut de eo dicitur qui solvit legatum et fideicommissum, cum putaret se heredem cum non erat, quod nulla ratione probare potest. Si mandavero libero homini qui bona fide mihi serviebat ut aliquid gerat vel quid commodavero, commodati nascitur accio vel saltim negotiorum gestorum accio licet neminem sibi crederet.

Sic reus prime legi sic respondet quia sciens gerebat alienum negotium et omnino tenetur illi quatenus factus est completior, non quatenus huic abest datur accio, vel de negotiis gestis. Sic responditur: Licet suum crederet gerere negotium, tamen magis solvit hereditario nomine, et ideo repetitur. Legi de liberali causa sic responditur: Verum est quod eatenus pro eo obtulit, licet suum crederet esse negotium, sed non tenetur accione aliqua, sed tantum officio iudicis. In secunda questione de eo qui certo loco promisit, proponit pignoratitiam accionem dicens pignus liberatum esse. Quod declaratur hac ratione: In potestate actoris est convenire reum alibi quam ubi promisit, ne reus data opera ad id loci munquam in potestate veniret. Ergo non est in potestate rei solvere alibi quam ubi promisit, ne similiter accomodata opera ad id loci veniret ubi recipere non velit..... cum lex dicat: Qui certo loco promisit, alibi stipulatore invito solvere non poterit. Sed alia ratione responderi potest: Remedium habet reus ubi actor ma- c. 115, c.

Source : BIU Cujas

lignari vult, quoniam ubi promisit venire potest consegnare et deponere. Sed actori locus remedio non est, et ideo potestas que datur actori negatur reo. Et merito.

CXXXXVIIII.

Titius gregem Seio pascendum tradidit, super his societate contracta. Qui gregem suscepit. Cuidam alii iniriam intulit verbis tantum. Qui ut suam ulcisceretur inimicitiam similiter verbis coëgit homines quos rogavit, ne dampnum daretur in grege. Qui nichilominus dedere. In hoc negotio primum queritur si ille qui gregem dedit convenire possit socium, quasi sua culpa dampnum datum sit, iure communi, propter iniuriam scilicet quam intulit ei qui coëgit homines qui dederunt dampnum in grege. Est et alia questio. Si socium convenire non possit, an agere cum eo qui coëgit homines, quos nominatim rogavit ne dam-
c. 115, d. pnum daretur, possit. In prima questione proponitur contra susceptorem gregis accio pro socio, que ea ratione confirmatur: si socius dedit dampnum in re communi tenetur pro socio, veluti si servum negociatorem vulneravit; vel legis Aquilie accione, aut si omisit quod omittere non debuit, tamquam sua culpa factum tenetur pro socio vel communi dividundo. Si vero suo corpore sotius dampnum non dederit, sed causam dampni prestiterit, cum dampnum dedisse videtur, quia qui occasionem dampni dat dampnum dare videtur, et ideo recte datur contra eum pro socio aut utilis legis Aquilie, ut si pecora eo proposito inclusa sunt ut fame necarentur, ut ff. de lege Aquilia; aut in factum, ut si non eo proposito ut ff. de lege Aquilia., l. si obstetrix. Ergo quia iste occasionem dampni dedit, quia propter inimicitias eius dampnum datum est, merito dampnum debet prestare, qui licet conveniri ut in conductore fundi dicitur.

Reus negat se ulla accione teneri dicens: Socius maiorem diligentiam prestare non debet quam in suis rebus; inde est ut qui negligentem socium elegit etc. Et legi que dicit: Qui occasionem dampni dat dampnum dare videtur, sic reus respondet: Lex illa sic intelligenda est cum factum eius ullum est ad id perpetrandum, ut cum alius tenuit et alius occidit, et quod per tale factum non teneatur videri potest hac ratione ut si socius fecerit alicui furtum, illius tantum detrimentum est, ergo non socii ullum commodum esse debet. De secunda questione, contra eum qui cogit homines ad dampnum dandum proponitur accio in factum infra annum in quadruplum, aut saltim in subsidium legis in simplum, cum et ipse causam prestitit. Rogerius respondit non solum etiam si prohibuerit, verum etiam si iussit non tenetur, nisi ea fuit persona cui iubere potuit, immo cum eo tantum est accio qui dampnum dedit.

CL.

Titius fecit testamentum in quo libertatem reliquit cuidam ancille sue, hoc pacto si masculum primum pareret; sed peperit simul marem et feminam. Modo libertatem petit ex testamento. Videndum est utrum libertas ei competat. Item alia questio: In eodam testamento rogavit heredem tacite ut quid daret ei qui nichil ex eo testamento capere poterat. Dedit: deinde fiscus totam hereditatem vult ab eo vendicare tamquam ab indigno. Videndum est utrum totam vendicare possit, an id solum quod tacite rogaverat ut daretur. In prima questione proponit accionem ex testamento; sed pars adversa negat libertatem ei competere quia dubium est an marem an feminam primum pepererit. Se in dubiu pro reo respondendum est, quia favorabiliores sunt rei quam actores. Responditur (1): Maior favor est libertatis quam rei cum in dubiis pro libertate respondendum sit: quod presumendum sit masculum prius peperisse probant leges.

In secunda questione proponit fiscus rei vendicationem, quia cum aufertur, quidem indigno a fisco vendicari debet. Item vendicat fiscus ea scilicet ratione, quia in tacito fideicommisso omne emolumentum auferendum est heredi et fisco applicari. Respondit heres: Verum est emolumentum auferendum heredi esse cum rogatus est tantum hereditatem restituere ei qui nichil capere potest ex testamento. Sed si rogatus sit partem restituere, ea sola ab eo aufe-
renda est et non tota hereditas; quod ita probatur, quia c. 116, a.
heres in ea parte non utetur Falcidia, in ceteris vero utetur. Et hec vera sunt secundum Iacobum.

CLI.

Titius decessit pupillo herede instituto in testamento: in quo testamento reliquit fundum Seio, nomine scilicet legati. Eo mortuo, Seius petiit legatum. Queritur utrum legatarius agere possit adversus pupillum c. p. si tutorem habet. Seius proponit accionem ex testamento adversus pupillum aut rei vendicationem. Ex parte pupilli afferuntur leges... Item dicunt: Quia non habet personam sistendi in iuditio, item afferam legem. Item cum alienare non possit sine causa cognita decreto etiam interveniente tutore, multo minus per se alienare non licet. Responsio partis: Si voluntas testatoris fuit ut fundus legatario traderetur nichil est quod obstet quin tradere cogatur, cum testatoris voluntas servanda sit pro lege et iure, et hec vera sunt secundum Bulgarum ut tradere cogatur sine tutore auctore si testator hoc iussit. Ita tamen si res fuit testatoris, nam si pupilli, aliud forte fieret.

CLII.

Titius convenit Gaium qui induxit unum testem ad probandum quod intendebat. Condempnatus est Gaius Titio, scilicet hoc modo: Si alium testem habet. Modo queritur utrum sententia talis sub conditione data voleat. Proponit contra Gaium accionem in factum que oritur ex

(1) *Cod.* R. (Rogerius?).

Source : BIU Cujas

causa iudicati, utilemque his legibus ff. de iudiciis., l. non quemadmodum., ff. de fideiussoribus., l. si stipulatus., ff. de peculio., l. eo tempore., ff. de pignoribus., l. res.,
c. 116, c. quia sententia sub condicione dicenda non sit, tamen si dicta fuerit, nonne ab eo appellandum est? Est quidem: alioquin ceditur tempus appellationis: ergo sententia valet, quod etiam aliter probatur.

CLIII.

Negotium tale apud Bulgarum agitatum est. Quidam clericus nomine Titius ordinatus est in quadam ecclesia ab archidiacono qui pactus est cum preposito eiusdem ecclesie, nolente clericum suscipere, se collaturum ad tempus, ignaro clerico. Post tempus forte quinquenni, prepositus amplius nolens eum morari, induxit alium fortiorem isto. Qui repulit Titium ordinatum ab archidiacono. Hic vertitur questio, utrum expulsor teneatur ad restituendam possessionem vel quasi possessionem Titio, et si prepositus qui eum tali pacto admisit licet ignarum possit eum expellere. Prima questio sic fuit ventilata: Titius ordinatus ab archidiacono agit cum clerico postea ordinato, interdicto unde vi ad recuperandam possessionem et omnes fructus provenientes forte ex decimis et oblationibus ad instar fructuarii. Expulsor ait quoque interdicto unde vi ad restituendam possessionem cum fructibus, neque ad fructus se teneri cum non deiecit eum de solo, neque de re solo coherenti, nec habet ius in re ut fructuarius, nec enim possidet; sed ecclesia possidet, ut sicuti colonus, si foret expulsus, non posset agere, sed dominus, quia non possidet licet incumbat possessioni, ita nec Titius clericus; sed pos-
c. 116, d. sidet nomine ecclesie yconomus.

Titius eum teneri ad similitudinem usufrutuarii et usuarii asserit tali argumento, quia, licet omnes casus qui quandoque inciderint neque legibus neque senatusconsultis comprehendantur tamen iudex qui iurisdictioni preest ad similia procedere, et sic ius dicere debet. Bulgarus: Teneri eum ad possessionem et ad omnes fructus.

Item si iudex de fructibus nichil dixit qui possessionem restitui iussit, an possit fructus Titius petere, unde proponit utilem in rem accionem, si extant vel condictionem sine causa si consumpti sunt.

Expulsor dicit se non teneri utili in rem vel condictione sine causa quia nec dominus est, nec quasi dominus.

Titius dicit eum teneri ad instar bone fidei possessoris. Bulgarus: Eum teneri utili in rem, si extant; vel condictione sine causa, si consumpti sunt.

Item prepositus Titium contendit expellere, quia tali pacto habito cum archidiacono recepit Titium non ut esset ibi perpetuo sed ad tempus.

Titius ignarus huius pacti respondit se non pregravari alieno pacto nec expelli posse, cum nichil deliquit, nec quicquam sibi fuit expressum cum expressa nocent, non expressa non nocent. Bulgarus: Posse expelli.

CLIIII.

Alia questio est relata apud Bulgarum in scolis eius que ita decisa est ut inferius reperitur. Cepit Titius Mevium et ad domum duxit eum invitum, et in vinculis eum posut. Cum alias nollet dimittere nisi iniuriam dimicteret ei, et omne ius sibi competens, dimisit Merius Titio quicquid c. 117, a.
poterat ei dicere et sic exivit de vinculis. Nunc Mevius accione iniurarum contra Titium agit.

Titius iniuriarum accione se non teneri asserit siquidem sit sublata ipso iure per pactum, nec iterato potest resuscitari maxime cum exigitur pena, que non favore sed odio introducta est, ut apparet hac lege. Non est enim proditum in executionibus penarum etiam minoribus auxilium restitutionis in integrum.

Mevius ita respondit: Verum est ipso iure per pactum accionem iniuriarum tolli quod sit honestum; istud enim pactum non fuit honestum sed turpe et contra bonos mores factum, utpote continens vim atrocem, veluti metum mortis vel corporis cruciatum, cum etsi acceptilatio vi vel meta extorta que ipso iure perimit accionem, non est impedimento quominus agatur ex integro. Quod dicitur nec pactum metu mortis extortum non subveniri minoribus in cxecutionibus penarum, ita exaudiendum est, cum non intervenit adversarii delictum, sed tempore excluditur minor a suo iure.

Item Titius defendit se alia ratione, quod non interest Mevii amisisse iniuriarum accionem, cum ob id de suo patrimonio nichil diminuit. Mevius etsi nichil intersit, sua ab accione non excludi argumento tali: Si quis persuaderit servo alieno ut furtum domino faceret, etsi in nullo servus deterior factus est, tenetur domino furti et servi corrupti. Bulgarus; Titium teneri de dolo vel metus causa, ut se reponat in obligatione, ut ff. de dolo., l. I., § penult., et l. ult.

CLV.

Titius obligavit rem suam creditori ob peccuniam mutuam et mandavit Seio ut pro se peccuniam creditori suo solveret et pignus a creditore acciperet et sibi retineret donec sibi peccuniam solveret. Postea Titius revocavit mandatum ne Mevius peccuniam eo solveret, sed Mevius non exaudivit et ita contigit quod Titius solvit peccuniam creditori, et postea Mevius ignarus solutionis Titii, iterum solvit creditori et pignus accepit. Nunc queritur si Mevius pignus retinere possit, cum Titius peccuniam solverat et pignus liberaverat.

Titius dicit Mevium teneri sibi condictione sine causa ut pignus sibi reddat cum non debuit solvere revocato mandato.

Mevius dicit donec peccunia sibi solvatur ad pignus reddendum se non teneri, cum non audivit eum revocasse mandatum, nec est quod sibi imputetur. Bulgarus respondit: Si probabiliter ignorabat eum revocasse mandatum non

Source : BIU Cujas

teneri ad pignus reddendum, donec sibi peccunia solvatur; si enim exaudire potuit cum non exaudisset teneri ad pignus reddendum, et eum posse agere furti cum creditore qui sciens accepit peccuniam.

CLVI.

c. 117, b. Titia cum decessit filium suum heredem instituit, et ita dixit: si filius meus morietur, bona mea perveniant ad sororem meam et ad nepotes meos qui stabant tam ex viva quam ex mortua sorore. Queritur si soror admittatur in dimidiam, et tam nepotes filii ex ipsa quam nepotes ex alia sorore premortua, scilicet eius filio mortuo. Soror petit dimidiam ea sola ratione quia pronuntiata est, et adducit illam legem que est de usufructu accrescendo. « Si quis Titio et heredibus suis usumfructum legaverit »; que dicit dimidiam deberi Titio, et alteram dimidiam debere dividi inter filios suos et filios premortue sororis, et dicunt testatricem que sororem instituit non sensisse de eius filiis. Item dicunt hereditatem dividendam inter ipsos et testatricis sororem ad instar illius paragraphi quod est: « satis constat nullis partibus nominatis, equis partibus heredes eos esse ». Bulgarus respondit ad sororem pertinere dimidiam; inter filios eiusdem et alios filios premortue sororis alteram dimidiam dividi.

CLVII.

Titius cui duo filii extiterant, scilicet Mevius et Seius ita testatus est inter ipsos filios: Mevius omnium bonorum heres esto: Seio fundum Tusculanum relinquo. Queritur si huiusmodi testamentum valet ideo quia Seium heredem non instituit.

Seius dicit nullum testamentum esse hac ratione: qui filios habet in potestate curare debet ut eos instituat vel ehxeredes faciat; alioquin inutiliter testatur. Et sic dicit se succcedere ab intestato patri cum fratre equaliter.

Mevius respondit testamentum patris nihilominus valere quod eum ex maiori parte instituit heredem, et ei fratri rem minorem reliquit, sola testamenti solempnitate adhibita, scilicet VII. testium. Cum etsi non valeret iure testamenti, valeret iure codicilli, et eo iure scilicet codicillorum asserit hereditatem ad se pertinere cum et omnis voluntas debet haberirata inter liberus quocumque iudicio probata. Seius dicit: Etsi testamentum quantum ad rationem fidei non rumpatur, tamen quantum ad rationem pietatis infringitur, cum novo iure, etsi aliquid dedit filio per legatum vel donationem vel alio titulo, non valet testamentum patris, si heredem non istituerit filium; et quod dicitur voluntatem patris valere probatam quocunque iudicio verum est, cum una voluntate non alia, et alias res hereditarias pro certa parte singulis filiis attribuit, licet maiorem uni quam alteri. Bulgarus: Totam hereditatem Mevium optinere posse, dum Seius habeat Falcidiam. Quod si minus, agat de completione.

CLVIII.

Titius pater pro filia sua quam collocavit in uxorem filio Seii, convenit cum Seio, nomine filii, et promisit ut haberet C. in dotem; que C. in dotem promissa post dissolutum matrimonium intra decennium morte mariti, filii c. 118, a.
Seii a parte mulieris petuntur; nam mertuo non esse soluta probari possunt a filia Titii nomine Severina. Titii iam mortui filia petit que iam fuerant promissa in dotem a quondam suo socero patre mariti iam mortui. Queritur, cum non possunt probari soluta sed tantum in dotem promissa, si possunt exigi. Severina Titii filia repetit dotem a quondam socero: socer dicit se non teneri ad dotem reddendam que non fuit sibi soluta, etsi conventa, nec scriptura nec conventio facit dotem sed numeratio: ed hoc asserente prima lege de non numerata peccunia.

Severina ait dotem esse rem favorabilem et favore dotis legem non permittere socero vel marito qui debuit dotem a patre mulieris vel ab alio promittente exigere, dotem non esse sibi solutam dicere siquidem non opposuit non numerate dotis exceptionem si scripserit se accepisse vel accionem in factum si non se accepisset scripserit ad instar illius qui promisit se peccuniam redditurum quam non accepit; sic ille cui dos datur vel promittitur semper de ea reddenda per stipulationem promittere mulieri vel eius heredi intelligitur. Socer dicit eum habere exceptionem in factum quia peccuniam expressim se redditurum promisit; sed hic dicit nec scripsisse se habere, nec per stipulationem dotem redditurum promississe; ideo nec teneri debere cum illa lex que incipit: Sic rem in presenti dicit debere intelligi subsecutam fore de dote reddenda mulieri per stipulationem, cum fuerit dos soluta marito a muliere vel pro ea ab alio.

Item Severina nomine culpe socerum debere teneri qui dotem non exegit, cum potuit exigere, lege de pactis dotalibus, ob res donatas que utitur his verbis: « Si non petierit, maritus tenebitur nomine huius culpe, si dotem exigere potuit ». Bulgarus: Socerum ad dotem reddendam si in nulla deprehendatur culpa, non teneri.

CLVIIII.

Quidam erat minor XX. annorum. Ad ecelesiam se contulit, et predia sua dedit. Nunc penitentia ductus, vult revocare donationem prediorum. Queritur si possit. Ecclesia dicit: Etsi ille sit minor, donationem revocare non potest quia non est lesus nec sui facilitate nec adversarii calliditate, nec ipso iure amisit usus, iure communi, siquidem et hoc diligentissimus faceret. Minor asserit predia minorum alienari non posse sine decreto, nec donari etiam cum decreto, nec dico me lesum, sed ipso iure indempnem conservari, cum lex prorsus alienationem, maximeque donationem prohibeat. Defensor ecclesie ita: Ecclesia pluribus privilegiis redundat in acquirendo, in retinendo: facilius enim acquirit cum solo pacto tantum habeat

Source : BIU Cujas

c. 118, c. in vendicatione rei, quantum minores et cum traditione rei; facilius retinet cum non possit patrimonium ecclesie ullo iure in alium transferri, quod ipsa ecclesia convenit illesam conservari. Sic potest videri plus iuris ecclesiam habere quam habent minores. Quod dicitur minores restitui, idest illesosque conservari adversus privatos, hoc verum est, hoc dicit lex. Item dicit: Privilegium adversus privilegium non posse exerceri, ut minorem contra minorem qui minus iuris habet. Bulgarus: Alienationem non valuisse et minorem petere posse. Sed tamen hoc durum sibi videtur.

CLX.

Titius arbores quas habebat in suo nemore Seio donavit et consignavit. His consignatis, easque signavit Seius, easdem arbores cecidit abduxitque Seius, dum idem dominus, scilicet Titius, Mevio donavit arbores quas vellet succidere in suo nemore. Cuius sunt hec arbores queritur: Seii cui prius donavit Titius et consignavit utque eas succideret precepit, an Mevii cui postea arbores quas in suo nemore vellet donavit? Seius cui prius donate sunt et consignate, suas quasi ex consignatione sibi traditas dicit. Mevius respondit: Donec arbores solo coherent, sunt eius cuius est solum, cum sit impossibile arbores coherentes solo traditas videri cum sint eius cuius et est solum; sic ergo eas mihi donatas, licet primo tibi donatas: cecidi, measque feci. Bulgarus: Mevii fore arbores cum eas voluntate domini cecidit.

CLXI.

Titius fundum petebat a Mevio in rem accione. Titius dubius litis eventu accionem suam remisit Mevio transaccione tali modo, ut Mevius heredem eum institueret sua morte. Mevius cum decessit alii scilicet hereditatem suam reliquit. Titius ad accionem pristinam redit et eam adversus heredem Mevii intendit cum ille Mevius illum heredem non instituerit. Mevii heres respondit Titium non posse nec hereditatem petere nec ad accionem pristinam redire siquidem sibi debeat imputare quod probrosam ac turpem condictionem apposuit que est ista: ut heres instituatur.

CLXII.

Quidam paterfamilias filio suo pecuniam ministravit scilicet X. Demum is proficiscens alia X. lucratus est in suo peculio administrans. Idemque post aliquod tempus mandatum accepit a patre ut contraheret in peculio. Is autem cum alio convenit, ut peculium conferret, isque cum filiofamilias contulit caseos multos qui postea inutiles facti sunt, vel ideo quia ad nullum precium deveniant vel ad precium parvum deducantur. Nunc queritur si pater qui non consensit huic collationi agere possit, vel utrum per in rem accionem vel per accionem ex empto, pro socio. Dicebat pater se vendicare velle quia dominium se habere et ex hoc, et ex his omnibus; nam quicquid profectum est ex re patris, ad eum redire debet; item mandati se posse intendere asserit; nam quamvis iussit ut contraheret propter eum quodlibet, videtur mandasse isti, ut cum eo contrahat, propter quod dicit eum teneri mandati accione. Item accione pro socio eum teneri dicet: nam animum habuit coeunde societatis et filiusfamilias societatem contrahere potest. Item accionem ex vendito intendere vult, dicens emptionem et venditionem contractam esse ex quo de precio convenit. Ex alia parte heedem leges afferuntur, et dicit se non teneri patri per in rem accionem; non enim harum patrem dominium dicimus habere rerum. Nam quod filius acquisivit suis operis vel prospera fortuna, ad patrem non pertinet, nisi quantum ad usumfructum. Ubi dicit si quid ex re patris acquisierit, ut si ei donavit equum vel vaccam vel ancillam et fecit pullum vel vitulum, vel infantem, in his casibus posset vendicare quod natum esset. Sed dicimus patrem in hoc casu non posse vendicare quod laboribus suis vel prospera fortuna filius quesivit. At natum ex re donata posse vendicare eum constat. Item societas non fuit: ex tali societate non nascitur accio pro socio. Item mandatum non fuerit quia nullum mandatum fuit. Nam neque de certa re emenda neque ad certam personam. Sic accionem mandati non habere locum constat.

c. 119, a.



Source : BIU Cujas

YRNERII

FORMULARIUM TABELLIONUM

SAECULO XIII INEUNTE IN NOVAM FORMAM REDACTUM

(Ex codice manuscripto florentino bibliothecae magliabecchianae. XXIX, 206)

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas



LIBER PRIMUS

QUANTA providentia quantaque discretione insudantur multis vigiliis et laboribus que inter homines contrahendo aguntur, ut (1) sint custodienda et diligenter servanda, quam brevius possumus Deo dante apertissime tradere destinavimus, quum sicut celi stellas innumerabiles esse cognoscimus, ita quidem non possunt contractuum diversitates et varietates dinumerari neque perscrutari, sed in singulis divino munimine concedente que necessario fore dicenda uberrime elucidare et decernere decrevimus, et in luculentam ereximus consonantiam. Constat namque hunc librum formolarium ius et equitatem continere, in quo quidem obscure contractuum diversitates et varietates elucidate apparent, ut rudes de facili addiscant et doctos et sapientes reddat dociles et attentos. Et ne in prefacionibus generetur fastidium auditoribus, quid sit ius et equitas ad presens omittamus. Provideat igitur quisque qui ad huius libri notitiam pervenire anelat ut sit discretus, humilis ac bone opinionis, ut que ex eius emanaverint (2) ore, de corde sapientis fluere videantur. Nam hunc librum in V. composuimus libris sub certis titulis et compilavimus. Primus quidem est instrumentorum proprietatis diversis (3) nomine conditorum; secundus emphiteticorum; tertius testamentorum; quartus donationum, adoptionum, emancipationum, manumissionum, conversionum et transactionum; quintus pactorum et cautionum et aliorum contractuum extraordinariorum. Nunc autem videamus in singulorum instrumentorum edictione qualiter sit ponendum. Sed primo debemus inspicere contrahentium personas, cuius sint conditionis, cuius etatis, utrum servus an liber, et si furiosus, utrum habeat dilucida intervallas, vel si est sui iuris; et qualis sit contractus utrum licitus an illicitus, nam ab illicitis est plurimum et diligentius cavendum; et que sit res de qua contrahitur; et si venditur, utrum vendat dominus rei an alius, et utrum sit propria an condititia emphiteosim, an alterius conditionis; vineata vel arativa, nemorosa vel edificium in ea, et quanti pretii, et si est solutum; et de loco in quo est res de qua contrahitur. De his consimilibus diligenter interrogare debemus. His diligenter quesitis a notario in initio cuiuslibet instrumenti annos debemus ponere dominicos; secundo diem in quo fit contractus; tertio indictionem, quarto loco in venditionibus consuevimus apponere personas vendentium et ementium; V. rem de qua agitur cum suis finibus; VI. pretium quod ex ea datur; deinde conditionem si in contractu oportet; postmodum rei defensionem et pene promissionem; demum locum in quo fit venditio et testium descriptionem; in fine vero nomen ipsius notarii inscribere oblivioni tradere non debemus. c. 1, b.

« Domina Berta uxor Dattili, corporaliter tactis sacris evangeliis, iuravit omnem alienationem, obligationem, contractus quem dictus suus maritus de suis rebus fecerit, cui vel quibus ipsa sponte consentiet et renuntiabit iuri sibi super illis rebus conpetenti ypotecarum pro suis dotibus se firmum et ratum perpetuo habere, nec pretextu rei sibi obligate vel minoris etatis, vel quod sit lesa vel alia qualibet occasione, nec renuntiationem nec etiam ali-

(1) *Cod. om.* ut.
(2) *Cod.* examinaverint.
(3) *Cod. add.* et.

Source : BIU Cujas

quam restitutionem adversus eam petere, quod dictum est de suis rebus, idest de rebus mariti. »

Diximus supra de materia huius libri et qualiter instrumenta conficiantur; et quia instrumenta sine testibus describere non consuevimus, restat ergo ut de testibus videamus. Nam in iure cavetur et clamat regula dicens; « ubi testium numerus non est diffinitus, II. sufficiant »; nos tamen quandoque ad hominum malitiam superandam plures apponere consuevimus ut iure vero in contractibus, si excedat quantitatem unius libre auri facere sub presentia quinque testium in confessionibus solutionum dotium et aliarum rerum; in testamentis sit presentia VII. testium, in codicillis V.; in aliis quandoque duo, quandoque tres, quandoque plures.

c. 2, a. His omnibus diligenter inspectis ad libros nostros per singula facere conscendamus. Nam iste liber non eget commendatione, et ipse enim se commendat ut ex subiectis apparebit.

« Anno domini MCCV. die Iovis XII. Iulio intrante, indictione VIII., testibus Petro, Iohanne, etc. »

« Cartam venditionis iure proprio fecit Titius Sempronio et eius heredibus de petia una terre arative vel vineate posite in insula Reni in loco qui dicitur Car. pro pretio XX. sol. bon. monete pi. quolibet sta. sibi presentibus supradictis, te soluto sub pena dupli et defensione legitima: confines etc. ex sua auctoritate in possessionem intrandum » vel sic « et se nomine emptor possidere constituit donec in corporalem intraverit possessionem nec ratione minoris pretii conveniret, sciens rem maioris pretii esse. »

Item si venditor habet uxorem ita in rogatione debet poni: « Et inde uxor venditoris dicte venditioni consensit, et de iure ypotecarum cerciorata, omni suo iure ypotecarum quod in predicta re habebit renuntiavit, et promisit eidem emptori stipulanti non contravenire sub pena dupli predicte rei, et ea soluta, ratum et firmum habere. Actum Proti in domo tali etc. »

Si autem uxor fuerit minor XXV. annorum prestet tale iuramentum se dicta omnia, ut renuntiavit et promisit, firma perpetuo tenere nec minoris etatis occasione vel quod sit lesa in aliquo non contravenire nec restitutionem aliquam adversus predicta petere. In rogatione vero scribitur hoc solum, scilicet: « Et insuper dicta domina iuravit more minorum. » Si autem domina patrem habuerit eodem modo promittat et renuntiet ut filia supra per se fecit. Si vero venditor fuerit minor, debet iurare secundum quod inferius in instrumento venditionis Deo dante plenius dicemus. Sed in rogatione scribatur hoc modo: « Et insuper dictus venditor iuravit more minorum. » Quod autem si minor noluerit iurare, alius quidem ydoneus hoc modo promittat emptori: « Ad hoc Gaius promisit prefato emptori stipulanti ipsum et heredes suos servare indempnes sub pena dupli predicte rei et pena c. 2, b.
soluta, ratum perpetuo habere. » Si dictus venditor eo quod minor sit conveniret et restitutionem aliquam adversus predicta peteret, etiam si pretium sit minimum vel quicquid de eo contingat, et eodem modo pro uxore venditoris promisit, si contra id quod fecit supraveniret, viro et uxore mandantibus.

Ponatur quod res vendita subiaceat restitutioni, nec fideiussorem dare possit, venditor rem illam sibi in falcidiam eligat, et ita scribatur; « Et insuper dictus venditor prefatam rem sibi in falcidiam elegit, et si in solidum iure non valet, in singulis aliis suis bonis sibi loco falcidie elegit tot quod sibi iure Falcidie obvenire possent que iure pingnoris emptori obligavit si conditio fideicommissi extaret, ut ex his se conservet indempnem quas res omnes nomine emptoris se possidere constituit.

Si ille cui subiacet restitutioni presens esset, qualiter sit cavendum videamus. Ita scribatur tam in rogatione quam in instrumento, tenore tamen rogationis vel instrumenti scripto: « Et insuper Petrus cui dicta res ex causa fideicommissi debet restitui, si conditio fideicommissi extaret eidem venditori consensit et remisit pacto incertum conditionis fideicommissi sibi in hac re competituro ex testamento talis hominis dicto Titio venditori et Sempronio emptori et promisit ei cuilibet in solidum sub pena predicta rei non contravenire, et pena soluta, firmum tenere.

Si expromissorem timore persecutionis fideicommissi daret, hoc modo caveat facta rogatione vel instrumento per ordinem: « Preterea Saphirus de mandato venditoris promisit dicto emptori stipulanti ipsum, heredes suos indempnes si dampnum substinuerit propter persecutionem fideicommissi a tali vel suis heredibus sub tali pena, et ea soluta, rata maneant predicta ».

Si generaliter fuerit datus fideiussor, ita scribatur: « Preterea Saphyrus de mandato venditoris promisit dicto emptori stipulanti ipsum, heredesve suos servare indempnes si aliquo modo ei dicta res fuerit evicta tota vel c. 3, a.
pars sub pena dupli predicte rei, sub obligatione suorum bonorum, et ea soluta rata maneant predicta ».

Si autem venditor patrem habuerit et res que venditur sit filii, quia ad patrem ususfructus spectat, ut emptor pro patre sit securus nec contraveniat, consentiat pater et renuntiet omni iuri suo quod in ea re habet et promittat se non venturum contra sub certa pena et penam soluturum, rata manente venditione,et ita dicatur in contractu scripto tenore rogationis vel instrumenti: « Preterea Rubinus pater dicti venditoris, huic venditioni consensit et renuntiavit omni iuri quod in ea re habet ratione ususfructus vel alio modo, et promisit dicto emptori stipulanti sub pena dupli non convenire, et pena soluta, firmun habere ».

Si quidem res sit paterna et filius vendat, fiat eo mandante et pronuntiante legittimam defensionem; et ita scribatur in rogatione: « Cartam venditionis iure proprio

Source : BIU Cujas

fecit Titius filius Martini, eo presente et mandante et pronuntiante infrascriptam rem legitime defendere et autorizare et a re possessore et eius herede de tali re, » etc. per ordinem ut supra diximus in rogatione proprietatis.

Si pater fuerit absens qui mandavit, alius ydoneus pro eo promittat hoc modo: « Et insuper Seius promisit emptori stipulanti se facturum et curaturum quod Titius pater venditoris hanc venditionem ratam habebit, et eam firmabit ad sensum sapientis emptoris et promittet legitimam defensionem sub pena dupli predicte rei, et pena soluta, rata maneant predicta infra ut VIII. dies post requisitionem ipsi Seio factam ab emptore vel suis heredibus, sub obligatione tantorum suorum bonorum que valeant duplum ubi emptor accipere sua auctoritate voluerit, vel sub obligatione omnium que habet et habiturus est, vel sub obligatione talis vinee ut ex ea se emptor sua auctoritate et de pena et interesse conservet indempnem ».

c. 3, b. Si res vendita est filii, et pater eam vendat, id servetur a filio et eodem modo consentiat et promittat ut supra ex alia parte pagine diximus in persona patris de re paterna a filio vendita.

Notandum est igitur quod quotienscumque iminet venditio vel alius contractus in quo aliquis pro absente contrahit, vel pro minore presente, nisi sit tutor vel curator, in quo casu quidem tutorio vel curatorio nomine se obligat si pretore auctore contrahunt, sed si sine auctoritate contrahunt, in his rebus que desiderant auctoritatem et omnem cognitionem eodem modo tam ipsi tutores et curatores se debent obligare quemadmodum et ceteri alii qui non sunt tutores nec curatores. Hoc modo debent promittere: « Martinus filius Iohannis promittit per stipulationem dicto emptori vel tali homini se facturum et curaturum quod Saphirus et Gemma dicta omnia perpetuo rata habebunt, et eam confirmabunt ad sensum sapientis dicti talis vel quod facient silere instrumentum venditionis cum fuerit XIIII. annorum vel hinc ad talem diem, et si non fuerint et dampnum propter hoc consecutus fuerit ipse emptor vel suus heres eo quod non firmarent vel ratum non haberent, quod dictum emptorem sive conditorem et heredes suos servabit indempnes sub pena tali, et pena soluta, rata maneant. »

Si vero predicte matri venditoris a viro suo patre venditoris fuerit ususfructus legatus ut sepe contingit, vel alii extra matrem et ita scribatur in rogatione et etiam in instrumento scripta rogatione vel instrumenti tenore: « Et insuper Berta mater venditoris vel Petri cui legatus fuerat usus dicte rei vendite, eidem venditori consensit et penitus renuntiavit omni iuri et accioni quod in ea habebat, et promisit ipsi emptori non contravenire sub tali pena et ea soluta rata maneant predicta. »

Item si dubitaretur ne venditores forte alii dedissent rem quam vendunt, vel aliquod ius ex ea, ita promittant venditores et hoc modo scribatur: « Preterea dicti venditores vel dictus venditor promiserunt vel promisit dicto emptori stipulanti, quod nullam venditionem, nullam cessionem, nullamque alienationem vel contractum in c. 4, a. fraude alienationis de dicta re vel de aliquo iure ex ea vel de tota vel de parte fecerint vel fecit et si (1) ex suo facto dampnum propter hoc consecutus fuerit ipsum in totum heredesve suos servabit indempnes sub pena dupli eius dampni quod inde haberet vel sub tali pena ratum maneat predictum. »

Generaliter est notandum quod quotienscumque iminet contractus in quo aliquis nomine alterius recipit obligationem sibi fieri pro alio absente, sive sit specialiter procurator constitutus sive non, dumtamen absenti acquiratur accio, recipiat stipulationem, emptionem, contractum procuratorio nomine pro eo pro quo recipit verbi gratia ut puta aliquis vendidit aliquid vel quoquo modo se obligat vel promittit alicui pro absente recipiente, ita debet poni in contractu: « Seius vendidit talem rem Martino recipienti procuratorio nomine pro Gaio vel promisit soluturum Martino stipulanti pro Gaio procuratorio nomine tot denarios »; et ubicumque in contractu fit mentio quod promittatur vel conveniatur ipsi procuratori pro dicto absente, semper dicatur « promisit vel convenit vel transegit vel pepigit Martino recipienti procuratorio nomine pro Gaio. »

Vidimus supra qualiter instrumentum proprietatis rogatur adversus personas, diverso modo securitatem prestantibus in rogatione. Nunc autem videamus qualiter proprietatis instrumentum fiat et de singulis supradictis in instrumento suo loco mentionem faciemus quod, ita scribatur signo crucis initio facto « ✠ In nomine sancte et individue Trinitatis: anno domini MCCV ». Si regnaret imperator debet consequenter. « Regnante domino R. (2) Romanorum imperatore, die XII. iulio intrante, indictione VIII. Ego quidem Martinus filius quondam Cassii hoc venditionis instrumento presenti die iure proprio vendo et trado tibi Sempronio tuisque heredibus in perpetuum petiam unam arative vel vineate vel buscive vel prative vel cuiuscumque sit scribatur, positam in insula Reni, in loco qui dicitur Ca., cum superioribus, inferioribus finibus, accessionibus et egressibus suis usque in via publica. Confines cuius tales esse dico: a mane possident Gaius et eius consortes c. 4, b. a vesper adest via publica, a superiori decurrit flumen Reni, ab inferiori possidet Iohanes emptor, vel si qui alii confines sunt, omnia ut predixi, et que intra hos confines continerentur in integrum presenti die pro pretio XX. sol. bon. den. pis. quolibet sta, quod michi in presenti, coram infrascriptis testibus solvisti. » Et hoc debet dici cum solvitur ibi pretium; cum autem tunc non solvitur debet tabellio facere ut venditor habeat fidem de pretio. Et tunc ita scribatur: « Pro pretio XX. sol. pis. quolibet sta., quod totum mihi fore solutum fateor renuntians non numerati et non soluti pretii exceptioni: vendo et trado tibi prenominato emptori tuisque heredibus in perpetuum

(1) *Cod. om.* et si.
(2) *Fortasse* K (Kouradus?).

Source : BIU Cujas

ad habendum tenendum ac possidendum, et quicquid tibi usquam deinceps placuerit faciendum, quam rem me tuo nomine possidere constituo donec in possessionem intraveris corporaliter, in qua intrandi licentiam tibi tua auctoritate concedo, promittendo per me meosque liberos et heredes huius rei nomine litem nec controversiam movere occasione minoris pretii vel alia qualibet, certioratus rem maioris pretii esse; sed tibi tuisque heredibus aut cui dederis ab omni persona defendere et auctorizare atque disbrigare. Si vero per me meosque heredes predicta omnia non servavero, vel contra aliqua occasione venire presumpsero pene nomine dicte rei duplum eiusdem bonitatis et extimationis dare, habita ratione meliorationis, omneque dampnum, litisve impensas tibi et tuis heredibus stipulatione resarcire promitto, et insuper hoc venditionis instrumentum ut supra legitus remper incorruptum tenere spondeo. Et insuper, corporaliter tactis sacris evangeliis, immo predictam venditionem et omnia que in ea continentur firma in perpetuum tenere nec pretextu minoris pretii vel non soluti vel non conversi in meam utilitatem vel non durantis et quicquid de eo contingat. Item idem ex quo semel recepi vel aliud qualibet occa-
c. 5, a. sione contravenire, nec adversus predicta restitutionem aliquam impetrare, dictum iuramentum prestet sicut minor in singulis venditionibus et suarum rerum alienationibus. »

Hoc facto, si venditor uxorem habuerit maiorem vel minorem sive patrem habeat sive non, eodem modo in hoc loco instrumenti scribatur sicut supra diximus in rogatione de filia et eius patre, et idem dicimus esse servandum de singulis de quibus supra in rogatione fecimus mentionem, si in contractu de aliquo eorum necessarium fuerit dicendum. Dictis et prefatis securitatibus de singulis secundum quod imminet in contractu, debet scribi: « Actum in tali loco, sub tali porticu, vel in tali ecclesia, indictione predicta, prefato venditore scribere mandante. » Et si plures fuerint dicatur: « prefatis venditoribus vel contrahentibus scribere mandantibus. Interfuerunt: Petrus Paulus et Iohannes et huius rei vocati sunt testes. » Hoc facto, debet notarius signum suum facere et demum nomen eius hoc modo: « Ego talis notarius his omnibus interfui et ut supra legitur rogatus subscripsi. »

« Cartam venditionis fecit Eufrosinus Saphyro et eius heredibus de dominio et proprietate unius petie terre arative vel vineate vel domus posite in territorio vel curia vel districtu talis castri in loco qui nuncupatur Vignola pro pretio tali soluto ». Et scribatur factum pretii secundum quod supra diximus in rogatione et instrumento proprietatis « sub pena dupli » et dic ut supra legitur « et suo nomine, deinceps possideat. Quam rem a venditore dictus emptor per emphiteusim tenebat, et promisit sub pena dupli et occasione minoris pretii vel qualibet alia non contravenire. Fines dicte petie hos dixerunt esse: a mane possidet talis etc. Actum in tali loco etc. »

« Ego quidem Eufrosinus vendo et trado ac transfero tibi Saphyro tuisque heredibus in perpetuum dominium et proprietatem unius petie terre vel unius domus quam ad me per emphiteusim tenebas tam soli quam edificii et curtis postea domo posite in tali loco cum omni iure et actione ad me nomine ipsius pertinente, res que tales habet fines: a mane possidet talis etc., » ut in instrumento primo proprietatis de confinibus dicitur. Scribatur usque huc, « vel si qui alii confines sunt omnium, ut predixi et que intra hoc confines continentur in integrum dominium et proprietatem vendo ac transfero tibi prefato M. tuisque heredibus, pro tali pretio. » De pretio dic ut supra diximus in dicto instrumento proprietatis, et sic per ordinem usque in finem dicti instrumenti ut in eo continetur scribatur nichil addendo vel diminuendo tam de loco in quo fit quam de testibus et tabellionis nomine.

« Anno domini M. CC. IIII. die tali: testibus Petro et Martino et Johanne et cet. » Deinde in rogatione rogetur:

« Cartam venditionis fecerunt Titius et Gaius et Sempronius Gaio et eius heredibus de omni eo quod habent et tenent et possident vel aliquis eorum nomine tenet et habet in Castro Prati et eius curia et districtu: terras videlicet et vineas, campos, hedificia, prata, pascua, silvas, salicta, saxa, rupinas, propria, condititia, dominicata et conscripta, homines, mulieres, servitia, iura et actiones, passadia, aquas, patronatus, ecclesiarum iura pro pretio CC. lib. pis. m. soluto, ut fuerunt confessi, renuntiantes non numerati pretii exceptioni sub pena dupli et defensione legis, et sua auctoritate in possessionem intrandum et se venditores constituerunt dicta omnia possidere emptors nomine, et promiserunt non contravenire minoris pretii exceptioni ad hoc ut quilibet eorum venditorum nove constitutionis beneficio, » que loquitur in eo casu ut si duo sunt rei debendi vel plures et promittant aliquid se daturos vel facturos alicui nomine eorum tenentur nisi pro ea parte qua promissores sint numero, nisi specialiter dictum esset quod debeant teneri pro diversis portionibus; unde si renuntiantum fuerit illi legi et promittant se daturos vel facturos quilibet eorum in solidum, ille cui promittitur poterit quem velit in solidum convenire et ab eo in solidum exigere. Verumtamen ille qui in solidum convenitur non tenetur solvere, nisi cessis actionibus contra eum reum et ita in rogatione scribatur: « Sed promiserunt emptori legitimam defensionem sub pena dupli dicte rei quilibet eorum in solidum renuntiantes nove constitutionis beneficio ».

« Nos quidem Titius et Gaius et Sempronius, hoc venditionis instrumento presenti die vendimus et tradimus, tibi Gaio tuisque heredibus omne quod habemus et tenemus, vel aliquis pro nobis habet et tenet quoque modo in castro tali et eius curia et districtu, terras videlicet et vineas » et cet. ut supra in rogatione huius instrumentidiximus « proprium in perpetuum condititium unde pertinuerit

Source : BIU Cujas

vel salvo iure dominii, cum superioribus inferioribus finibus, accessionibus et egressibus suis usque in via publica pro tali pretio » et dic de pretio ut in rogatione et instrumento usque: « promittentes per nos nostrosque heredes harum rerum nomine litem et controversiam movere tibi nec tuis heredibus, sed legittime quilibet nostrum in solidum nobis et vestris heredibus ab omni homine defendere et autorizare, renuntiantes nove constitutionis beneficio. Si vero per nos nostrosque heredes predicta omnia non servaverimus, pene nomine predictarum rerum duplum » et cet. per ordinem ut in instrumento proprietatis dicitur, usque in finem instrumenti. Si vero volunt ita obligari, ut dictum est in solidum, in pene promissione dicatur, et ita continetur: « Predictarum rerum duplum eiusdem bonitatis extimationis dare omneque dampnum litisve expensas tibi tuisque heredibus quilibet nostrum in solidum in stipulatione resarcire promittimus, et insuper hoc venditionis instrumentum, ut supra legitur, semper incorruptum tenere spondemus ». Si quis venditorum fuerit minor, iuret secundum quod diximus in instrumento proprietatis de iuramento minoris.

« Cartam venditionis iure proprio fecit Gaius de tali loco Sempronio et Titio recipientibus procuratorio nomine pro Saphyro et Gaio filiis quondam Martini et eorum heredibus de petia idest terre et vinee et casamenti posita in curte C. pro pretio XX. lib. imper. soluto » et dic ut diximus de solutione pretii, ut diximus in rogatione primi instrumenti « et promisit predictis curatoribus stipulantibus procuratorio nomine et defendere et autorizare legitime et omne litis dampnum resarcire sub pena predicte rei, et se dictam rem nomine emptorum de cetero possidere constituit, et insuper dictam rem sibi in falcidiam elegit timore persecutionis fideicommissi » et dic ut supra diximus de hac electione in condictionibus primi instrumenti. Si dubitaretur utrum pro alicuius dotis restitutione sit obligata vel qualibet alia causa, scribatur hoc modo. « Sed insuper dictus venditor totam falcidiam que sibi obvenire posset in singulis suis possessionibus vel talem suam vineam dictis procuratoribus recipientibus procuratorio nomine pro dictis emptoribus hoc modo, quod, si extiterit fideicommissi conditio et res dicta tota vel pars deberet restitui, vel propter hoc dampnum aliquod sustinuerint emptores, eo quod alii sit obligata vel alicui conditioni supposita, quod ex dictis rebus sua auctoritate et ex aliis bonis venditor te conservet indempnem tam de pena quam de ipsa re et omni sumptu, quas res omnes se nomine emptorum possidere constituit. Confines tales esse dixit. Actum in tali loco etc. Testes: Petrus et Martinus etc. Ego talis notarius etc. »

« Ego quidem Gaius hoc venditionis instrumento presenti die iure proprio vendo et trado vobis Saphyro et
c. 5, b. Eufrosino filiis Archantici recipientibus procuratorio nomine pro Seio et Pamphilo filiis quondam Martini, et eorum heredibus in perpetuum rem talem in tali loco positam etc. » et debet recurrere ad regulam primi instrumenti proprietatis et seriatim per ordinem scribere ut ibi continetur usque ad finem instrumenti in confinibus, in pretio et in omnibus, hoc solum variato ab illo instru- c. 6, a.
mento, quia ubicumque facis mentionem eorum qui recipiunt instrumentum debes dicere: « Vobis procuratorio nomine recipientibus pro predictis emptoribus et eorum heredibus » et semper debes eos nominare et hoc quod diximus quod debet sequi regulam primi instrumenti hoc idem dicimus in singulis instrumentis venditionium et permutationum esse tenendum et servandum.

« Cartam venditionis iure proprio fecerunt Titius et Sempronius Seio filio Martini de medietate unius petie terre arative posite in tali loco recipienti pro se tertiam partem illius medietatis et procuratorio nomine pro fratre suo Mevio duas partes illius medietatis pro indiviso et terciam de alia medietate dicte petie terre pro indiviso, c. 6, b.
recipienti pro se et procuratorio nomine pro fratre suo Lucensi equis portionibus et eorum omnibus heredibus in proprium pro tali pretio, quod fuerint confessi se recepisse a predictis emptoribus pro se et eorum consortibus solventibus pro quolibet secundum portionem cuiuslibet contingentem, renuntiantes non numerati et non soluti pretii exceptionibus, e quilibet in solidum legitimam defensionem sub pena dupli promisit, renuntiantes nove constitutionis beneficio, et dederunt licentiam eorum au- c. 7, a.
ctoritate in possessionem intrandi et se nomine emptorum possidere constituerunt. Confines etc. Actum in tali. »

« Nos quidem Titius et Sempronius hoc venditionis instrumento presenti die iure proprio vendimus et tradimus tibi Martino filio Johannis medietatem unius petie terre arative posite in tali loco pro indiviso recipienti pro te tertiam partem illius medietatis et procuratorio nomine pro parte tua Mevio duas partes illius medietatis et tibi tertio recipienti pro te et procuratorio nomine pro fratre tuo Lucensi et vestris omnibus heredibus in perpetuum aliam medietatem predicte petie terre pro indiviso etc. » et decurre ad regulam primi instrumenti et dic usque huc: « vel si qui alii confines sunt, omnia, ut prediximus, et que intra hos fines continentur in integrum presenti a vobis recepimus pro vobis et dictis vestris consortibus, pro quolibet secundum portionem sibi contingentem, vendimus, tra- c. 7, b.
dimus vobis prenominatis emptoribus recipientibus pro vobis et dictis vestris consortibus et vestris et eorum heredibus in perpetum secundum portionem cuiuslibet contingentem ad habendum, tenendum, ac possidendum et quicquid vobis et dictis vestris fratribus et vestris et eorum heredibus deinceps placuerit faciendum, vestraque auctoritate in possessionem vestro nomine et dictorum vestrorum consortium intrandum, promittentes per nos nostrosque heredes huius rei nomine litem nec controversiam movere, sed quilibet nostrum in solidum renuntiantes nove consti-

Source : BIU Cujas

tutionis beneficio vobis et vestris heredibus recipientibus ut dictum est pro vobis et dictis vestris consortibus et eorum heredibus legitime ab omni honere defendere et auctorizare. Si vero per nos nostrosque heredes predicta omnia non observaverimus, pene nomine predicte rei duplum eiusdem bonitatis et extimationis dare, omneque dampnum litisve expensas vobis recipientibus pro vobis et dictis vestris consortibus ut dictum est resarcire promittimus. Et insuper hoc venditionis instrumentum ut supra legitur semper incorruptum tenere spondemus. »

« Actum in tali loco, sub tali porticu, vel in tali ecclesia, indictione predicta, prefatis venditoribus scribere mandantibus. »

« Interfuerunt Albertus et Gaius et Ypolitus et huius rei vocati sunt testes. »

« Ego talis tabellio interfui et ut supra legitur rogatus subscripsi. »

« Cartam venditionis iure proprio fecit Titius IIII. sta. unius petie terre arative vel vineate posite in tali loco pro indiviso Seio et eius heredibus et Rogerio de duabus sta. eiusdem petie terre pro indiviso eidem Seio et eius heredi in perpetuum » et dic ut diximus in superiori instrumento de pretio: « pro tali pretio » si solvitur ibi vel alibi « et promisit quilibet venditorum legitimam defensionem emptori pro ea parte qua vendit sub pena dupli.
c. 8, a. Constituerunt se possidere emptoris nomine et dederunt licentiam intrandi in possessionem, et insuper Martinus filius dicti venditoris dictam venditionem a Rubino patre suo factam firmam et ratam perpetuo tenere et eam dicto emptori legittime ab omni homine defendere et auctorizare promisit sub pena pupli, et ea firma tenere, et eidem venditioni consensit; et si quod ius in ea re habebat, penitus renuntiavit et iuravit more minorum. Et insuper Lucivius obligat de mandato Rogerium in subsidium ipso emptori vineam suam de tali loco iuxta talem, ut si res vendita ab ipso Rogerio ipsi emptori fuerit evicta, vel lis mota de tota vel de parte, et dampnum inde consequeretur, et ab ipso Rogerio se non posset indempnem servare, quod ex ea indempnem servare debeat auctoritate sua vendendum vel obbligandum, vel apud se retinendo iusto pretio, et si ex ea non possit de aliis suis bonis vel in tali pena. Et insuper Lucius de mandato dicti Rogerii promisit ipsi emptori stipulanti ipsum et heredes omnes indempnes servare, si de re supra dicta Rogerio de venditione fuerit ei lis vel controversia mota de tota vel de parte, et dampnum inde subsequeretur sub tali pena, et ea soluta rata maneant predicta, si a venditore se indempnem servare non posset. » Ubi vero non in subsidium sed ut principalis datur, scribatur hoc modo. « Et insuper Lucius promisit principaliter dicto emptori stipulanti, si de predicta re in solidum vel de parte fuerit ei lis vel controversia mota et dampnum ex eo emptor substinuerit, quod eum servabit indempnem, sub tali pena et ea soluta, rata maneant renuntiando in hoc facto nove constitutionis beneficio sub obligatione talis rei etc. »

« Ego quidem Titius hoc venditionis instrumento presenti die iure proprio vendo et trado tibi Martino tuisque heredibus in perpetum IIII. sta. unius petie terre arative posite in tali loco in tali fundo pro indiviso, et ego Rogerius II. tornaturas eiusdem petie terre similiter iure proprio vendo et trado tibi prefato emptori tuisque heredibus in perpetuum pro indiviso cum superioribus et inferioribus » et cet. que secuntur in tenore primi instrumenti scribere secundum quod ibi dicitur usque huc « vel si qui alii confines sunt, omnium ut predicimus, et que intra hos fines continentur in integrum presenti die pro rata c. 8, b.
ut dictum est, et pro indiviso pro pretio X. lib. imperialium, portionem quam ego Titius vendo, et quolibet sta. portionis, quam ego Rogerius vendo pro pretio XX. sol. talis monete. » De solutione dic ut supra diximus in superioribus instrumentis, habita distinctione utrum ibi solutum fuerit vel non, tenendo semper regulam primi instrumenti usque huc: « vendimus et tradimus tibi prenominato emptori tuisque heredibus in perpetuum ad habendum » et cet. que secuntur usque huc in dicta regula « sed legitime ab omni homine tibi et tuis heredibus defendere et auctorizare quilibet nostrum pro rata secundum portionem quas vendimus. Si vero per nos nostrosque heredes predicta omnia non servaverimus, pene nomine predicte rei duplum eiusdem bonitatis et extimationis dare, omneque dampnum litisve expensas tibi tuisque heredibus resarcire promittimus pro rata tamen portatione venditorum. Et insuper hoc venditionis instrumentum ut supra legitur semper incorruptum tenere spondemus. Et insuper Albericus Rogerii venditoris filius promisit et iuravit et de eo et de fideiussore, si dederit, ut diximus supra in rogatione huius instrumenti. Actum in tali loco, prefatis venditoribus scribere mandantibus. Interfuerunt Petrus et Johannes et huius rei vocati sunt testes. Ego talis notarius interfui, rogatus subscripsi. »

Cum creditori est aliqua possessio sive res obligata, nec postulavit sibi dari eius possessio ex secundo decreto, et eam vendere desiderat secundum ius quod in ea habet, fiat venditio in re creditoris, que per ordinem nullo modo differt a venditione proprietatis nisi hoc solum, videlicet quia debet in rogatione dicere hoc modo: « Martinus vendidit iure creditoris Mevio rem talem in tali loco positam pro tali pretio » et dic de solutione ut supra diximus « et promisit legitimam defensionem iure creditorio sub pena dupli » et de possessione et de omnibus est dicendum ut in prima rogatione diximus, et quod dicimus in rogatione ista, idem dicimus essse servandum in instrumento venditionis, ut teneas regulam primi instrumenti per ordi- c. 9, a.
nem, hoc excepto, quod dicatur: » Vendo iure creditoris et promitto defendere iure creditoris » et venditor erit tutus.

Source : BIU Cujas

Instrumentum hoc primo directo factum et eius rogatio debet fieri ut rogatio proprietatis, et in instrumentum primum dicit instrumentum quod emptor debet facere illi pro quo emit, ita debet fieri ut subsequentis forma declarat:

« Ego quidem Titius confiteor suprascriptis vel supradictis presentibus me talem vineam, quam emi a tali, pro te Aristo emisse, et pretium quod in ea solvi de tuo solvisse nec dolum vel fraudem commisi in ea, nec alii dedi seu vendidi vel alienavi nec, ius quod in ea habui in alium transtuli, nec aliquem contractum in fraude alienationis ex ea re nec de aliquo iure ex ea, de tota vel de parte feci. Et si aliquo modo, aliquo tempore, contra hoc factum fuisse, tu Aristo vel tui heres invenies, et propter hoc dampnum substinueris, promitto tibi nomine pene duplum predicte rei solvere, et ea soluta, rata maneant predicta. Quare tibi Aristo do et concedo, mando omne ius, omnem actionem, quod et quam habes et habui in predicta re adversus quemcumque eius nomine directas et utiles, ut tuo nomine possis agere et experiri et te tueri et excipere et replicare ut egomet possem, et te procuratorem in rem tuam constituo donec corporaliter intraveris possessionem, et me tuo nomine possidere constituo, et licentiam hanc tua auctoritate in possessionem eiusdem rei intrandi concedo. »

c. 9, b. « Cartam venditionis iure proprio fecit Phylosus Dactilo et eius heredi de petia idest terre vineate, posita in tali loco cum ingambatoria quam habet a latere sero, quam terram Titio vendiderat nec instrumentum eiusdem ipsa re fecerat. Quapropter eo Titio presente et mandante dicto Dactilo cui Titius vendiderat secundo hanc cartam Phylosus fecit pro tali pretio » et dic de solutione ut supra diximus in prima rogatione proprietatis « et promisit ipsi Dactilo legitime defendere sub pena dupli, et se nomine Dactili de ipsa possessione constituit donec sua auctoritate, corporaliter intrandi possessionem..., et dedit eis licentiam possessionem intrandi. Confines petie tales dicuntur esse, fines vero inganbatorie tales. Actum in tali loco etc. »

« Constat me Panfilum quidem vendidisse tibi Titio petiam unam terre arative positam in tali loco, cum ingambatoria quam habent a latere sero nec tibi ex ea instrumentum venditionis fecisse, et pretium quod fuit X. lib. talis monete, a se recepisse. Cum tu asseris Datilo se rem eamdem vendidisse, pretium ex ea tibi iam renuntiatum esse, idcirco se presente et mandante eandem rem tibi prefato Dactilo presenti do et trado, prefatam rem cum ingambatoria sua » et cum superioribus etc. que secuntur in regula primi instrumenti proprietatis usque huc; « vel si qui alii confines sunt, ut predixi et que intra hos fines continentur in integrum presenti die do et trado tibi prefato Dactilo ad habendum etc. » et sic debes currere ad regulam primi instrumenti, et dic ut ibi dicitur usque in finem. Idem dicimus esse tenendum, et eodem modo fiat instrumentum in hoc casu, scilicet si primus emptor rem quam emit alii ex causa permutationis dedit, et discrepat in tantum quod ibi ubi hic ponitur pretium, debent describi res quas primum accepit ab eo cum permutat, et sic per ordinem venditor faciat instrumentum permutatori ut in hoc instrumento dicitur.

« Cartam permutationis fecit Sempronius Titio de domo c. 10, a.
una posita in territorio Sale in tali loco, pro alia domo quam Gaius eidem Sempronio dedit nomine ipsius Sempronii in Argellata, de qua nondum instrumentum acceperat. Quam domum de Sala dictus Titius Sempronio legitime defendere sub pena dupli, et promisit se possidere pro eodem Sempronio donec corporaliter intraverit possessionem, constituit et sua autoritate in possessionem intrandum. Confines petie de Sala etc. »

« Ego quidem Titius hoc permutationis instrumento presenti die iure proprio do, trado tibi Sempronio tuisque heredibus in perpetuum domum unam positam in territorio Sale in tali loco est, que sequuntur per ordinem in instrumento proprietatis ita scribere in hoc, et in loco ubi ponitur in primo instrumento pretium scribere, rem que datur pro hac re, et oppone a quo datur et sic sequaris regulam illius instrumenti usque in finem, et nichil discrepat regula huius instrumenti a regula illius nisi quod ubi in illo dicitur venditionis et hic dicitur permutationis instrumentum: hoc generaliter dicimus nichil aliud differt unum instrumentum ab alio nisi, ut dicimus, de re loco pretii scribenda; que datur; de omnibus aliis usque in finem instrumenti proprietatis sequatur regulam.

Instrumentum hoc eodem modo fit ut instrumentum proprietatis, verumtamen ille qui recipit pro ecclesia vel pro aliquo religioso loco ita debet semper scribi: Tibi recipienti ad honorem Dei et Sancti talis vel Hospitalis et semper ubicumque fit mentio receptoris instrumento semper debet reiterare « ad honorem Dei et dicte ecclesie » retinendo regulam primi instrumenti.

« Tantum testium dictis percepi ego Aristo qui dixerunt c. 10, b.
eorum iuramento interfuisse in ecclesia tali ubi pater meus Lucius vineam suam de Lupuleto tibi Elifrosio vendidit nec ex ea tibi aliquod instrumentum venditionis fecit, idcirco eius obsecundans conventioni hoc venditionis instrumento presenti die iure proprio tibi prefato Eufrosino tuisque heredibus in perpetuum prefatam vineam do et trado » et cet. que sequuntur per ordinem in instrumento proprietatis scribere usque ad ultimum, et ita subscribat tabellio: Ego talis notarius his omnibus interfui et ut supra legitur rogatus subscripsi. »

Si quis creditor cautionem suam amiserit; rediens ad personam rogat eum ut ei reficiat, vel emptor instrumentum vel si quis ius alicuius interest ammissum

Source : BIU Cujas

non esse, si creditor fuerit, nullo modo tabellio iterum faciet nisi auctoritatem, pretore et debitore presente, quia posset fraus intervenisse decipiendorum creditorum. Etiam si placuerit debitori nullo modo faciat notarius nisi obligatio de novo fiat, vel si fecerit faciat cautionis prime mentionem hoc modo: « Cum Titius XX. lib. talis monete tali die mutuo Sempronio dedisset et eidem Titio de his solvendis cautionem fecisset, sed quia Titius eam ammisisse asserit, idcirco de mandato dicti debitoris aliam eodem tenore in scripturam et formam publicam reduco. » Et incipiat cautionem et faciat totam cautionem per ordinem, et ea facta ita subscribat; « Ego talis notarius hanc cartam debitore mandante bis subscripsi. » Si autem instrumentum fuerit emptionis, donationis et permutationis, libertatis, testamentum et similia, potest tabellio sine alicuius iactura totiens facere quotiens admitteretur. Si vero
c. 11, a. auctore Pretore reficiat, talis ammissor iuramentum prestare quod instrumentum sive cautionem illam quam dicit amisisse, nec dolo fecit quominus possideret, et si aliquo tempore eam invenerit quod dabit eam rectori cautio vel debitori vel illi cui interesset et in illius deinceps sit utilitatis. Hoc iuramentum in cautione vel instrumentum scribatur.

« Cartam venditionis fecit Matheus Iohanni et eius heredi de petia una terre arative posite in tali loco vice, sive procuratorio nomine Petri, filii quondam talis, cuius res est supra scripta, qui ipsi Matheo commisit venditionis instrumentum facere, ut per scripturam publicam a me tali notario visam apparet, pro tali pretio quod eidem Petro solverat vel ipsi Matheo pro eo recipienti, infradictis testibu spresentibus, et eius vice defendere legitime promisit sub pena dupli. » De possessione dic ut in aliis ut supra diximus et de confinibus.

Instrumentum istud nichil discrepat a primo instrumento proprietatis fere nisi hoc solum, quia ille procurator qui alieno nomine vendit debet hoc modo instrumento poni: « Ego quidem Matheus procurator Petri ad hoc instrumentum faciendum sua vice ut continetur in carta scripta per manum talis notarii quam infrascriptis notarius vidit et legit hoc venditionis instrumento prosenti die iure proprio do et trado tibi Iohanni tuisque heredibus in perpetuum in tali loco rem talem positam, quam tibi dictus Petrus vendidit: mihi mandavit instrumentum facere ut dictum est, cum superioribus » et cet per ordinem que continentur in instrumento proprietatis; sed ubi promittit, dicat se nomine dicti Petri promittere. « Ego talis notarius his omnibus interfui et ut supra legi mandato procuratoris et venditoris subscripsi », et si venditor non mandavit, sed notarius vidit instrumentum procuratoris nomine, dic ita: « Mandato procuratoris rogatus subscripsi, et instrumentum procuratoris ut supra dicitur vidi et legi. »

« Titius iure proprio dedit et tradidit Gaio genero suo
c. 11, b. domum talem in tali loco posita pro supplendo dotis quam ei promisit, scilicet pro tot denariis, et illos denarios sibi computavit et retinuit vice dotis pro filia illius Titii, Oristilla nomine, quam ipsi Gaio in matrimonio copulaverat et dictam rem eidem suo genero legittime defendere et auctorizare promisit sub pena dupli. » De possessione dic ut in aliis diximus.

Datur in solutum quandoque a pretore res debitoris, quandoque ab ipso debitore. Cum datur a pretore pluribus modis fit: fit autem ut creditor postulat mitti in possessionem ex primo et ex secundo decreto, et qui missus in possessionem fuerit ex utroque datis indutiis debitori, secundum quod sederit iudici, habet exinde rem pleno iure, et hoc modo fiat inde instrumentum « Anno domini millesimo CC., tali die, indictione tali. Cum Titius XII. debet Sempronio, ut ostendebat per scripturam publicam nec ad earum solutionem veniret et a rectore talis civitatis multotiens requisitus nec solvit, et creditore talis rei sibi obligate dominium impetrante, et dilationibus plurimis a rectore debitori datis, dictus rector ex sua iurisdictione sive auctoritate communis Bononie, dictum creditorem per talem executorem in prefate rei possessionem ex primo et secundo decreto mitti iussit atque mandavit, sicuti veritas rei se haberet de missione primi vel secundi decreti pro tot denariis et eorum accessionibus currentibus sive cursis a tali tempore, scilicet pro tot denariis. »

Datur etiam hoc modo in solidum a pretore cum debitor non apparet, vel si apparet, et cessio bonorum facta fuerit, vel si non fuerit facta iudex dividit bona inter creditores. Sed quod ius dictat qui prior est tempore potior iure, nisi forte concordia creditorum equa lance dividentur inter eos per libram, et hoc modo fit per sententiam, cognita veritate, quantum sit debitum, et idest si tantum est unus creditor si bona debitoris dantur ei in solidum, et talis potest esse sententia:

« Ego talis iudex sive extimator ex delegatione talis rectoris cognita petitionis facte actione de Panfilo, qui dicebat sibi ex causa mutui vel ex restitutione dotis C. lib. ex tali causa ei debere et de hoc instrumento pignus ostendebat, eo vocato et veniente et debitum confitente et c. 12, a.
allegante se unde solveret non habere nisi tale domum vel vineam, vel forte non invento et vicinis, agnatis et cognatis requisitis, nec fuit qui eum defenderet, et domo eius tali diligenter subastata ipsam solutum dari pronuntio, et etiam dicto Titio creditori pro tot. den. et aliam talem rem pro X. libris. » Aliter de in solutum datione.

Datur etiam hoc modo in solutum a pretore. Pone quod lata sit sententia contractuum nec invenitur in bonis eius peccunia: bonis eius subastatis debent in solutum creditori dari nisi alius appareret, qui meliorem offerret conditionem; cui creditor iure creditoris vendat. Instrumenti tenor talis est:

Source : BIU Cujas

« Ego quidem Titius iure creditoris vendo et trado tibi Arcantico tuisque heredibus, si proprium, in perpetuum, si condititium, unde pertinuerit rem talem in tali loco positam que mihi obligata erat a Gaio pro C. lib. pi. superioribus » et cet. secque untur in instrumento proprietatis usque in finem, excepto hoc, quod ubi promittit rei defensionem, debet sibi in re creditoris nisi se sponte vellet obligare.

Datur etiam in solutum a debitore ipsi creditori et fit hoc modo:

« Ego quidem Titius huius instrumenti tenore pro X. lib. imperialium quas tibi Martino debebam do et trado tibi in solutum pro predicto pretio rem meam talem. » Si res sit mobilis dicat ita, ut deinceps habet Titius possessionem. Et quicquid tibi tuisque heredibus placuerit faciendum et possessionem eius trado; quam rem tibi legitime defendere et auctorizare sub tali pena promitto, et pena soluta, ratum maneat. » Pro eodem modo potest dici de re immobili; sed quia consuetudo instrumentorum repugnat, non quod minus vel plus valeat, demum quod instrumentum secundum quod in hoc eodem instrumento diximus incipiat regulam instrumenti proprietatis.

Si mulier, mortuo viro, non habet unde filios alat nisi de bonis eorum venderet, oportet ut eis detur tutor vel curator ad venditionem faciendam, et faciat venditionem autore pretore iudiciaria cognitione (1) secundum nostram consuetudinem. Et habita diligenti inquisitione secundum iuris ordinem ita faciat instrumentum: « Ego quidem talis
c. 12, b. tutor vel curator talium pupillorum, cum Berta mater eorum non haberet unde eos aleret vel cum ipsi gravi debito tenerentur nec in ereditate invenirent unde solutio fieri posset, nisi dicta vinea venderetur, quia teneor iuramento que credidero eis esse utilia admittere et inutilia pretermittere, et quia credo eis magis utile esse eam vendere quam retinere, iudiciaria cognitione talis iudicis communis et auctoritate domini Gai pot. prat. in hac venditione suffulta et ideo interposita, hoc venditionis instrumento presenti die, tutorio vel curatorio nomine, si est tutor vel curator, vendo et trado tibi Titio tuisque heredibus in perpetuo rem talem in tali loco positam, que est dictorum pupillorum, cum superioribus et inferioribus » et cet. per ordinem que sequuntur in instrumento proprietatis usque in finem instrumenti. Inseratur tamen causa in instrumento quicquid de pretio fiat, et promittat rei defensionem tutorio nomine vel curatorio. Et quicquid facit, tutorio vel curatorio nomine faciat.

Si tutor vel curator datus sit in testamento, debet adhire pretorem ut in tutela vel cura confirmetur, licet in iure dicatur curatorem in testamento dari non posse, sed si datur confirmatur. Nam petenti et volenti datur curator. Si vero pupillus est curatore destitutus, diligenti (1) habita inquisitione iudicis debet dari, scilicet utrum sit dives et communis fame, utrum sit debitor vel creditor pupilli, in quo casu non admittitur, utrum habeat proximiorem et si ille sit utilior pupillo. Et hoc facto debet admitti cum fideiussore et idem in curatorem dicimus, tutorem cautum habenti tutor dari non potest; sed si expedierit pupillus, adiungatur ei curator habita inquisitione ut diximus. Item datur curator ad certam causam, scilicet si adversus adultus vult convenire vel conveniri et durat usque ad finem cavere. Nam tutela durat donec pupillus vel pupilla fuerit adultus vel adulta idest ma- c. 13, a.
sculus XIIII. annos, femina vero XII annos. Iuramentum tutoris et curatoris hoc est, scilicet iurat ea que credidderit et extimaverit pupillo vel adulto esse utilia admittere et inutilia pretermittere et eius personam et res bona fide custodire, et hec omnia promittat servare, pupillo attendere pro eo stipulanti et quod faciet inventarium secundum iuris ordinem sub obligatione suorum bonorum. Et eodem modo debet premittere procurator adulto suo, et de his debet fideiussorem dare.

Instrumentum eius talis ita fiat: « Cum Lucius filius condam Martini tutorem non habebat et mater eius Mevia vel talis consanguineus veniens coram domino Ugone potestate, et ipsi pupillo tutorem ab eo dari petiit; qui potestas civitatis agnatis et cognatis pupilli diligenti inquisitione habita, ut diximus, iudiciaria cognitione talis iudicis communis Gaium sua et communis Bononie autoritate in tutela ipsius pupilli constituit ipsumque tutorem dedit, qui tutor iuravit ea que credidderit » et cet. secundum quod supra nunc diximus scribitur iuramentum, et fideiussor prestito iuramento tutoris, hoc modo debet recipi: « Et insuper dictus Titius promisit per stipulationem dicto pupillo vel mihi tali notario pro dicto pupillo stipulanti, quod faciet dictum tutorem predicta omnia servare, et si non faceret, quod ipsum servabit indempnem sub obligatione suorum bonorum. » Quod diximus in tutore et fideiussore eius, idem dicamus in curatore et eius fideiussore.

Inventarium fit pluribus de causis. Fit inventarium a tutore et tutore super rebus pupillorum, et adultorum ne eorum bonis defraudentur: fit etiam a filiis ab illis personis heredibus institutis vel etiam ab intestato succedentibus ad hoc, ut sint certi utrum hereditas sit dampnosa vel lucrosa ad quam cupiunt adire, vel se in ea misceri ut habeant tempus ad deliberandum a legibus statutum, et sit hoc modo quandoque per unum tabularium quandoque per plures. Sed lex dicit quod debet fieri in presentia publicarum personarum, idest publicum no- c. 13, b.
tarium. Initio secundum ius manu propria tutoris vel curatoris sive heredis signum crucis poni. Sed consuetudo nostra est quod notarius omnia scribit hoc modo facto signo crucis in initio.

(1) *Cod.* congnatione.

(2) *Cod.* diligendi.

Source : BIU Cujas

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti amen. Inventarium factum super rebus Titii filii condam Gaii anno domini M.CC. die tali, indictione tali. Quapropter ego quidem Sempronius tutor vel curator dicti Titii quia scio me iuramento et iure teneri bona dicti Titii non administrare, nisi primo publice rerum suarum inventarium facerem, eorumque quantitatem et qualitatem ad ipsius Titii utilitatem ut eorum sit in posterum memoria ne suis bonis defraudari valeam, idcirco hoc inventarium suarum rerum per tabellionem facere et describere antequam administrarem incipere ordinavi. In cuius hereditate huiusmodi res inventas habet. In primis talem rem in tali loco iuxta talem. Tot nomina debitorum inveni; Iohannem ipsi pupillo tot denarios debere, ut continetur in cautione tali; Saphirum ad laborandum tot boves, ut apparet per talem scripturam per talem notarium confectam. Item tot creditores inveni: patrem eius fuisse Mevio obligatum in C. sol. vel ipsum pupillum ex contractu paterno. In arca X. Debentur matri sue ex causa dotis C. lib.; et sic per ordinem omnia que inventa fuerint habere in hereditate sciphos et parapsides et omnia. In fine scribantur testes ». Si vero eodem die non potest consumare, dicat in initio: « Tali die inventarium inceptum » non dicat « inventarium factum »; postea diem qua completur apponat et testes qui erunt tunc presentes, et in fine subscribatur tabellio: « Ego talis notarius hoc inventarium mandato dicti tutoris vel curatoris subscripsi. »

Heredis inventarium eodem modo fit, ut fit inventarium supradictum tutorum et curatorum in omnibus et per omnia, preter quia in supradicto dicitur quod fit pupil-
c. 14, a. lorum vel adultorum ne bonis eorum defraudentur, et hoc fit ad utilitatem eorum qui illud faciunt ne inconsulte adheant hereditatem dampnosam vel in ea sua misceant ne creditoribus satisfacere teneantur. Quod incipit signo crucis in initio facto ut supra diximus. « ✠. Inventarium factum sive inceptum super rebus et possessionibus que fuerunt condam Titii anno domini tali die, tali indictione. Ego quidem Matheus sciens vel credens me a Mauritio condam meo patruo heredem institutum fore » vel dic ita si non fuerint institutus et ab intestato hereditatem habere cupit: « vel sciens Mauritio ab intestato succedere et a iure mihi tempus ad deliberandum fore concessum utrum adire vel eam repudiare velim, hoc inventarium super rebus quas in eius hereditate inveni publice per tabularium decribere procuravi. In cuius hereditate huiusmodi res inventas habeo. In primis domum unam vel duas in tali loco positas iuxta tales et sic de ceteris rebus que inveniuntur in hereditate et debita que dentur ut supra diximus in alio inventario omnibus scriptis dicat. Actum in tali loco, indictione predicta, prefato Matheo scribere mandante. Interfuerunt Barbarus, Archinus et Pompeius et huius rei vocati sunt testes. Ego talis notarius hoc inventarium mandato dicti Mathei ut supra legitur subscripsi. »

« Nos quidem Titius et Archinus commissari condam Gai, quia debito tali tenebatur, iussit in suo testamento vineam suam de Muratellis vendi et domum talem. Idcirco eius iussionem secuti, hoc venditionis instrumento presenti die dictam domum, vendimus et tradimus tibi Rogerio tuisque heredibus in perpetuum cum superioribus » et cet. que sequuntur in instrumento proprietatis usque eo: « pro tali pretio quod recepimus et in tali debito defuncti solvimus ad habendum, tenendum etc. » usque in finem instrumenti proprietatis excepto quod promissionem rei defensionis debet promittere hoc modo: « ab omni quoque homine scriptam rem secundum rationem defuncti legitime defendere et auctorizare sub pena dupli promittimus etc. »

« Ego quidem Titius hoc venditionis instrumento pre- c. 14, b.
senti die vendo et trado tibi Rubino tuisque heredibus in perpetuum domum unam cum solo et hedificio et casamento, cum ingambatoriis, post eam insimilem se continentibus quam a Saphiro huc usque in feudum retinuisti vel emisti vel ex tali causa habuisti cum superioribus et inferioribus » et cet. que sequuntur in instrumento proprietatis usque in finem. Si vero dat ei in emphyteusim faciat ei instrumentum in emphiteusim totum per ordinem, ut legitur infra in primo emphiteotico instrumento secundi libri, hoc adiecto cum dicis: « do et concedo rem talem tibi, quam emisti a tali Titio per emphiteusim, vel in feudum a tali habebas cum superioribus etc. »

Potes constitui sindicus et actor a corpore vel ab universitate vel collegio, non ab una persona; et cum constituitur a civitate sive a vico vel ab aliquo corpore, debent coadunari et rector civitatum sive corporis, sive vicarius mandato omnium debet ipsum putativum actorem, sive sindicum constituere, si voluerit generaliter vel tantum ad certam causam in instrumento agendo, defendendo et omnia exercendo que in ea causa fuerint necessaria, et ad appellandum, et ad transigendum ed ad componendum. Si vero universitas vel collegium vult constituere eodem modo faciat prior vel abbas de fratribus et conversis ecclesie et sindicum vel actorem constituant. Instrumenti tenor talis est:

« Albertus dei gratia abbas monasterii Sancti Felicis presentibus et mandantibus fratribus suis, scilicet domino tali monacho » et sic ceteri nomentur « constituit Iohannem sindicum universitatis sive collegii dicti monasterii in causa tali quam dictum monasterium cum tali homine suspicatur habere, vel ad omnem causam quam monasterium cum quacumque persona est habiturum instituendo, agendo, defendendo, acciones proponendo, exci- c. 15, a.
piendo, replicando et ad omnia que cause fuerunt neces-

Source : BIU Cujas

saria exercendo et ad appellandum et ad componendum nomine ipsius monasterii si voluerit ut habeat potestatem transigendi. » Et quod diximus in sindici constitutione idem dicimus esse servandum in actoris constitutione sed in procuratore secus est; nam sindicus et actor sunt domini litis et iurant de calumpnia: procurator non iurat de calumpnia.

Procurator a quolibet maiore XXV. annorum constitui potest, et etiam a curatore et tutore post litem contestatam potest etiam constitui; similiter a sindico et actore post litis contestationem potest constitui ab universitate, civitate, collegio tam ad iudicium quam ad aliam rem faciendam, puta ad recipiendam obligationem vel ad obligandum se constituitur hoc modo.

« Ego talis abbas vel plebanus vel archidiachonus, presentibus et consentientibus fratribus meis, etiam presbitero tali et diacono tali » et sic nominare ceteros « vel ego Titius constituo Mevium procuratorem ad representandum se nomine dicte ecclesie vel nomine meo coram tali iudice a summo pontifice delegato in tali causa quam dicta ecclesia vel ego spero habere vel habeo cum tali homine ad petendum terminum et ordinandum vel ad respondendum vel ad sententiam audiendam vel ad appellandum, vel ad talem rem faciendam, et quicquid fecerit me firmum et ratum habere promitto, » et sic nominet semper specialiter ad quid constituatur « et ad omnia et generale habeat mandatum. »

LIBER SECUNDUS.

Cum contractus emphyteosis quod interpretatur contractus meliorationis debet celebrari ab iconomo sive prelato alicuius ecclesie vel religiosi cenobii sive Hospitalis, debet fieri secundum iura sub presentia venerabilis anti-
c. 15, b. stitis, et debet fieri vel pro debito ecclesie, vel pro eius refectione vel suarum domorum ruinatarum, vel pro redemptione captivorum et his similibus, habita diligenti inquisitione antistitis secundum quod diximus de inquisitione rerum minorum cum alienantur debet fieri. Nam ecclesia optinet vicem minorum ubi decipitur; et debet queri utrum habeat alias res minoris utilitatis que possint dari et in quibus negotis pretium solvatur. His similibus diligenter visis et inquisitis, debet celebrari contractus et debet statui certa pensio et tempus renovationis. Sed consuetudo bononiensis civitatis longa non in scriptis approbata non desiderat hodie tantam solempnitatem; verum ita facere consuevimus cum prelatus contrahit sive sanctimonialis vocatis fratribus et sororibus et Deo dicatis, queritur quare fit hic contractus, et dicta causa quid de pretio fit, forte pro indumentis, forte pro victualibus, forte po emptione aliqua et hec causa instrumento inseratur. Si est alia ecclesia convocantur vicini et patroni et si consentiunt, adiecta causa quid fiat de pretio, etiam prelatus sive sanctimonialis abbatissa faciunt contractum et fratres et sorores consentiunt, et eodem modo facit sacerdos patronis et vicinis consentientibus. Rogationis tenor talis est:

« Dedit emphyteosim dominus Gaius Dei gratia abbas monasterii Sancti Proculi, presentibus et consentientibus fratribus suis monachis et conversis eiusdem monasterii, Seio donno Alberto et donno Titio monacho, et tali converso » et sic de ceteris « Titio et eius heredibus domum unam positam in civitate Bononie cum solo et hedificio et curte et orto, post eam positam in omnibus appenditiis et adiacentiis suis, pretio C. lib. bon. quod in presenti dicto abbati solvit pro solvendo Gaio, cui monasterium debebat, vel pro tali petia terre quam dicto abbati ven- c. 16, a.
didit » si ille presens esset cui debetur peccunia et ei solveretur tutius esset et diceretur: « pro tali pretio quod solvit Titio cui monasterium debebat pro tali causa, pro tali pensione omni anno solvenda ipsi abbati et eius successoribus usque ad tertiam generationem exactam, in quarta ad removendum, sub pena dupli et defensione legitima, et constituit se nomine emphyteoticario dictam rem de cetero possidere; et dedit ei licentiam possessionem intrandi. Confines cuius hii sunt: a mane possessio Titii etc. Actum in tali loco. »

« Petitionibus emphyteotecariis annuendo ego quidem dominus Gaius dei gratia abbas monasterii, presentibus et consentientibus fratribus meis, scilicet donno Alberto monacho et donno Johanne monacho et presbitero Alberto et Johanne, conversus hoc emphyteosis instrumento presenti die do et concedo tibi Martino tuisque heredibus domum unam cum solo et hedificio et curte, post eam positam in civitate Bononie in porta nova, in parrocchia Sancti Petri, cum superioribus finibus accessionibus et egressibus suis usque in via publica et cum omnibus appenditiis et adiacentiis suis. Confines cuius esse dicuntur hii: a mane possessio talis, a sero talis, a superiori talis, ab inferiori talis. » Si vero dicatur quanta sit, ita scribatur: « a mane iuxta tales sunt pedes tot », et sic de ceteris confinibus his factis dicat « vel si qui alii confines sunt omnia ut predixi et que intra hos fines continentur in integrum presenti die, pro pretio C. lib. bon. quod totum solvisti Gaio cui monasterium dare tenebatur pro tali re quam emi ab eo pro monasterio; quod michi te solvisse confiteor vel in IIII. bubus et una vacca, vel vestibus fratrum meorum iis in c. 16, b.
dispendio cause quam monasterium habet cum tali abbate Sancti talis, » et sic usque inseratur causa, quid de pretio fit « do et concedo tibi prenominato emphyteoticario tuisque heredibus ad habendum, tenendum ac possidendum et quicquid tibi tuisque heredibus deinceps placuerit faciendum, et me de cetero huius rei possessorem tuo nomine constituo, donec corporaliter intraveris possessionem, in qua intrandi tibi licentiam tua auctoritate concedo; et liceat tibi et tuis heredibus singulis annis pensionem nomine dn. idest bon. in mense martii michi et meis successoribus solvere; et post tuam tertiam progeniem exactam novum emphiteosis instrumentum hoc ordine innovetur, datis tot denariis pro renuntiatione » Si dictum inter eos

Source : BIU Cujas

fuerit de certa pecunia pro remuneratione danda ab omni quoque homine prescriptam rem tibi et tuis heredibus legitime defendere et auctorizare atque disbrigare per me meosque fratres et successores promitto. Si vero per me meosque fratres et successores predicta omnia non servavero, pene nomine CC. lib. pi. tibi et tuis heredibus dare promitto et omne dampnum et expensas litis tibi tuisque heredibus resarcire promitto. Et insuper hoc emphyteosis instrumentum ut supra legitur semper incorruptum tenere spondeo. Actum in claustro predicti monasterii, indictione predicta, prefato domino abbate et dictis suis fratribus hoc emphyteosym instrumentum, ut supra legitur, scribere mandantibus. Interfuerunt Titius, Allexander, Antoninus et Martinus, et huius rei vocati sunt testes. Ego Rufinus notarius his omnibus interfui, et hoc emphyteosis instrumentum, ut supra legitur, rogatus subscripsi. »

Apera fit eodem modo in omnibus nisi in fine dicitur: « Actum in tali loco, indictione predicta, prefato emphy-
c. 17, a. teoticario scribere hanc aperam mandante », et notarius dicat: « Ego talis notarius hanc aperam ut supra legitur mandato dicti emphyteoticarii rogatus subscripsi.

Cum fit emphiteosis ab aliqua alia ecclesia, vocatis patronis et vicinis, faciat sacerdos instrumentum, consentientibus patronis et vicinis eodem modo, ut diximus de abbate et eius fratribus: regula de emphyteosis perpetua quandoque fit emphyteosim.

Et renovatio perpetuo non fiat sed pensio semper prestetur annuatim, et debet scribi eodem modo ut diximus de prima emphiteosi excepto quod de renovatione instrumenti nulla in instrumento emphyteosis debet fieri mentio sed totum aliud ita scribatur sicut ibi diximus.

Fit etiam emphyteosis ad certum tempus ut renovatio fiat, puta ut instrumento C. annorum que fit eodem modo ut supra, in prima emphyteosi diximus; sed ubi dicitur de renovatione instrumenti post tertiam progeniem facienda, dicatur tunc in capite: « C. annorum emphiteosis instrumentum hoc ordine innovetur ab omni quoque homine prescriptam rem » et cet. que ibi sequuntur.

« Ego quidem talis sacerdos vel talis prelatus do et concedo tibi Gaio tuisque heredibus iure emphiteosis domum meam quam habeo in tali loco iuxta talem hinc ad X. annos pro pensione tali quam mihi solvere stipulanti singulis annis promittis, sub tali pena, et ea soluta, hic contractus firmus permaneat. Quam domum usque ad predicta ipsis meis inpensis debeo cooperire et aptare, et talem cameram cum parietibus, vel murum in ea facere: que omnia firma tenere per me meosque heredes usque ad predictum tempus tibi et tuis heredibus promitto sub consimili, et pena soluta hec emphyteosim firma permaneat ».

« Ego quidem Titius hoc venditionis et concessionis instrumento presenti die vendo et concedo tibi Ionathe c. 17, b.
tuisque heredibus domum unam positam in parochia Sancti Donati cum medietate muri qui est iuxta eam a latere mane cum curia et orto et omni iure et actione ad me competentem vel pertinentem; que est emphyteosis beati Petri vel talis militis » si sit eius emphiteosis. Sed si ignorat dicat ita: « Presenti die vendo et concedo tibi Ionathe et tuis heredibus, salvo iure dominii, rem talem in tali loco positam, cum superioribus, inferioribus finibus, accessionibus suis usque in via publica. Confines etc. » et dic omnes fines, et his dictis incipe: « Vel si qui alii sunt confines, omnia ut predixi et que inter hos fines continentur in integrum presenti die pro tali pretio » et dic de solutione ut diximus instrumento proprietatis. Hoc dicto: « Vendo et concedo tibi prenominato emptori tuisque heredibus solvente te tuisque heredibus, omni anno in mense martii den. I. pi. ecclesie tali et ab eodem congruo tempore novum empyteosis instrumentum accipere » et hoc dicat cum scit cuius sit dominium. Cum autem ignorat, cuius sit dicat ita: » Vendo et concedo tibi prenominato emptori tuisque heredibus, salvo iure dominii, idest ad habendum, tenendum ac possidendum et quicquid tibi tuis heredibus dexinceps placeat faciendum, et me deinceps tuo nomine eam rem possidere constituo, donec corporaliter possessionem intraveris, et potestatem habeas tua auctoritate possessionem intrandi, promittendo per me meosque heredes huius rei nomine litem nec controversiam movere, » et cet. que secuntur in instrumento proprietatis usque in finem.

In emphyteosi privati non desideratur sollempnitas inquisitionis ut in ecclesiasticis. Instrumentum fit eodem modo ut instrumentum emphiteosis ecclesiarum. Hoc modo incipit: «Petitionibus emphyteoticariis annuendo, ego quidem Alphenus hoc emphyteosis instrumento presenti die do et concedo tibi Martino tuisque heredibus rem talem in tali loco positam » et dic per ordinem sicuti in primo instrumento emphyteosis diximus usque in finem; dic de pretio ut diximus et in omnibus aliis instrumentis superioribus proprietatis. Hoc tantum dic ubi dicitur: « Promitto per me meosque fratres et successores » dic: « Per me meosque heredes ». Item eandam securitatem tenetur c. 18, a.
prestare dominus in hoc contractu quemadmodum in venditionibus per se, per uxores, per nurum, per filium fratres et sorores et alios qui in hac re ius habent, ut est plenius tractatum de his securitatibus que supra scripte sunt in instrumento et rogatione proprietatis.

« Cartam venditionis et concessionis fecit Ulpianus Sempronio recipienti, pro se et pro nepotibus suis filiis, quondam Petri Martino et Iohanne tutorio nomine, de X. petiis terre, una quarum est arativa, et II. sunt prative, et V. sunt buscive, residue vero sunt vineate iacentibus in territorio Pollicini, arativa in loco qui dicitur Freu-

Source : BIU Cujas

dula, una de prativis in tali loco, et alia in tali » (et sic dic de ceteris locis designatis; dic : « medictatem quarum omnium pro se recipienti, aliam medietatem pro indiviso predictis suis nepotibus tutorio nomine et suis et eorum heredibus, salvo iure dominii, pro pretio tali » de solutione dic ut supradiximus in omnibus: Sub pensione X. den. omni anno dominium habendi solvenda, et congruo tempore renovetur » de possessione dic ut supra diximus. « Et promisit dicto emptori legitime defensionem sub pena dicta. Confines prime petie prative de tali loco tales sunt: a mane etc. » et dic per ordinem fines omnium. « Actum in tali loco. »

« Ego quidem Ulpianus hoc venditionis et concessionis instrumento presenti die vendo et concedo sibi Sempronio, suisque heredibus, salvo iure dominii, medietatem pro indiviso pro se recipienti tutorio nomine pro nepotibus suis Martino et Iohanne et suis heredibus, filiis condam fratris sui Petri, aliam medietatem pro indiviso X. petiarum terre positarum in territorio Pollicini, II. quarum
c. 18, b. sunt prative, et iacent in loco qui nuncupatur Fredula et V. sunt buscive; residue sunt arative, et sunt posite in Belcorname cum superioribus, inferioribus » et cet. que secuntur per ordinem instrumento proprietatis usque huc: « vel si qui alii confines sunt, omnia ut predixi que intra hos fines continentur in integrum presenti die, pretio tali », et dic de pretio ut supra in instrumento proprietatis diximus: dicto pretio, dic: « vendo et concedo tibi prenominato emptori tuis, suisque heredibus recipienti ut dictum est pro te, et curatorio nomine pro dictis tuis nepotibus, ad habendum, tenendum ac possidendum et quicquid tibi tuisque et eorum heredibus deinceps placuerit faciendum, solvendo tamen omni anno tot, et eius heredibus in mense martii nomine pene X. den., et ab eodem congruo tempore novum emphiteosis instrumentum accipere ab omniquoque homine prescriptam rem, legitime defendere et autorizare tibi recipienti ut dictum est pro te et curatorio nomine pro predictis tuis nepotibus et suis et tuis heredibus secundum portionem cuilibet contingentem stipulatione resarcire promitto. Si vero per me meosque heredes predicta omnia non servavero, pene nomine predicte rei duplum, eiusdem bonitatis et extimationis dare omneque dampnum, litisve expensas tibi recipienti pro te ut dictum est et tutorio nomine pro dictis tuis nepotibus et tuis et suis heredibus secundum portiones cuilibet contingentes stipulatione resarcire promitto. Et insuper hoc venditionis et concessionis instrumentum semper incorruptum tenere spondeo. Actum in tali loco etc. Prenominatus venditor ut supra legitur scribere rogavit. Interfuerunt Titius Gaius cuius etc. et huius rei vocatur testes. »

« Ego talis notarius interfui et ut supra legitur rogatus subscripsi. » Et quod dictum est in tutore supradicto dicimus esse servandum in eo qui recipit aliquod instrumentum proprietatis curatorio vel procuratorio nomine pro aliquo tam instrumento proprietatis quam emphyteosis, et semper ubi idem receptor nominatur et pro quo gerit debet nominari ut supra in proximo instrumento diximus.

Item dicimus quod sive iure proprio sive iure em- c. 19, a.
phyteotico permutatio fiat semper cautio uxoris est necessaria, scilicet ut consentiat et renuntiet iuri suo. Idem de nuru si dedit dotem dicimus et idem in obligatis.

Instrumentum renovationis eodem modo fit. Instrumentum primum emphyteosis in hoc discrepat: ubi in illo dicitur « emphyteosis instrumentum » in hoc dicitur « renovare instrumentum emphiteosim » : non desideratur in hoc de eo quod pro renovatione datur, ut inseratur in instrumento quid de eo fuit, sed si inseritur bonum est; nec oportet fieri mentio de possessionibus sed totum instrumentum secundum quod ibi dicitur scribatur, eo salvo quod hic diximus.

Est et aliud genus emphyteosis quod vulgo precaria nuncupatur et ex illis precarii fiunt, postea alia quedam instrumenta que dicuntur libellaria, et libellus iste fit ab eo qui precariam ab ecclesia vel ab aliquo privato accepit a ceteris qui postea illam precariam in alium transferunt; sed est talis nature, quod ille qui precariam possidet prestat pensionem quod ex ea debetur actori suo, idest illi a quo habuit, et ille cui datur tenetur dare suo actori donec pervenerit ad precariam, vel ad suo filios, vel heredes, et illi demum prestat domino pensionem nec renovatur etiam si per mille manus ambulaverit, nisi transacta tertia generatione precarii, scilicet receptoris primi qui desierit possessor statim re privatur et ad dominum revertitur, nisi forte dicti precarii vel eorum filii vel nepotes dedissent licentiam possessori precarie conveniendi se cum domino; et si ille qui habet hanc licentiam se cum domino convenerit, primus precarius postea nullum ius habet, sed iste qui conventione, factus est novus precarius ut ille erat et instrumentum precarie a domino recepit.

Datur precaria a domino alicui et filiis et nepotibus masculis et feminis ex eis descendentibus. Si omnes idest filii et nepotes precarii decederent, quicumque emisset, statim omittit et revertitur ad dominum, nisi forte ut diximus precarius dedisset licentiam conveniendi se cum c. 19, b.
domino et ille precarius intestatus sine predicta sobole decessisset conventione iam facta ab illo cui licentiam dederat. Datur etiam precaria alicui et suis filiis et heredibus. Si decederet iste precarius intestatus quod non instituit sibi heredem, similiter revertitur ad dominum, licet in aliis suis bonis legitimos habeat heredes. Si vero testamento condito et ex illa re instituit aliquem, institutus succedit in precariam. Et hec causa brevitatis dicta sufficiant.

« Dominus Petrus plebanus sive privatus sive archiepiscopus vel minister Sancti talis, fratribus suis scilicet presbitero Guidone et tali et tali presentibus et consen-

Source : BIU Cujas

tientibus, concessit in precariam Martino et suis filiis ac nepotibus legittimis masculis, qui si desierint tunc in filiabus ac neptibus (1) suis legitimis deveniat usque in tertiam generationem, in quarta ad renovandum, idest res tales in tali loco, pro tali pretio soluto in tali utilitate ecclesie ut diximus in primo instrumento emphyteosis », et de possessione dic ut ibidem diximus, et hoc ita ut non habeat potestatem vendendi iuxta legem sed libellum faciendum minoribus vel etiam equalibus prius ita quod ius domini imminuatur, non in servo, non in ecclesiis et si qui ex predictis precariis mortui fuerint sine predicto, erede mortui pars ad vivos precarios, propinquiores tamen, ad unum vel ad plures deveniat; et nomine pensionis solvat omni anno I. den. Et idem dominus legitimam defensionem promisit sub tali pena, et ea soluta, precaria firma permaneat si iuste petiit et sub eadem pena promisit precarius domino predictam servare et pena simpli etc. Confines. Actum. Testes. »

« Ego talis notarius interfui et ut supra legitur rogatus subscripsi » nec expediret ut aliter instrumentum fieret, quia sufficeret, et quod diximus in precariis ecclesie idem dicimus in precariis cuiusdam privati.

« Ego quidem Rogerius archidiaconus talis plebis, presentibus et consentientibus fratribus meis, scilicet tali presbitero, tali diacono et converso, precario concedo tibi Titio tuisque heredibus filiis ac nepotibus vel masculis,
c. 20, a. qui si desierint tunc in filiabus et neptibus vel feminis, deveniat, usque in tertiam generationem expletam, in quartam ad renovandum, idest nominatim res tales in tali loco positas, cum superioribus, inferioribus, finibus, accessionibus et egressibus suis usque in via publica. Confines huius hii sunt: a mane possessio talis etc. ita tamen ut tu predictus precarius tuique dicti filii filieque, nepotes et neptes secundum quod dictum est habeatis, teneatis, melioretis et de fructibus ipsarum rerum quicquid volueritis faciatis, pro tali pretio », et dic de eo ut in primo instrumento emphyteosis diximus, et idem de possessione « nec ullo modo habeatis licentiam vendendi, nisi iuxta legem, sed habeatis licentiam libellum faciendi in minoribus vel equalibus prius ita quod ius domini non minuantur. Et si quis ex predictis precariis mortuus fuerit sine predicto herede, mortui pars ad vivos precarios, propinquiores tamen, ad unum vel ad plures deveniat. Et omni anno tu precarius vel tui filii ac nepotes, filieque vel neptes mihi meisque successoribus I. den. exsolvatis. Ego vero predictus concessor per me meosque successores has res tibi nominato precario tuisque dictis heredibus ab omni homine legitime defendere et auctorizare promitto, si iuste petisti. Pena vero talis est ut si que pars pactum ut supra legitur non servaverit parti bona fide servanti C. sol. imperial. dare promisit; pena soluta hec precaria in sua maneat firmitate. Unde due precarie scripte sunt, in eodem tenore quia sic convenimus etc. Actum in tali loco etc. Ego talis notarius interfui et ut supra legitur rogatus subscripsi ». Et eodem modo fit, cum fit a privatis, excepto de pretio quod potest scribi etiam si nescitur, quid de eo fiat nisi esset minor, in quo casu iuret more minorum, ut supra diximus in instrumento proprietatis, vel debet dare expromissorem uti diximus.

« Omnis conventio vel pacto si scribitur, lecta scriptura
veritas facti lucidius et apertius invenitur. Ideoque in Dei c. 20, b.
nomine ego Rufillus filius condam Aristoti de loco Sancti Ioannis de Persiceto libelli nomine concedo tibi Alberto tuisque heredibus in tertiam generationem expletam ad renovandum nominatim, unam petiam terre casamenti vel arative iuris Sancti Petri vel Sancti Iohannis cum lateribus et eius pertinentiis, iacente prope fossam navigaturam vel in fundo Gordiano; quod casamentum talia habet latera: a mane iuxta Titium sunt pertice XII. legitime XII. pedum; a sero iuxta Iohannem sunt pedes X. et semissem unum; a meridie et ab aquilone totidem, vel si qui alii confines sunt, cum superioribus et inferioribus atque cum accessionibus et egressibus suis in integrum, tibi dicto libellario pro tali pretio » et dic de pretio et de possessione ut in aliis diximus supra, « do et concedo tibi, videlicet ut tu nominatus Albertus tuique heredes predictam rem habeatis tenendam et de fructibus ipsius quicquid volueritis faciatis sine omni mea mearumque heredum contradictione. Et si quis ex libellariis sine herede decesserit, eius pars ad vivos libellarios, propinquiores tamen, ad unum vel ad plures deveniat. Et omni anno in mense Martii tu prenominatus libellarius et tui heredes mihi nominato concessori et meis heredibus unum bononinum pensionis nomine persolvatis. Ego vero nominatus concessor per me meosque heredes predictam rem ab omni contradicente homine secundum legem defendere tibi libellario et tuis heredibus et autorizare promitto, et si hoc non fecerimus vel potuerimus tunc pene nomine C. sol. imperial. tibi et tuis heredibus dare promito; pena soluta, hic libellus in sua maneat firmitate. Actum in tali loco. Huius libelli Petrus et Iohannes et Martinus rogati sunt testes. Ego talis notarius huic libello conficiendo interfui et utriusque partis mandato subscripti ».

Rogatio libelli fit eodem modo ut fit de precaria que c. 21, a.
supra scripta est antequam instrumentum precarie fiat, sed ubi dicitur in ea « mittat precaria » nomen precarie et dicat « libellum »; et ubi facit mentionem precarie faciat mentionem libelli.

Aliene rei venditio fit pluribus modis. Fit quandoque a tutore vel a curatore vel a procuratore, quandoque ab eo qui non habet mandatum. Cum fit a tutore et curatore, auctore pretore, venditores non obligantur; si fit sine presidis auctoritate, oportet ut eorum nomine vendant et se principaliter obligent ut facerent in propria re et

(1) *Cod.* nepotibus.

Source : BIU Cujas

renuntient quod non opponent exceptionem quod emptor sciebat esse rei gravamen, et idem dicimus in omnibus res alienas vendentibus nisi habent mandatum vendendi. Promittant tamen et caveant rem ratam dominum habiturum; alioquin se obligent ut diximus.

« Ego quidem sacerdos Guido, fratribus meis talibus presentibus et consentientibus, vel ego Titius, uxore mea presente et consentiente et omni suo iuri ypotecarum renuntiante, et presente et consentiente Gaio qui a me hanc rem per emphyteosym habebat vel in feudum vel per libellum vel ex locato, do et concedo tibi Martino recipienti pro te et procuratorio nomine pro Berta uxore sua per libellum in XXVIII. annis expletis, domum talem et ortum in hac re post eam positam vel talem vineam cum superioribus et inferioribus finibus, accessionibus et egressibus suis usque in via publica. Confines cuius hii sunt: a mane etc. vel si qui alii confines sunt, omnia ut predixi et que intra hos fines continentur in integrum pro tali pretio », si ex ea re datur pretium. Nam quandoque fit contractus (1) pro pensione, quandoque pro pretio; et dic de pretio si datur ecclesie quid de eo fiat ut in emphyteosi supra diximus; si datur private persone, dic ut diximus in instrumento proprietatis. Dicto pretio dic: « Do et concedo tibi pro te et procuratorio nomine pro
c. 21, b. predicta uxore tua et suis et tuis heredibus deinceps ad habendum tenendum vel possidendum, quicquid placuerit faciendum ». De possessione dic ut supra diximus in aliis « et post predicti temporis spatium hic libellus hoc ordine innovetur et huius rei nomine mihi et meis successoribus », si est de ecclesia. Si est privata persona » dichuius rei nomine mihi et meis heredibus pensionis gratia singulis annis den. tot solvatis. Ego vero prescriptam rem ab omni homine usque ad dictum tempus legitime », et cet. que sequuntur per ordinem in instrumento emphiteosis usque in finem, excepto quod in finem post promissionem pene dic: « Et insuper hunc libellum usque ad finem dicti temporis incorruptum tenere spondeo ».

« Titius per libellum XXVIIII. annorum, et his completis ad renovandum, concessit Gaio domum talem pro tali pensione annuatim solvenda, et pro tali pretio recepto presentibus dictis testibus » si ibi solvitur; alioquin dic « quod fuit confessus recepisse, renuntians exceptioni non numerate peccunie et licentiam dedit intrandi in possessionem et promisit legitimam defensionem. Confines etc. Actum in tali loco. »

« Ego quidem Titius hoc venditionis instrumento, presenti die, iure proprio, pro medietate vendo et trado tibi Lucio recipienti procuratorio nomine pro Manço et suis heredibus, in perpetuum rem talem in tali loco positam, vel talem vineam, vel talem pratum, et iure emphyteosim medietatem predicte rei pro indiviso, vel a latere superiori, cum superioribus et inferioribus finibus, accessionibus et egressibus suis usque via publica. Confines totius tales sunt: a mane etc., vel si qui alii confines sunt omnia ut predixi et que infra hos fines continentur in integrum presenti die, pretio XX. lib. bon. quolibet sta. de illa que est propria michi in presenti soluto, et pro X. lib. bon. quolibet sta. emphyteosim; quod michi fore solutum fateor; quod utriusque vi summa capit C. lib. et XI. sol. bon., renuntias non numerate pecunie exceptioni, vendo et trado tibi prefato Lucio recipienti pro te, ut dictum est, et procuratorio nomine pro Manço et hiis et suis heredibus; propriam in perpetuam emphyteosim do et concedo utramque ad habendum tenendum ac possidendum et quicquid tibi et tuis heredibus deinceps placuerit faciendum tuaque actoritate in possessionem intrandum pro te et dicto Manço. Mihi et meis heredibus pensionis nomine den. c. 22, a.
tot singulis annis tu prenominatus Lucius et dictus Mançus et tui et sui heredes exsolvatis, et post tuam et suam tertiam generationem exactam vel in tali tempore emphyteosis instrumentum eodem tenore innovetur. Ego vero tam propriam quam condititiam ab omni homine legitme defendere et autorizare tibi recipienti pro te ut dictum est, et procuratorio nomine predicto Manço et tuis et suis heredibus promitto. Si ego vel mei heredes predicta non servavero pene nomine predicte rei duplum eiusdem bonitatis et extimationis dare omneque dampnum litiisve expensas recipere pro te ut dictum est et procuratorio nomine pro predicto Manço tibi et tuis et suis heredibus stipulatione resarcire promitto. Et insuper hoc venditionis emphyteosis instrumentum, ut supra legitur, semper incorruptum tenere spondeo. »

Rogatur supra dictum instrumentum hoc modo: « Titius vendidit iure proprio medietatem unius petie terre in tali loco positam Lucio recipienti pro se et procuratorio nomine pro Martino, et iure emphyteosis aliam medietatem predicte rei pro indiviso pro pretio X. lib. bon. de propria, presentibus dictis testibus in presentiarum soluto, pro pretio X. lib. bon. quolibet sta. de condititia; quod fuit confessus sibi solutum fore, renuntians non numerate pecunie; ex condititia vero sub pensione I. bon. omni anno et post tertiam generationem Lutii condicti, Martini in quartam ad renovandum, quam rem sub pena dupli predicte rei, et de dampno resarciendo legitime dicto Lutio recipienti pro se, et dicto Martino procuratorio nomine, defendere promisit. Dedit ei licentiam in possessionem intrandi pro se, pro predicto Martino. Confines cuius hii sunt: a mane etc. Actum in tali loco. Testes. Ego talis tabellio interfui et rogatur subscripsi.

« Galiffus vendidit iure proprio Rubino quintam partem casamenti quod habebat in tali loco, pro tali pretio, et eidem inter vivos donavit duas partes de eo quod remanet de dicto casamento et eidem in emphyteosim dedit

(1) *Cod.* teria (?)

Source : BIU Cujas

residuam tertiam partem pro pretio XV. lib. bon. soluto », et dic ut supra ubique diximus de pretio « sub pensione I. den. annua solvenda, et post tertiam generationem in quar-
c. 22. b. tam ad renovandum promisit dicto Rubino legitime defendere sub tali pena, et ea soluta, rata maneat predicta venditio, et dedit licentiam in possessionem intrandi. Confines etc. »

« Ego quidem Galliffus hoc venditionis et donationis et emphyteosis instrumento presenti die vendo et trado tibi Rubino, tuisque heredibus in perpetuum quartam partem unius casamenti quam in tali loco habebam, et inter vivos simpliciter tibi insuper et tuis heredibus dono duas partes residui dicti casamenti. Et insuper iure emphyteotico do et concedo tibi dicto Rubino tuisque heredibus reliquam tertiam partem eiusdem casamenti cum ea parte quam in Carraria habebo per quam cum carro et omnibus necessariis usque in via publica itur ad dictum locum, cum superioribus, inferioribus finibus, accessionibus et egressibus suis usque in via publica. Confines totius casamenti huiusmodi sunt a mane possessio talis etc. vel si qui alii confines sunt, omnia ut predixi et que intra hos fines continentur in integrum presenti die vendo et trado V. partem tibi Rubino et tuis heredibus in perpetuum ut dictum est per XX. sol. imperialium et dono similiter ut dictum est dictas duas partes residui casamenti, et iure emphiteosis tibi prefato Rubino et tuis heredibus, do et concedo dictam tertiam partem residui per X. sol. imp. quos cum supradicto pretio recepisse confiteor, renuntians non numerate peccunie exceptioni ad habendum, tenendum ac possidendum, et quicquid tibi et tuis heredibus deinceps placuerit faciendum, tua auctoritate in possessione intrandum, et omni anno nomine dicte tertie partis pensionis gratia bon. I. mihi et meis heredibus tu prenominatus Rubinus et tui heredes exolvatis et post tuam tertiam generationem exactam, novum emphiteosis instrumentum hoc ordine innovetur. Ego vero predicta omnia ab omni homine legitime defendere et auctorizare tibi et tuis heredibus promitto. Si vero ego vel mei heredes predicta omnia non servaverimus, pene nomine predicte rei duplum eiusdem bonitatis et extimationis dare, omneque dampnum litisve expensas tibi et tuis heredibus stipulatione resarcire promitto. Et insuper hoc venditionis, donationis et emphiteosis instrumentum, ut supra legitur semper incorruptum tenere spondeo. »

« Actum in tali loco, indictione predicta; prenominatus Galliffus hoc venditionis, donationis et emphyteosis instru-
c. 23, a. mentum ut supra legitur scribere mandavit. Interfuerunt Titius, Martinus et huius rei vocati sunt testes. Ego talis notarius hoc venditionis et donationis et emphyteosis instrumentum ut supra legitur rogatus subscripsi. »

« Titius et Sempronius eius filius, et Maria uxor dicti Sempronii vendiderunt Pamphylo et eius heredibus per proprium in perpetuum condititium unde pertinuerit petiam I. terre arative et vineate posite in Pollicino in fundo Titiano; Sempronius II. sta. Maria I. sta., dantes et concedentes ipsi Pamphilo omne ius, omnemque auctoritatem, si quod habebunt; in residua parte dicte petie etiam eum in rem suam procuratorem constituerunt, et ad invicem inter se et ipsi emptori remiserunt pacto in certum conditionis fideicommissi et testamento Zilie matris dicte Marie et Seie matris dicti Sempronii; et dictus Titius residuam parte dicte petie cum omni iure et actione quod in ipsa vel pro ipsa habet, renuntiando omni iuri quod in dictis III. sta. habebat vel habere sperabat. Que omnia convenit ipsi emptori esse XV. sta. computatis terris III. sta., et si minus invenietur, pro rata debet diminui pretium pro ea parte, quia minus fuerit facta computatione IIII. lib. bon. pro quolibet sta. Et si plus inventa fuerit, non tunc pretium debet augmentari pro pretio LX. lib. bon. nobis soluto secundum portionem cuilibet contingentem »; et dic de pretio et de possessione et ut supra in aliis venditionibus diximus « et promiserunt de III. sta. dicti iugales et de iure quod in reliqua habebant emptori legitimam defensionem, sub tali pena, dictus Titius de tota petia, salvo tamen iure dominii, renuntians nove constitutionis beneficio sub pena dupli a quolibet et promissa emptori; que petie tales habent fines ». Si quis venditorum fuerit minor, iuret ipse vel alius super suam animam more minorum, secundum quod supra diximus in c. 23, b.
primo instrumento proprietatis. Si Titius habuerit uxorem, consentiat et certioretur de iure ypotecarum, et ei renuntiet, ut in eodem instrumento supra diximus. « Et insuper dicti iugales concesserunt emptori eorum portionem pretii, ut ex eo creditoribus Titius satisfaciat; si de portione ipsius Titii satisfacere nequiret, nisi dictus Titius idoneam emptori prestaret securitatem pro indempnitate sibi pro creditoribus prestanda hinc ad talem diem ». Si vero tunc non prestiterit illam securitatem et postea quandocumque emptori prestiterit: « Emptor promisit dictis iugalibus eorum portionem pretii solvere post securitatem prestitam infra V. dies nisi primo coactus esset a creditoribus solvere ».

« Nos quidem Titius et Sempronius et Maria uxor Sempronii hoc venditionis instrumento, presenti die vendimus et tradimus atque concedimus tibi Pamphilo et tuis heredibus per proprium in perpetuum condititium salvo iure dominii petie I. terre arative et vineate posite in tali loco in fundo Titiano ego; tamen Sempronius II. sta. et ego Maria I. sta., dantes et concedentes tibi emptori omne ius quod in residua parte habemus si quod est, et te in rem tuam procuratorem facimus et ad invicem inter nos et tibi remittimus pacto incertum conditionis fidei commissi alicui nostro petituro ex testamento. Zilie matris mei Sempronii et Seie matris mee Marie; et ego Titius residuam partem illius petie cum omni iure et actione quod in eo vel pro ea habeo, renuntians omni iuri quod in dictis III. sta. habeo; quam totam petiam do pro XV. sta. computatis dictis tribus sta.; et si minus invenietur, de pretio pro rata diminuatur eius partis cuius partis minus fuerit inventa, facta computatione IIII. lib. bon. proquolibet sta.;

Source : BIU Cujas

et si plus inventa fuerit non teneatis superaddere pretium. Que tales habet fines: a mane etc. vel si quo alii confines sunt, omnia ut dictum est vendimus et tradimus atque damus tibi prefato emptori pro pretio LX. lib. bon. quod nobis solutum fore fatemur secundum portionem cuilibet contingentem; renuntiantes non numerati et non soluti pretii exceptioni. Nos tamen Sempronius et Maria
c. 24, a. iugales concedentes tibi dicto emptori nostram pretii portionem ut ex eo creditoribus dicti Titii satisfacias, si de sua portione eis satisfacere nequires, ubi hinc ad talem diem ydoneam daret securitatem pro creditoribus ne ab eis dampnum conquereris. Si vero tunc tibi cautionem dictam non presterit, postea quandocumque tibi eam fecerit, post securitatem prestitam infra V. dies nobis pretium reddere tenearis, sub tali pena a te nobis promissa nisi coatus esses primo a creditoribus solvere, promittentes nos venditores per nos nostrosque heredes huius rei nomine litem nec controversiam movere, sed tibi et tuis heredibus, salvo iure domini ab omni homine legitime defendere et auctorizare, ego Titius in solidum renuntiando nove constitutionis beneficio, et nos iugales pro portionibus supra dictis nobis contingentibus. Si vero per nos nostrosque heredes predicta non servaverimus, pene nomine predicte rei duplum eiusdem bonitatis et extimationis dare, omneque dampnum litisve expensas tibi et tuis heredibus stipulatione resarcire promittimus, nos iugales pro rata ut dictum est, et ego Titius in solidum. Et insuper hoc venditionis instrumentum, ut supra legitur, semper incorruptum tenere spondemus, et possessionem quam ex ea re habes tibi penitus confirmamus ». De iuramento et uxore venditoris dic ut supra in rogatione instrumenti diximus.

In contractibus, ad hoc ut firmitatem et plenissimum habeant vigorem, plures sunt leges que subveniunt contrahentibus, aliquando propter sexum, aliquando propter rusticitatem, cui sepe parcitur, aliquando propter forum inconveniens, aliquando propter numerum personarum quibus renuntiari oportet ab his in quorum favorem beneficia introducta sunt. Nam omnibus licet renuntiare his que pro se introducta sunt. Prestat namque beneficium lex, que dicitur nova constitutio duobus reis debendi ut non conveniantur nisi pro ex parte qua sunt numero persone que se obligant, nec adiciatur pro qua parte est; et alia nova constitutio que prestat beneficium fideiussoribus, sponsoribus et mandatoribus ut primo conveniantur
c. 24, b. rei debendi quam ipsi fideiussores vel sponsores vel mandatores. Est quidem aliud beneficium quod nuncupatur epistola divi Adriani, quod fideiussoribus prestat beneficium ut non conveniantur nisi pro ea parte qua sunt, ut diximus in nova constitutione de duobus reis debentibus ut nunc supra. Est aliud privilegium fori quod prestat beneficium ut nemo conveniatur nisi sub suo iudice. Est aliud fori privilegium quod vocatur clericale, ne quis clericus conveniatur nisi sub suo episcopo. Est autem aliud fori privilegium quod dicitur scolasticum, quod prestat beneficium scolaribus ut ne quis scolaris conveniatur nisi sub suo magistro. Est autem aliud benefitium quod fuit introductum in favore mulierum intercedentium pro aliquo vel pro aliquibus, quod vocatur senatusconsultum Velleianum, vel quo beneficio iuvantur si intercedunt pro aliquo. Est autem beneficium quod mulieres habent in bonis maritorum, quod tacite sunt eis obligata pro eorum dotibus, quod dicitur ius ypotecarum, quo iuvatur, quod si vir post dotem susceptam omnia sua bona alienaverit posset uxor a quocumque possessore advocare nisi consensisset et certiorata de iure ypotecarum quid esset, et illi suo iuri renunciasset. Et est notandum quod quotienscumque mulier pro aliquo intercedit vel consentit alienationi vel obligationi rerum mariti, debet certiorari quid sit Velleianum senatusconsultum cum intercedit, et quid sit ius ypotecarum cum consentit obligationi vel alienationi rerum mariti, et hoc facto, si sequatur eius renuntiatio, tenetur quod facit, nisi sit minor XXV. annis in quo casu iuret firma tenere, et quod non petat restitutionem aliquam, licet sit decepta. Et licet pro aliis possit intercedere, pro marito tamen non, nisi vir probaret pecuniam pro qua intercederet fore c. 25. a.
versam in utilitate mulieris.

LIBER TERTIUS

Ultime voluntates decedentium a primordio supreme dispositionis et earum effectus ab antiqua prosapia vehementi aplicatione animi sub tali enucleatione fuerunt invente; rigorem plenissimum satis abnudeque eis omnifarie ipsa antiquitas studuit accomodare ne pretestu intestatorum defunctorum posteris pro incerti eris partis compendio et exheredationis detrimento litigandi oriatur copia, quapropter modum testandi viri prudentes pluribus et diversis modis constituerunt. Et testamenta quandoque in scriptis, quandoque sine scriptis confitiuntur, quandoque etiam codicilli interponuntur. Nam testamentorum sive in scriptis, sive sine scriptis et codicillorum hanc novimus esse differentiam quod in testamentis quidem hereditas dari et auferri potest, et heredes instituendi sunt, et legata sive fideicommissa relinqui possunt, et numerus VII. testium est adhibendus puberum, uno contextu; in codicillis vero hereditas directo neque dari, nec in testamento data auferri, nec etiam legari in his potest; licet fideicommissa in his relicta debeantur. In codicillis V. numerus testium est necessarius; in quibus hereditas per fideicommissum relinqui potest. Hoc autem omnino sciendum est, licet in scriptis testamenta redigantur, non tamen in scriptis esse sunt putanda, sed nuncupativa dicuntur, et memorie causa duntaxat in scriptis rediguntur. Quid sit testamentum in scriptis ex subiectis exemplis, et quid nuncupativum, Deo dante, apparebit. Testamentum enim ex eo appellatur quod testatio mentis est vel legalis cuiusdam ordinatio morte confirmata. Vidimus quid sit c. 25, b.

Source : BIU Cujas

testamentum: qui autem testes in eo esse possunt videamus. Testes autem adhiberi possunt omnes preter istos: non mulier, non inpubes, non servus, non mutus, non surdus, nec furiosus, non infamis, nec cui bonis interdictum est, non inprobus et intestabilis, idest qui muliebria patiuntur, et qui criminaliter dampnatur; non pater nec qui in eius potestate est testatoris nec fratres qui in eiusdem patris potestate sunt, nec heres scriptus nec qui in eius potestate est. Audistis qui in testamentis possunt esse testes et quot sufficiant: nunc videndum est quibus non est permissum facere testamentum: hoc viso per consequentiam ceteris aliis videtur esse permissum. Licet testamenta ad hominum utilitatem sunt introducta, non tamen id omnibus facere leges concedunt. Nam testamentum facere non possunt hii qui alieno iuri subiecti sunt, licet parentes eis permiserint, nisi de castrensibus et quasi castrensibus peculiis; filii quidem familias in militia militantes iure militari testari possunt. Preterea impuberes testamenti factionem non habent quia nullum eorum animi iudicium est, nec discernunt quid faciendum vel pretermittendum sit. Item furiosi, qui mente carent, nisi in dilucidis intervallis, si habent ea. Item prodigus, idest cui administratio suorum bonorum est interdicta. Item mutus, surdus non semper testari possunt: de eo muto et surdo dicitur qui omnino non loquitur nec exaudit, non de iis qui tarde locuntur et audiunt. Quoniam quandoque contingit quod homines litterati et eruditi variis casibus loquelam et auditum amittunt, quibus ex sacris constitutionibus est subiunctum quod testari possunt scribendo et annuendo. Cecus autem nuncupativum potest facere testamentum. Si quis ab hostibus captus est, testamentum facere non potest. Vidimus enim supra quid sit testamentum, et que testium quantitas sit necessaria, et qui in eis testes esse possunt, et qui possunt testari et qui non, et quibus
c. 26, a. modis et de quibus rebus. Restat igitur videre qualiter conficiantur. In primis testamentum in scriptis hoc modo debet confici: convocatis VII. testibus liberis, non ex his quos supra in hoc prologo excepimus, cum lino et cera, et testator habeat testamentum scriptum, et testetur, et dicat coram eis illud suum esse testamentum quod ibi legitur, nec illud legat si non vult, et manu propria, si scit scribere, scribat nomina heredum; alioquin unus testium, vel tabularius, vel quilibet testium se subscribat hoc modo in eo: « Ego Titius in hoc testamento Gai me testem subscribo »; et si nemo illorum novit scribere, tabellio pro eis subscribat eoum mandato hoc modo: « Ego talis notarius in domo talis vel in loco tali, in tali die, tali indictione, talis, ubi Titius hoc suum esse testamentum et voluntatem ultimam affirmavit et eius mandato testes supradictos » si eos scripsit « in eo subscripsi ». Hoc facto claudatur testamentum totum, vel ea pars que placuerit testatori, et a quolibet testium sigilletur proprio lino et cera, vel quilibet proprio anulo, vel omnes uno anulo. Hodie vero testamenta que fiunt sunt nuncupativa, et vocantur sine scriptis, in quibus tanta non desideratur sollempnitas. Cum igitur quisque tabellio vocatus fuerit ad huiusmodi testamenta facienda que hodie fiunt, vocatis VII. testibus in civitate, V. in vicis propter rusticitatem cui in hoc casu parcitur et subvenitur, et audiat testatoris voluntatem, et caute videat utrum sit sane mentis, vel eius etatis, vel eius conditionis quod possit testari ut supra diximus. In primis quid pro anima sua dari iusserit proponat, quia anima est plus quam corpus, et quibus locis et personis legari voluerit nominet, quid et quantum; deinde instituat commissarios qui sint solliciti circa funus et sepulturam et disponant ea que designaverit pro anima. Licet institutio heredis sit caput et fundamentum testamenti, potest poni tamen in initio in medio et in fine et in quacumque parte testamenti; et facta dispositione pro anima, si legare voluerit leget; deinde si habuerit uxorem provideat ei, consideret utrum
sit pregnans ne postumi agnatione rumperetur testamen- c. 26, b.
tum; et si habet matrem, instituat eam saltim in legitima; deinde instituat heredes et fideicommissarios, et faciat substitutiones pupillares et fideicommissarias et alias secundum quod placuerit, et caveat ne pretereat aliquem filiorum vel liberorum institutione, vel exheredationem facere. Sed hodie novo iure postumi nec impuberes sunt exheredandi cum nullam causam exheredationis committant, nec aliquem exheredet nisi iuxta et probabili causa; et si exheredaverit, causam exheredationis inserat in testamento. Et sciendum est quod nemo potest substitutionem pupillarem facere, nisi qui ea in potestate habet, nec aliquem liberorum in legittima gravare, licet statutum Bononie civitatis contradicat in filiabus et etiam filiis sacris locis deputatis; et si minus legitima eis a parentibus relictum fuerit, non possunt agere contra fratres de repletione. Emancipatos vero filios tenentur parentes instituere vel exeredare eodem modo ut illos qui sunt in potestate. Deinde vero, si voluerit pater, dereliquat filiis suis tutores. In fine vero dicat tabellio testatori si vult ut scribat secundum quod dixit, et roget et eum scribere et illos qui sunt presentes; testamentum firmet, si quod fecit non valeret iure testamenti, valeat iure codicillorum. Qualiter institutiones sint in testamentis scribende et codicilli conficiendi, Deo dante, in ipsis testamentis plenius tractabimus.

« Diem huius labentis vite pro imbecillitatis mee viribus extremum, ego quidem Titius prevenire cupiens etc. meas scilicet res et possessiones pro anima mea. »

« Et cum nihil est quod magis hominibus debeatur quam ut supreme voluntatis arbitrium, postquam iam aliud velle non possunt, liber sit stilus et licitum quod iterum non reddit arbitrium. Quapropter ego quidem Gaius prevenire cupiens etc. »

« Cum repentini casus iniquitas mortales sepe indecenter ita oprimat et oppressos vita privari faciat ut nulla pro-

Source : BIU Cujas

priarum rerum dispositione habita, litigandi posteris quan-
c. 27, a. doque oriatur copia; quapropter ego Sempronius noplens intestatus decedere, omnes meas res et possessiones pro anima mea et inter heredes ac legatarios meos et fideicommissarios meos per nuncupationem sine scriptis volendo, primo quidem etc. »

« Decenter quidem presentia gerere, futuris vero competenter providere non minima deputatur sapientia, qua igitur de causa ego quidem Lucius prevenire cupiens.... »

« Diem huius labentis vite pro imbecillitatis mee viribus extremum, qua propter ego quidem Constantinus prevenire cupiendo, omnes meas, idest res et possessiones pro anima mea et inter heredes ac legatarios et fideicomissarios meos sine scriptis disponere per nuncupationem volendo, primo quidem pro anima mea C. lib. bon. ex meis bonis dari volo, ex quibus ecclesie Sancti Petri pro restauratione decimarum C. sol. dari mando, laborerio eiusdem X. sol. bon., ecclesie Sancti Stephani apud quam sepulturam eligo, X. lib. dari precipio, et in pallio XL. sol. imperial. dari iubeo. » Et sic nominentur ceteri den. quos specialiter alicui testator designaverit, et si qui remanserint ex his: « dictos reliquos vero den. volo expendi a commissariis meis ubi melius et utilius visum fuerit pro anima mea circa funus et sepulturam meam, et inter ecclesias et sacerdotes et pauperes, et loca religiosa et etiam pro missis canendis. Cominissarios meos esse volo Titium et Petrum fratres meos, et uxorem meam Mariam, quorum fidei committo vendendi disponendi suo arbitrio vineam meam de tali loco et ex aliis meis bonis ubicumque voluerint pro predictis denariis solvendis et aliis meis debitis et negotiis filiorum meorum, ex hoc eis plenam potestatem concedo. Item mando ut satisfaciant omnibus de me conquerentibus nomine usurarum usque ad ultimum hinc ad dampnum ex venditione vinee mee de Casalia vel de tali alia et si ex ea in solidum ei solvi
c. 27, b. non posset, ex aliis meis bonis ei satisfieri volo, et specialiter Rustico X. lib., Rubino V. lib., heredibus Senatii VII. lib. Item lego et dari volo fratri meo Lucadio meam partem molendini quam habeo in capanna tali; sorori mee Galice X. lib. et culcitram unam et plumatium cum se maritaverit, vel cum virum acceperit, si se viro copulaverit voluntate fratrum suorum. Servienti mee Marie feudum quod ei conveni, idest X. sol. bon. ei dari volo et iure legati, ideo quod bene servivit mihi III. lib. relinquo. Vaccam vero cum vitella quam talis habet a me, eidem Titio relinquo, vestitum meum de bruna bailo filii mei do, lego; et volo ut addantur ei X sol. bon. supra id quod ei conveni ». Et sic cetera que voluerit testator disponere seriatim scribantur, et quo iure reliquid, utrum iure legati an iure institutionis vel substitutionis, sive pure aut sub conditione. Item libertates, si voluerit, hoc modo: « Servo meo Pamphylo meram libertatem relinquo post V. annorum spatium cum omni peculio quod habet vel quod habebit » vel sic: « Papmhylum servum meum liberum cum omnibus suis filiis et liberos esse volo: non tamen cum peculio, nisi quod volo ut quilibet de eo quod habeat sibi retineat C. sol. pro se, et pro quolibet aliorum XX. sol. bon.; et volo ut reddat rationem amministrationis meorum bonorum que amministravit, vel si reddiderit rationem filiis meis », vel sic « Pamphylo servo meo volo a filiis meis libertatem dari », vel « lego », vel « do libertatem et tabellionem rogo ut ex hoc ei instrumentum faciat. Uxorem meam Mariam dominam et usufructuariam et potestatariam omnium mearum rerum in domo esse volo, donec castam et honestam duxerit vitam. Si autem de domo mea exire voluerit, habeat dotem suam quam ex ea habui, et X. lib. bon. de meo et sit contempta, » vel sic « Uxori mee Marie X. lib. bon. de meis lego et XX. lib. vel solam vineam pro dote quam ex ea habui et victum, et vestitum in domo mea donec ibi inesse voluerit competenter et decenter prout meorum bonorum esse in domo mea volo, donec cum filiis habitare voluerit, vel si iniuriam intollerabilem c. 28, a.
filii ei fecerunt, habeat habitationem talis mee domus et usufructum vinee de tali loco et braide mee de Burgolucco. Si neutrum facere voluerit sed aliam sibi vitam elegerit, habeat C. lib. pro eo quod ex ea habui et iure legati X. de meo, et in omni casu Falcidiam filiorum suorum ei adimo, et si quid nomine Falcidie aliquando pro aliquo eorum petierit, volo ut habeat de eo quod supra ei reliqui nisi medietatem, nisi omnes mortui essent, quod absit.

« Filio meo Nichodemo, si ad sapientiam legalem pervenerit, C. lib. bon. prelego pro libris emendis, vel si ad clericalem ordinem ascenderit, vel promotus fuerit, sed in domibus meis vel in turrim nullam partem ipsum habere aliquando volo. In omnibus aliis bonis mobilibus et immobilibus et semoventibus dictum meum filium et Aristotum, et Lucianum meos filios equis portionibus mihi heredes instituo », vel sic: « Omnes filios meos mihi equis portionibus in rebus mobilibus et semoventibus heredes instituo, immobilibus Pamphylum in omni eo quod habeo (1) in tali loco, Anstatum in omnibus his que habeo in tali loco et eius curia, Lucianum vero in omnibus aliis meis possessionibus ubicumque sunt, exceptis domibus quas volo esse omnium eorum, excepto Nichodemo, cui supra ademi in omni casu. Si autem Nichodemus in pupillari etate decesserit, pupillariter ei dictos suos fratres substituo; si vero pubes decesserit factus, rogo eum per fideicommissum ut suam partem restituat dictis suis fratribus hereditatis, vel eorum filiis institutis ratione equaliter, sed non in capita. Vel siquidem in pupillari etate, vel postea quandocumque sine filiis legittimis vitam finient, pupillariter et vulgariter per fideicommissum suam partem hereditatis ad superstites suos fratres, ad unum vel ad plures qui superessent pervenire volo » vel

(1) *Cod.* habet.

Source : BIU Cujas

sic: « Si Nichodemus filius meus michi heres non erit, alios meos filios vel eorum liberos, vel talem hominem ei substituo, vel heredes esto »; vel sic: « Si filius meus heres michi non erit, vel si heres erit et in pupillari etate
c. 28, b. decesserit, dicti mei filii tali portione eius hereditatis, vel talis homo michi heres esto, vel eos ei substituo. Si vero aliquis supradictorum meorum filiorum puberum sine filiis decesserit, rogo eum per fideicommissum ut suam partem hereditatis restituat fratribus suis supervenientibus, vel eorum liberis in stirpe ut dictum est, non in capita, vel talem rem restituat et reddat. Si vero omnes sine filiis decesserint vel filius meus Nichodemus pupillari etate, fratribus vel eorum liberis non extantibus, pupillariter et per fideicommissum eorum portionem hereditatis volo dari et restitui his locis et personis: talem rem ecclesie, talem vineam tali meo nepoti: alia omnia vendantur et dentur pro anima mea. Si vero uxor mea pregnans vel gravida fuerit, et postumus ad lucem non pervenerit vel abortum fecerit, Titius eius loco heres esto. Si vero habuerit postumam filiam unam vel plures, quamlibet mihi in C. lib. bon. heredes instituo et sint contempte. Et si plures fuerint et aliqua illarum in pupillari etate decesserit; si ambo in pupillari etate decesserint, vel postea sine filiis, substituo ei fratres eorum pupillariter et per fideicommissum. Si vero masculus ediderit unum vel plures, equaliter cum aliis iam natis mihi eum vel eos heredes instituo vel ex tali portione, et easdem substitutiones pupillares et vulgares et fideicommissarias eis vel ei in ipsum vel in ipsos facio quod et feci in supradictis fratribus et ipsis fratribus supra » vel pone quod aliquem filiorum velit exheredare quia forte commisit causam exheredationis, dic ita: « Filium meum Pamphylum ab hereditate mea alienum esse volo vel iubeo, vel exeredem esto quia me verberavit acriter vel quia tale delictum commisit ». Si filiam exheredaverit dic ita: « Filiam meam Rutilam quia se ordini clericorum supposuit vel quia tale delictum commisit exheredo, vel alienam a meo esse iubeo. Item prohibeo ne filii mei aliquam de possessionibus eorum vendere vel alienare valeant, vel obligare, nisi compleverint XXV. annos; quod
c. 29, a. si fecerint, do potestatem aliis qui non fecerint alienationem, a quocumque possessore advocandi sine pretio. » Vel sic: « Item prohibeo alienationem possessionum suorum filiis meis et obligationem hinc ad talem terminum, et si quis eorum contrafecerit alii fratres a quocumque possessore non solvendo valeant pretium avocare. Item mando ne quis eorum possit ad divisionem provocare, et si quis provocaverit hic ad decennium teneatur nomine pene cuilibet fratrum solvere lib. bon., et divisio si facta fuerit non teneat. Uxorem meam supradictam et fratrem meum filio tali meo, tutores esse volo et etiam postumo cum natus fuerit, et bona fide aliorum meorum filiorum sint in eorum cura et custodia donec compleverint tot annos, et eis remitto iuramentum tutele et cure et inventarii confectionem et non teneantur reddere rationem. Item lego Titio ius utendi fruendi de una petia terre arative posite iuxta talem. Et hec est mea voluntas, que si non valet iure testamenti valeat saltim iure codicillorum ultime voluntatis. Actum in tali loco, indictione predicta, prefato testatore scribere mandante. Interfuerunt Titius, Seius, Caius, Tifus, Albertus, Lutius et Ardingus, et huius rei vocati sunt testes. Ego talis notarius his omnibus interfui et est supra legitur rogatus subscripsi. »

« Ego quidem Lucadius viam eundi ad sepulcrum domini incipere ac perficere cupiens, vel volens visitare limina beati Johannis, omnes meas res et possessiones pro anima mea et intra heredes ac legatarios meos et fideicommissarios sive in scriptis disponere volo primo quidem pro anima mea hoc quod mecum porto esse volo et insuper X. lib. bon. de aliis meis bonis dari precipio, quos ita dividi volo; ecclesie tali tot den. » et sic per ordinem declaret voluntatem suam testator ut supra in predicto c. 29, b.
testamento diximus.

Si quis testamentum facere voluerit et tabellionis copia habere nequiverit, convocet VII. testes liberos si est in civitates: si est in vico V. sufficiunt propter rusticitatem cui, ut supra diximus, in hoc casu parcitur et solempnitas VII. testium remittitur, et coram eis suam declaret voluntatem et eos inde roget testes. Si vero post mortem ipsius testatoris heredes vel illi quorum mensem illud testamentum pubblicare et in scriptura reducere cupiunt, vocatis testibus qui voluntatem testatoris audiendum interfuerunt, debet adire pretorem et in eius notitiam reducere qualiter negotium fuit et quod illud per scripturam sua auctoritate in publicam formam volunt reducere. Pretor, idest civitatis rector, citatis qui ad hoc erunt citandi testibus qui interfuerunt defuncti voluntati, prorsus sacramentum sive iuramentum exponere cogit. Cuius tenor hoc est quod omnes iurabunt veritatem dicere, de his omnibus que a testatore disponendo sua bona audierunt, nec falsitatem aliquam veritati adicerent nec ipsam veritatem occultabunt; hec omnia servabunt et attendent bona fide remoto hodio, amore, pretio et precibus speciali lucro vel dampno suo vel alieno. Hoc facto, audiatur tabellio cui commissum fuerit diligenter dicta cuiuslibet segregatim more consueto et omnibus auditis et in scripturis redactis coram testibus ad minus VII. mandato potestatis et eo presente debet legi eorum dicta, quibus perlectis potestas suam interponere debet auctoritatem, ut deinde sint publicati et plenissimum habeant rigorem; quorum dicta ut subsequens declarat forma debent scribi auctoritate dicti pretoris.

« Cum Titius testamentum facere vellet, nec tabellionis copiam habere valeret, et infrascriptorum testium presentia suam declaret voluntatem, qui autem ut in posterum sit memoria, et ne aliquando litigandi oriatur occasio, presente domino Gaio potestate Bononie et eius c. 30, a.

Source : BIU Cujas

mandato et sua et communis Bononie auctoritate interposita corporaliter iuraverunt de his omnibus que a testatore audierunt totam veritatem dicere nec falsitatem aliquam adicient veritati, nec ipsam veritatem occultabunt et hec omnia servabunt et attendent bona fide sine fraude, remoto hodio, amore, pretio et precibus speciali lucro vel dampno suo vel alieno; in primis quidem Rabuinus iuratus dixit: Ego dico quod tali die interfui in domo Titii, ubi Titius taliter fuit testatus, vel tale fecit testamentum, vel dispositionem suarum rerum. In primis dixit pro anima sua X. lib. talis monete relinquo, et volo ut expendantur arbitrio commissariorum meorum quos volo esse Gaium et Alfenum. Filium meum Cassium in omnibus meis bonis meum volo esse heredem etc. » et sic declaret omnia diligenter et qui fuerunt testes, et si fuerunt a testatore rogati et de die et loco et tempore, et utrum instituerit heredes et quot et quos et utrum erat sane mentis, et his et similibus diligenter interrogare debes. Facto primo teste, scribatur secundus, et sic ceteri per ordinem seggregatim recipiant more solito omnibus in scriptis redactis et perlectis publice coram potestate et testibus ut supra diximus. Scribat tabellio nomina testium qui interfuerunt publicationi et locum in quo publicatur hoc modo: « Actum in tali loco; anno domini M. CC. IIII, die mercurii, sexto intrante otubri, indictione VII. Pamphylus et Turrinus et Dionisius et Rigus et Ionas et Marcus huic publicationi interferunt, et huius rei rogati sunt testes. Ego talis notarius hos testes mandato domini Gai potestatis Bononie recepi et eorum dicta in publica scriptura redegi et coram eo et dictis testibus legi, publicavi et complevi. »

Vel sic: « Anno domini M.CC. tali die, indictione tali. Hii sunt testes introducti ad publicandum testamentum.
c. 30, b. Titii a Marco citato tali et presente; in primis Rabuinus iuratus dixit: », et scribantur omnia que dixerit, et sic demum registrantur ceteri. Mandato potestatis omnibus in scriptis redactis legantur coram potestate et publicentur et in publicatione VII. testibus presentibus suam potestas prestet auctoritatem et sic continuetur scriptura. Hoc facto dic: « In palatio communis Bononie, in presentia talium testium, talis potestas mandavit hos testes legi et publicari et in publicationem suam et communis Bononie auctoritatem iudiciaria cognitione talis iudicis interposuit. » Demum subscribat tabellio secundum quod in testu dicitur.

Manifestum quidem est me Titium iam dudum testamentum fecisse et quod in eo continetur plenissimam volo hereditatis firmitatem, hoc excepto quod presentibus codicillis detrahere volo domum meam talem quam relinqueram Gaio, Sempronium habere volo, vel vineam quam legaveram ei pure volo ut habeat sub hac conditione scilicet, ut si X. dederit heredibus meis vel si dederit libertatem servo suo Pamphylo vel Troianum quem mihi heredem institui per fideicommissum rogo ut hereditatem restituat Galicie infra annum post obitum meum. Actum in tali loco: testibus etc. Ego talis notarius his codicillis conficiendis interfui, ut supra legitur rogatus supscripti, vel hos codicillos mandato dicti Titii rogatus subscripsi et confirmavi.

LIBER QUARTUS

Diximus supra de testamentis, et quia quedam donationes sunt ad instar testamentorum introducta et inde testamenti obtinet, restat ergo ut de donationibus videamus. Donationum alie causa mortis, alie inter vivos, alie simplices, alie non simplices. Simplices vero dicuntur que cum libertate fiunt; non simplices que fiunt a sponso in sponsam et e converso, que vocantur propter nuptias. Causa mortis dicuntur que fiunt propter mortis suspitionem, que tribus modis retractatur: si penituerit donator, vel prius moriatur donatarius, aut si convaluerit et in c. 31, a.
morte non confirmatur; que quidem qualiter in scriptis redigende sunt, Deo dante, ex subiectis plenius ostendemus.

« Ego quidem Titius patrie potestati suppositus vel in patria potestate constitutus, lege interdicente, testamentum facere non posse, donationem causa mortis iure permittente et consentiente, facere perficere cupiens, in primis pro anima mea tot denarios donationis titulo dari mando, talem vineam vel eius usufructus tali meo amico dum vixerit eodem iure relinquo. » Et sic designet omnia que voluerit iure donationis.

« Ego quidem Gaius intuitu mortis donare omnia mea bona procuravi; inprimis pro anima mea tot denarios causa mortis dono », et sic designet secundum quod sibi placuerit. Et si res donatas vult post mortem restitui, potest facere: etiam ita scribatur. « Si vero Gaius decesserit sine filiis, iure donationis talem meam vineam quam ei donavi revertatur ad Simphonium vel ad suos filios eadem ratione. »

« Ego quidem Sempronius hoc donationis instrumento pure et libere et simpliciter inter vivos dono tibi Lucio filio Mevii, tuisque heredibus proprium in perpetuum condititium unde pertinuerit omnia mea bona mobilia et immobilia, seseque moventia, terras videlicet et vineas scilicet campos et edificia, prata, pascua, silvas, salicta, aquas, rupinas, saxa, passadia, iura et actiones directas et utiles, homines, mulieres, servitia mihi debita, propria, condititia et conscripta, exceptis dominicatis que teneor pro me, de quibus certa pars mihi redditur retento in me dum vixero usumfrutum: ut animo eos omnia habeas, teneas, possideas et quidquid tibi et tuis heredibus placuerit facias, salvo iure dominii de condititio, et salvo in c. 31, b.
me usumfructum dum vixero, et me tuo nomine possidere constituo, quam donationem per me meosque heredes

Source : BIU Cujas

firmam in perpetuum tibi et tuis heredibus tenere promitto sub pena I. libre auri et ea soluta, omnia predicta in sua maneant firmitate. »

« Ego quidem Seius, quia hodie dedicatur ecclesia sancti talis, vel quia hodie dedicatio sancti talis, Deo dante, celebratur, idcirco presenti die dotis nomine, do et trado ac transfero tibi donno Lucio presbitero recipienti ad honorem Dei et dicte ecclesie tuisque fratribus et successoribus, in perpetuum dicte ecclesie servitium petiam I. terre arative in tali loco, que tales habet fines: a mane possessionem Titii etc. » usque huc in regula proprietatis: « vel si qui alii confines sunt, omnia ut predixi in integrum dotis titulo ad habendum, tenendum ac possidendum et quidquid tibi nomine dicte ecclesie et suis fratribus et successoribus deinceps placuerit facias tuaque auctoritate nomine dicte ecclesie in possessionem intrando, promittendo per me meosque heredes, etc. »

« Dilectionis et affectionis intuitu ego quidem Lucius sponsus et donator hoc donationis propter nuptias instrumento presenti die dono tibi Lucretie sponse mee nostris que communibus filiis medietatem nec non et quartam portionem omnium mearum rerum mobilium et immobilium seseque moventium quas in presenti habeo aut deinceps quolibet modo habiturus sum, terras videlicet et vineas et domos et hedificia, campos, prata, silvas, arbores fructiferos, dominicata et conscripta, propria et condititia, ad habendum tenendum ac possidendum, et quicquid tibi, nostrisque communibus filiis deinceps placuerit faciendum; quam meam donationem firmam in perpetuum tenere promitto sub. pena. C. lib. imper. Testes. Ego talis notarius hoc donationis propter nuptias instrumentum ut supra legitur rogatus subscripsi. »

« Titius fuit confessus se nomine dotis recepisse a Gaio C. lib. bon. medietatem in den. solvente pro filia ipsius Gai quam eidem Titio in matrimonium copulavit, quam dotem idem Titius se restituturum promissit eidem Gaio vel suis heredibus si matrimonium inter eos diver-
c. 32, a. teretur morte vel divortio, renuntiando non numerate et non recepte dotis exceptioni sub obligatione bonorum suorum. » Si est minor iuret hoc modo: « Insuper dictus Titius corporaliter iuravit predictam confessionem et renuntiationem firmam in perpetuum tenere, nec occasione minoris etatis vel non recepte dotis vel non numerate, vel in eius utilitatem si converse non contravenire quicquid de dote contingat, nec adversus predicta restitutionem aliquam impetrare. » Et si extraneus reciperet dotem, dicatur ita: « Titius fuit confessus se recepisse a Gaio solvente pro filia eius Gai quam collocat in matrimonium Rubino nomine dotis C. lib. bon. renuntiante exceptioni non numerate et non solute dotis; quam dotem se restituturum eidem Gaio promisit » etc. ut supra diximus in hoc eodem instrumento. Si vero Rubinus fuerit maior XXV. annorum, vel hinc ad talem tempus fecerit similem cautionem vel securitatem dicto Gaio: « De hac dote prefatus Titius sit ab hac obligatione liberatus et penitus exemptus. »

Et quia quandoque ex animi liberalitate manumissiones fiunt, restat ergo ut de manumissionibus videamus. Et quidem manumissiones quandoque inter vivos fiunt quandoque in testamentis; sed manumissio sive libertas dari non conceditur a minore, nisi habeat XVII. annos et octavum X^um^ tetigerit secundum quosdam.

« Cum trini Dei onnipotentis clementia implorata, qui omnes ab initio liberos esse voluit, et cuncta subiectorum vincula dissolvit ut nos eius immitati exemplo nostrorum subiectorum vincula dissolvamus. Quapropter ego quidem Lucius pro remedio peccatorum nostrorum hoc manumissionis instrumento presenti die largior atque dono tibi Pamphylo servo meo meram libertatem ita videlicet, ut sine alicuius servitutis obstaculo sis liber et absolutus ab omni servitutis iugo, et sis romanus civis ut civitate et libertate uti possis sicuti ex ingenuis parentibus esses natus, emendo, vendendo, permutando, aliis te obligando, c. 32, b.
iudicio sistendo, testimonium dicendo, testamentum quoque faciendo, et omnia exercendo que quilibet ingenuus romanus civis exercere potest. Insuper ius patronatus tibi penitus remitto omneque tuum peculium tibi concedo. Et talem domum vel tales res tibi insuper dono, que omnia per me meosque heredes firma in perpetuum tenere tibi et tuis heredibus stipulanti dare promitto. Si vero per me meosque heredes predictam libertatem a me tibi iam traditam incorruptam servare noluero vel non servavero, et contra aliqua de causa temerario ausu agere vel facere presumpsero pene nomine C. lib. bon. tibi et tuis heredibus stipulatione dare promitto, et pena soluta omnia predicta habeant firmitatem. »

« Cum enim Titius testamentum conderet et in eo suam declararet voluntatem, in quo quidem Pamphylum servum suum liberum esse cum omnibus suis filiis et omni suo peculio iussit, et ita tali notario exinde instrumentum facere ei mandavit, dando eis potestatem emendi vendendi, donandi, permutandi, iudicio standi, testamentum faciendi alii se obligandi, et omnia negotia exercendi, que quidem romani civis ingenui facere possunt, remittendo infra ei omne ius patronatus. Et si quis suorum heredum tunc vellet infringere libertatem, voluit et dixit ut primo Dei patiatur maledictionem et insuper dicto Pamphylo C. nomine pene ei solvat. Et insuper hec manumissio sit firma et rata et perpetuam habeat firmitatem ».

Vel si hoc de heredibus testatoris non fuerit dictum in testamento, ita continuetur instrumentum et conficiatur « remittendo etiam eis omne ius patronatus, et hanc libertatem perpetuam firmitatem habere mandavit ».

Source : BIU Cujas

« Actum in tali loco, vel in tali domo dicti Titii te-
c. 33, a. stantis et manumittentis; inde predicta prefato scribere mandante. Interfuerunt tales et tales et huius rei vocati sunt testes. Ego talis notarius his omnibus interfui et ut supra legitur mandato Titii subscripsi et firmavi ».

« Ego quidem comes Ugolinus pro C. lib. imper. quas profiteor a te Pamphylo recepisse renuntiando non numerate pecunie exceptioni, libero et absolvo te supradictum Pamphylum tuosque filios et heredes, cum omni eo quod habes et tenes et possides, tu vel alius tuo nomine, ab omni servitiorum et obsequiorum prestatione que tu et tui predecessores huc usque iuste vel iniuste faciebant et facere tenebantur, occasione manentie, acrimonie, coloni vel ascriptitie vel alicuius conditionis, ut de cetero sis liber et absolutus ab omni serviendi honere et ab operarum obsequiorum prestatione; et facultatem ubicumque volueris tibi concedo vendendi, emendi, donandi, aliis te obligandi, in iudicio existendi, testamentum quoque faciendi, et omnia ea que civis romanus facere potest, et ea que habes, et de cetero tu et tui filii habituri estis vestro arbitrio disponendi sine mea meorumque heredum contraditione. Que omnia per me meosque heredes, tibi et tuis heredibus perpetuo firma tenere promitto. Si vero per me meosque heredes predicta omnia non servavero vel contra temere venire vel agere presumpsero, pene nomine C. lib. bon. tibi et tuis heredibus dare, et omne dampnum resarcire promitto. Actum in tali loco: interfuerunt tales. Ego talis notarius huic liberationi et absolutioni interfui et ut supra, idest mandato dicti comitis subscripsi ».

« Titius filius olim Zambri de loco tali, pro tot den. acceptis a Gaio remisit ei et refutavit omne debitum quod ei debebat aliqua de causa, sive ex mutuo, sive ex cultura terre, sive in pecunia sive in blava, vel de bubus vel aliunde. Et fecit ei pactum de non petendo. Et insu-
c. 33, b. per omne ius omnemque actionem quod et quam adversus eum habebat vel habere sperabat nomine vel occasione unius petie terre posite in tali loco, iuxta talem, ita tamen ut decimas fructus eius dicto Titio omni anno exhibeat sive prestet. Quam missionem et restitutionem firmam in perpetuum tenere promisit ipsi Titio et suis heredibus. Si vero etc. » que nunc supra diximus in fine precedentis instrumenti.

« Cum civilis iuris constitutione filium non habentem sibi facere quempiam posse decernitur adoptione, idcirco ego Titius in mea potestate et familia adopto atque recipio te Lucium, cum omnibus tuis rebus et possessionibus tuis, iuribus et auctoritate plenissimi in mea filiatione iure potestate ac disciplina ac si idem filius mihi agnoscereris natura. Insuper promitto tibi personam tuam et res tuas omnes paterno more diligenter pro meo posse gubernare et custodire ad tuam utilitatem, nec te de mea potestate, sine iusta probabili ratione dimittam. Quod si predicta omnia servare noluero pene nomine tot tibi et tuis heredibus stipulatione dare promitto. Et insuper omnia predicta firma in perpetuum tenere spondeo ».

« Quia legibus et sacris constitutionibus cavetur parentes suos liberos a propria posse potestate dimittere, idcirco ego quidem Titius, te volente et petente, Lucium filium meum a mea manu et potestate dimitto et plenissimam tibi et liberam potestatem concedo emendi, vendendi, donandi, alienandi, alii te obligandi, in solutum dandi, iudicio sistendi, instrumentum quoque faciendi, et omnia possibilia negotia exercendi sine obtentu patrie potestatis, et omne commodum tibi tueque utilitati acquirenti et incommodum tibi substinendi, omnifarie tibi facultatem atribuo. Et insuper tibi, in premium emancipationis dono tibi prefato filio meo vineam meam talem ad habendam, tenendam ac possidendam, et quicquid tibi et tuis heredibus deinceps placuerit faciendum, tuaque auctoritate in possessionem intrandi; que omnia ut supra, idest semper incorrumpta tenere spondeo. Que omnia facta sunt presente domino Gaio Bononie potestate, vel tali iudice or- c. 34, a.
dinario et suam auctoritatem in hac emancipatione prestante et interponente ».

« Ego quidem Gaius uxore mea Macedonia presente et mihi licentiam dante, presenti die nomine conversionis do et trado, atque offero me et mea, et bona omnia mobilia et immobilia, iura et actiones do et ecclesie beate Marie tibi presbitero Lucio recipienti ad honorem Dei et dicte ecclesie ad habendum, tenendum ac possidendum, et quicquid tibi nomine dicte ecclesie deinceps placuerit facies, et in possessionem earum nomine eiusdem intrandum quam oblationem et conversionem mee persone omni tempore firmam in perpetuum tenere promitto, et ita se in manu sacerdotis misit per librum et stolam et osculatus fuit librum et altare. Excepit tamen ex hac obligatione tot denarios quos vult dare pro anima patris et matris sue. Actum in tali loco, scilicet in dicta ecclesia. Testes: Martinus, Petrus. Ego talis notarius hoc conversioni instrumentum ut supra legitur rogatus subscripsi ».

« Ego quidem Titius, bono animo et bona voluntate placet et convenit mihi ut per hoc instrumentum donationis, presenti die, dono et trado vobis Lucio et Gaie iugalibus, et vestris heredibus meam personam, meorum filiorum, perpetuum ad servitutis iugum ut proprios servos mares et feminas ad disciplinandum, tenendum, imperandum et quicquid volueritis faciendum tam de personis quam de nostro peculio acquisito et acquirendo. Si vero fugam aliquam vobis et vestris heredibus fecerimus aut de vestro servitio alioquin exierimus, ubicumque inveneritis manum in actionem in nobis et in vobis peculio habentis, et de nobis et peculio quicquid volueritis faciatis sine omni nostra, nostrorum filiorum contraditione ».

Source : BIU Cujas

« Cum aliquod instrumentum exemplari debet, debet tabellio incipere hoc modo: « Exemplar cuiusdam instrumenti, vel cuiusdam testamenti antiqui vel non multum antique factum. Anno domini tali, die tali, indictione ». Hoc dicto incipiat tabellio scribere autenticum instrumentum; sic demum scribat totum usque in finem: postquam vero scripserit testamentum totum, convocet VII. testes si est testamentum, si est alia scriptura V., litteris eruditos et scribere scientes, vel si scribere ignorent, sit saltim
c. 34, b. unus qui legentem ascultet et alius qui videat legentem sive ascultantem, et perlecta carta, roget tabellio testes ad hoc convocatos ut sint testes quod ipsi videtur novum intrumentum et vetus legi et ascultari, et idem in uno quod in alio continetur subscribatur, deinde testes si hoc modo si idem testis fuerit qui se subscripserit dicat ita: « Ego Titius huic instrumento novo legendo et auscultando cum autentico interfui, et legentem in ascultatione vidi vel audivi et me testem subscribo ». Si vero ignoraverint scribere, tabellio subscribat pro eis, et scribat hoc modo: « Petrus et Martinus et Iohannes ad hoc exemplum legendum et ascultandum cum autentico interfuerunt, et huius rei rogati sunt testes. Ego talis notarius, secundum quod vidi in autentico instrumento confecto per manum supradicti notarii, ita in hoc presenti scripsi, nec addens, nec diminuens, et illud exemplavi et subscripsi ».

Transactio est de re dubia et lite incerta in qua dari aliquid vel retineri oportet, et fit diversis modis, quandoque generaliter, quandoque specialiter, quandoque per arbitrium sive arbitrantem, quandoque inter se faciunt litigantes nulla mediante persona qualiter per arbitrium sive arbitrantem fit. Videamus cum duo vel plures inter se litigant, forte de pluribus rebus, forte de una re tantum, debemus promittere hoc in eo in quem consentiunt parere et obedire quicquid de lite illa laudaverit sub certa pena, et hoc idem ad invicem similiter sub consimili pena promittere; hoc facto arbitrum percipire sive laudare vel arbitrari initio debet litigantibus, ut inter se finem perpetuam et trasactionem irrevocabilem faciant, et pactum de non petendo, de his que inter se litigabant, vel generaliter de omnibus que alter alteri possit obicere, si generaliter in eo compromissum fuerit, et ut promittatur transactionem firmam tenere sub predicta pena et non contra aliquem, occasione venire, et si viderit forte ab aliquo eorum iuramenti religione, vel fideiussero firmam
c. 35, a. dari vel cavendi ut aliquis absens debeat idem facere, diligenter provideat facta transaccione a litigantibus inter se, et arbiter debet arbitrari sive laudare secundum quod sibi placuerit alter alteri dari vel alter retineri. Et hic erit tenor instrumenti transactionis ut in sequenti forma declaratur:

« Cum controversia esset inter Titium ex una parte et Sempronium ex alia, a quo dictus Titius petebat tales res dicens Gaium sibi vel ei in suo testamento reliquisse, vel ad se eas ex tali causa pertinere, vel a quo petebat tot denarios, quos in causam mutui ei dedisse asserebat, de qua lite vel discordia uterque in talem compromisit, vel ambo in talem compromiserunt invicem inter se parem constare laudo eius quicquid laudaverit, sive arbitratus fuerit de hac re sub pena C. lib. p. et ipsi arbitrio promissa, et ea soluta laudo sive arbitrio stare; qui arbitrer statim laudavit quod Titius per se suosque heredes faciat finem perpetuam et refutationem irrevocabilem ipsi Sempronio et eius heredibus de omni eo quod ab ipso Sempronio supra petebat, et quod ei iure vel usu dicere posset, de omni iure et actione seu petitione quam adversus Sempronium habebat, vel habere sperabat nomine talis hereditatis, vel talis unius vel alicuius rei, et promittat sub predicta pena firmum tenere, nec contra aliquem occasione venire, et ut faciat ei pactum de non petendo, eo salvo quod infra laudaverit. Qui Titius statim dictam refutationem et transactionem fecit secundum quod dictus arbiter laudavit vel ei precepit: quo facto dictus arbiter laudavit et arbitratus fuit atque precepit Sempronio ut solvat dicto Titio X. lib. p. hinc ad talem diem et de his idoneam vel talem prestet securitatem ».

« Lucadius quidem litem Sempronio de tali hereditate intendebat, et ad hoc proprie allegationes, probationes et argumenta plurimā deferebat. Sempronius vero argumenta Lucadii contra se illata, suis obiectis exceptionibus prout poterat, repellebat. Insuper etiam alterius hereditatis vel rei adversus dictum Lucadium questionem movebat, et ad suorum confirmationem verborum, non minimas allegationes introducebat. Et vero diutissione altercan- c. 35, b.
tibus omnia dicta undique transactionem diffinierunt hoc modo, quod Lucadius quidem tertiam partem omnium que a Sempronio petebat remisit, duas vero partes dictus Sempronius ipsi Lucadio hac transactione aggravavit et restituit, sive dedit. De his vero que a Sempronio petebantur Lucadius dimidiam contulit, atque dedit, aliam vero dimidiam idem Lucadius ei remisit promittentes per se suosque heredes inter se ad invicem sub pena C. lib. p., et post pene solutionem, rata manente transactione quod alter alium de his que ad invicem inter se contribuerunt, et que eorum, voluntate cuilibet remansit, non inquetabit, nec de his de cetero alter alteri litem vel controversiam movebit, sed perpetuo alter alteri predicta omnia firma tenere promisit ».

« Titius fecit per se suosque heredes huius rei finem perpetuam transactionem et reputationem etiam resolubilem Gaio respicienti pro se et pro Martino, nomine pro Lothario et suis et Lotharii heredibus de omni lite et querimonia seu iure et actione vel petitione quam adversus dictum Gaium et Lotharium habebat, et in futurum habere sperabat, nomine talis rei quam ab eis petebat, vel etiam transit nomine alicuius rei, cedendo, dando eidem Gaio recipienti, ut dictum est, pro se et pro Martino

Source : BIU Cujas

nomine predicto Lothario et suis et Lotharii heredibus omne ius omnemque actionem quod et quam in dicta re habeat vel eius nomine adversus quemcunque directas et reales et utiles et personales ut possint agere et excipere et replicare et se tueri ut idem Titius posset et eos in rem suam procuratorem constituit, quam finem et reputationem ac trasactionem et iuris cessionem fecit pro XX. lib. p. quos fuit confessus se a dicto Gaio et Lothario recepisse ut dictum est pro se et procuratorio nomine pro Martino, renuntians non numerate pecunie exceptioni: quam pecuniam se dicto Gaio recipienti predicto Lothario se rediturum promisit si suo facto, eo quod alii ius suum cessisset, vel quod dictam rem alienasset vel obligasset dicti receptores vel dicti scilicet Gaius et Lotharius vel eorum heredes dampnum consequerent, que omnia dictus Titius per se et suos heredes dicto Gaio recipienti ut dictum est pro se, dicto Lothario et suis heredibus firmam perpetuo tenere, nec contra aliqua occasione venire vel facere promisit sub pena C. lib. p. et ea soluta, predicta omnia in sua maneant firmitate. »

Si supradicta facta sunt per laudum vel per arbitrium alicuius in quem compromiserunt parere eius laudo et arbitrio sub pena, Titius ad invicem et ipsi Menandro
c. 36. a. promisso, si vero coram tabellione non fuerit compromissum, addatur hoc a notario ut confessi fuerunt ita compromissum fuisse. « Actum in tali loco. »

« Ego quidem Titius pro me et omnibus meis heredibus, tibi Sempronio et tuis heredibus, tibi Sempronio et tuis heredibus facio finem perpetuam transactionem et refutationem inrevocabilem de tali re, et omni iure et actione quam quolibet modo aliqua ex causa contra te huc usque habui vel habere spero, nomine talis rei quam habes in in tali loco pro tot denariis quos mihi in presentia tum solvisti et numerasti renuntians exceptioni non numerate pecunie; quam finem et reputationem atque transactionem per me meosque heredes firmam in perpetuum tibi et tuis heredibus tenere nec audacter infringere, vel contravenire promitto sub tali pena, et ea soluta, predicta omnia nichilominus sint firma et rata et perpetuo valitura. Actum etc. »

Ius ceditur quandoque donando, quandoque vendendo, quandoque a creditore fideiussori, contra ex necessitate cum fideiussor solvere non teneatur nisi sibi cessis actionibus principalem, vel contra fideiussorem, quandoque ab extraneo. Cum autem venditur, contra aliquem debet cedi ante solutionem, vel post solutionem ceditur. Debet ille qui cedit pactum facere emptori quod facta solutione vel ad certum terminum, vel quandocumque receptor iuris voluerit quod cedit ei, quum si ante solutionem pecunie debite creditori fideiussori facta non esset post debitum receptum, nichil haberet qui cederet, nam causa cessante, cessat effectus. Et hic tenor instrumenti generaliter. »

« Lucius dedit cessit atque mandavit Gaio et eius heredibus omnia iura omnesque rationes et actiones reales et personales ante solutionem sibi faciendam; que et quas iure vel usu habeat adversus Titium, nomine talis debiti scripti per manum talis notarii in quo principalis vel fideiussor ipsi Lutio extitit, vel nomine talis rei vel pro tali pena in qua ipse incedet ut adversus dictum Titium et suos heredes possit idem Gaius agere et experiri directis et utilibus actionibus in rem et in personam, excipere et replicare, et se tueri confitendo, negando et omnia faciendo que idem Lutius posset, ut ipsemet posset, et eum in rem suam procuratorem constituit pro tali debito quod dictus Titius ei debebat, vel pro tot denarios quos facta cessione a dicto Gaio recepit, vel confessus fuit se recepisse, renuntians exceptioni non numerate pecunie. »

LIBER QUINTUS

Diximus supra de venditionibus diversis modis conditis, c. 36, b.
empyteosis et testamentis et donationibus et transactionibus et aliis que per singula narrare non oportet. Et quia in venditionibus et aliis supradictis pignora obligantur, et quia ex necessitate quandoque homines oportet obligari realiter et personaliter ne hominum orta malitia contraentes decipiantur, et ut per pubblicam scripturam res dilucide et aperte appareant, qualiter obligationes fiant videamus. Fiunt antem quandoque mutuo accipiendo quod filiis familias ex senatusconsulto Macedoniano proibitum est, quandoque stipulando, quandoque pepigendo, quandoque pro aliis intercedendo, in quo casu mulieribus ex senatusconsulto Velleiano subvenitur, mandati, pro socio et aliis plurimis diversis modis quos humana mens ostendere non posset. In primis igitur videamus de mutui datione qualiter cavendum sit creditori. Et hic erit instrumenti et cautionis tenor:

« Lucius renuntiando in hoc facto exceptioni non numerate pecunie et doli et sine, et in factum et omni alii legali auxilio, promisit per stipulationem sine omni exceptione se soluturum Gaio et eius heredi C. lib. bon. hinc ad mensem sine creditoris dampno planto et dispendio, quos ei in presentia mei talis notarii et dictorum testium mutuavit et numeravit. Si vero post terminum dictos denarios tenuerit, nolente vel invito creditore, tot denarios pro qualibet libra in singulis mensibus in quibus post terminum in solutione cessaverit solvere creditori promisit, cum impensis quas creditor faceret pro hac pecunia exigenda in iuditio et extra. Si autem ante solutionem vel post solutionem de sorte vel de accessionibus moveret ei vel suo heredi litem aliquam vel non numerate pecunie exceptione, vel quamlibet aliam in specie vel in genere contra predicta aliquando ponente, nomine pene duplum predicte pecunie creditori solvere promisit, que omnia attenderere et observare corporaliter iuravit ad dictum terminum vel ad alium a creditore sibi datum,

Source : BIU Cujas

nec contra predicta aliquando agere vel facere et pro hoc servando obligavit ei vineam suam de tali loco iuxta talem. Quod si ita non observavit, deinde liceat creditori et eius heredi sua auctoritate in pingnus et in aliis bonis creditoris in quibus voluerit intrare et vendere vel
c. 37, a. obligare sibi que in dictis omnibus satisfacere superfluum reddere debitori omni occasione remota ».

Pone quod detur fideiussor, dic ita: « Et insuper Galiffus mandatarius dicti debitoris promisit per stipulationem sine omni exceptione prefato creditori predicta omnia servare ad predictum terminum, vel ad alium a creditore sibi datum, si predictus debitor non solverit, ut dictum est sub obligatione suorum bonorum vel talis rei » vel sic « et pro hoc servando obligavit ei rem talem » et dic ut diximus de obligatione pignoris debitoris.

Pone quod det principalem debitorem, dic ita: « Et insuper Albertus promisit per stipulationem sine exceptione mandato dicti debitoris, ut principalis debitor, constituendo se principalem debitorem ipsi creditori se predicta omnia ut dictus debitor pro atendere et observare ad predictum terminum vel ad alium a creditore sibi datum, renuntiando nove constitutionis beneficio et non numerate pecunie, sub obligatione suorum bonorum etc. » ut diximus in pignus debitoris.

« In presentia istorum testium ad hoc specialiter rogatorum et vocatorum, scilicet Gaius et ceteri, dominus Albertus Leodiensis archidiaconus et dominus Adam eiusdem ecclesie canonicus, renuntiantes in hoc facto coherenti promiserunt per stipulationem sine omni exceptione se soluturos quilibet eorum in solidum Titio et Sempronio recipientibus et stipulantibus pro se et procuratorio nomine pro eorum sociis pro quolibet eorum in solidum CC. marc. sterlignorum bonorum legalium et communanalium ad unum XIIII. sol. pro qualibet marca, in proximis vendimus pro vini vel laguini, pro quo presentibus dictis testibus et metalli notarius solverunt et numeraverunt ei tot imperiales vel tot mediatinos pro qua peccunia tot denarios fuerunt confessi numeratos fuisse si aliquis creditorum ibi fuerit vel earum nuntius sub pena
c. 37, b. unius uncie auri pro qualibet marca, singulis mensibus solvenda, in quibus transacto termino fuerit cessatum in solutione vel sic si tunc non fuerit solutum vel aliquis creditorum ibi fuerit promiserunt eis cuilibet in solidum pro se et eorum dictis sociis pro quolibet in solidum solvere returno V. marca de centenario vel pro marca de nundinis ad nundinas proximas futuras, et hec pena semper currat de nundinis ad nundinas proximas futuras, in quibus fuerit in solutione cessatum donec universum debitum fuerit solutum. Si vero aliquis eorum ibi non fuerit, promiserunt eis pro se et eorum sociis stipulantibus ut dictum est, solvere bon. sine pena infra octo dies post consuetum reditum nundinarum, et si tunc non solveret, semper currat dicta pena de nundinis ad nundinas, donec in solidum facta fuerit solutio, et in omni casu reficere omnes impensas quas faceret pro hac peccunia exigenda in eundo et redeundo, et in iudicio et extra, et quod non faciant vel querant per se vel per alios, vel se opponerent per aliquam personam aliqua occasione vel exceptionem sive scriptum aliquod impetrabunt, utuntur quominus dicta omnia in solidum solvant. Et si factum vel erit ab aliquo non habebunt ratum nec eo utuntur, et facta solutione non contra eam pretextu usurarum vel qualibet alia occasione venient sub pena dupli predicte peccunie stipulatione premissa, pro quibus omnibus servandis obligaverunt sese personaliter de eorum bona mobilia et immobilia presentia et futura ut cetera constituta, redditus et omnes prebendas tam patrimoniales quam ecclesiasticas; quod si ut dictum est non servaverint, quod liceat cuilibet dictorum conditorum alterum eorum si voluerint vel utrumque in solidum ubique convenire, sive ibi habeat domicilium sive non et universum debitum cum in penis et in spensis exigere, et in eorum bonis sua auctoritate intrare, et vendere et obligare et redditus omnes et prebendas tam patrimoniales quam ecclesiasticas a quocumque exigere et avocare, ut hii de possessione debitoris possent sibi in dictis omnibus satisfacere, superfluum vero si quod fuerit eis reddere. Que omnia tactis sacris evangeliis corporaliter iuraverunt et adtendere et observare ad dictum terminum vel ad alios a creditoribus sibi datum, et quod non facient vel agent contra aliquam occa- c. 38, a.
sionem vel exceptionem, et quod non inquietabunt vel intrigabunt per se vel per alios bona dictis creditoribus immo defendere ea creditoribus ab omni homine. Et insuper dominus Ferdinandus Seccobiensis electus, et dominus Gondifalius tesaurarius eiusdem, mandato dictorum debitorum renuntiaverunt per omnia idem et ipsi debitores supra, et insuper nove constitutionis beneficio et divi Adriani epistole auxilio, constituentes se principales debitores promiserunt per stipulationem ut debitores principales dictis debitoribus, cuilibet in solidum stipulantibus pro se et dictis eorum sociis ut dictum est predictam sortem cum penis et omnibus que dicta sunt attendere et observare, quilibet eorum in solidum ad dictum terminum vel ad alium a creditoribus sibi datum secundum quod per se quilibet dictorum debitorum servare promisit et iuravit, et eodem modo se personaliter quilibet eorum se obligavit et sua bona omnia vel tales suos libros scilicet Digestum novum et vetus et Codicem et Infortiatum et Autenticum et Institutiones, cum tribus partibus et Decreta sua et Decretales, remanentes apud creditores vel precario apud eosdem obligavit et eodem modo quilibet eorum servare iuravit. » Vel sic: « Hoc excepto quod donec steterit in bonis iuramento solvere non teneatur sed de obligatione et omnibus aliis quod in iuramento in obligatione continetur, in suo statu durantibus. »

« Titius promisit per stipulationem sine aliqua exceptione se soluturum domine Gaie vel eius heredi C. lib. bon. hinc ad dampnum cum medietate lucri quod inde vel cum

Source : BIU Cujas

eis acquisierit; et si dampnum cum eis inde consequeretur cum eis bona fide operando eamdem portionem damni dare quemadmodum emolumenti quos ab ea laborandi causa accepit dictis testibus presentibus et me tali notario vel quos confessus fuit ab ea recepisse et sibi numeratos esse. Si vero post terminum eius voluntate dictam peccuniam tenuerit, vel ea invita, eodem pacto tenere debet et recipere ei omnes impensas quam faceret in exigendo dictam peccuniam in iudicio et extra sub obligatione suorum bonorum etc. »

« Titius et Gaius et Aristo societatem insimul inierunt vel fecerunt vel contraxerant in qua quilibet eorum posuit vel misit vel debet mittere C. lib. p. vel Titius X. et Gaius XV. et Aristo XXX. lib. cum quibus promiserunt
c. 38, b. inter se ad invicem bona fide negotiari et operari et lucrari et equis portionibus inter se dividere nulla ratione habita quis maiorem vel minorem portionem sortis in societate habeat, et eadem in dampno, vel accideret, inter se servarent ad invicem promiserunt; et si quis eorum plures mitteret in societate denarios, tertia pars emolumenti et dampni sit denariorum et totius quod cum eis operabitur due societatis » vel sic « et semper unus eorum vel talis debet esse massarius; quam societatem simul tenere hinc ad talem terminum promiserunt ad invicem et bona fide operari et negotiari et artem eorum facere et acquirere societati et quecumque occasione societatis acquisierint in societate mittere et guardare et salvare bona fide et non fraudare et inter se rationem reddere et quicumque fecerit super eum, sit sub pena C. sol. imper.; ad invicem inter se servare promiserunt. Que omnia attendere et servare quilibet eorum iuravit et quod rectam partem alter alteri bona fide dabit ipsi vel suo heredi, si infra hoc tempus, quod absit, aliquis eorum decederet. »

« Seius bovem unum vel duos boves pretii X. lib. pi. laborandi causa dedit Titio hinc ad dampnum, hoc pacto: si melioratio vel deterioratio in bove vel in bubus acciderit, quarta pars debet esse domini sive locatoris, et III. laboratoris sive conductoris; si culpa vel mala custodia laboratoris bos perierit vel devastatus fuerit, totum dampnum debet esse conductoris; sed pro summa quante partis laborerii bovis vel bovum promisit, idem conductor bovum ad domum domini deferre et dare, et tot corbes boni et pulcri frumenti, et tot carra sive plaustra bona bonorum lingnorum hinc ad talem diem, sub pena tali, singulis XV. diebus vel singulis mensibus solvenda pro qualibet corbe frumenti et pro quolibet carro lingnorum in quibus post terminum esse voluntatem domini sive locatoris deferre tardaverit et reficere ei omnes impensas quas fecerit in exigendo, non habeat potestatem boves sive bovem alienandi sine verbo domini. Et tam pro bove restituendo sive bubus restituendis quam pro predictis aliis servandis obligavit ei casamentum suum supra quod habitat in Castagnolo iuxta talem vel talem vineam in tali loco iuxta talem, vel omnia sua mobilia et immobilia pre- c. 39, a.
sentia et futura: quod si ut dictum est non servaverit, deinde liceat dicto domino, vel dicto locatori et eius heredi dictum bovem vel dictos boves ut proprios sua auctoritate occupare et in pignus sive in bonis debitoris in quibus voluerit intrare, vendere et obligare, et sibi in dictis omnibus satisfacere superfluum debitori sive laboratori vel conductori reddere. Et insuper predictus laborator predicta omnia attendere et servare corporaliter iuravit ad voluntatem locatoris, vel si predictum pignus suum esse nec venditione vel obligatione alicui nec vendere vel obligare nisi verbo locatoris vel pro predictis omnibus servandis, et omnia dicta attendere et observare ut supra legitur. »

« Tale pactum fecit Titius Sempronio et eius heredi quod si hinc ad annos II. vel ad tale tempus dictus Sempronius, et eius heres solveret ei vel suo heredi XX. sol. imper. quod venditio vinee tali loco quam ei fecit sit inanis et vacua et nullius momenti et instrumentum inde factum cassum » vel sic: « et si non solveret, teneatur a dicto Titio recipere X. lib. et venditio plenum vigorem; quod si recipere recusaverit, nichilominus venditio valeret » vel sic: « Dictus Sempronius noluerit dictos denarios vel tot quot laudaverit, si Gaius laudare noluerit vel non potuerit, alius ydoneus quem Titius eligerit, teneatur eligere, et ille qui electus fuerit iuret dictam rem bona fide extimare intra XV. dies postquam sibi fuerit commissum, vel ad talem diem, et contrario Titius id quod ille laudaverit solvere teneatur. »

« Titius facit tale pactum Lucio et eius heredi vel recipienti tutorio nomine pro Gaio et Seio filiis qui talis de muris quem habet inter domum dictorum pupillorum et suam pro tot denariis quos fuit confessus ab eo recepisse, renuntians exceptioni non numerate pecunie; quod dictus Lucius vel dicti pupilli et eorum heredes ab eorum parte muri de cetero possint eerum ligna immittere tot et quanta domui sue fuerint necessaria ad salvamentum muri a summo usque deorsum, et si expendierint aliquid parti quod murum extollatur, vel elevetur communiter debet extolli tot puncta nec alterius extolli nemo eorum habeatur, sed si quis plus extollere sive elevare voluerit suis inpensis, extollat et nichilominus alter sic lingna possit in eo mittere. Si nec aliquis eorum elevare murum c. 39, b.
voluerit de eo stato in quo nunc est, et alius cum eo extollere noluerit, alter in suis inpensis extollat, et alius ei teneatur medietatem impensarum reficere infra tale tempus, quandoque suo iuramento dixerit vel arbitrio duorum communalium amicorum reficiet », vel sic: « Si murus aliquando dirueret, quilibet eorum in medietate soli in quo murus est licentiam habeat faciendi quicquid voluerit » vel sic « nisi facto vel culpa alterius partis dampnum

Source : BIU Cujas

emendare teneatur infra tale tempus; que omnia ad invicem servare Titius et Lucius per se suosque heredes promiserunt sub tali pena, et ea soluta, rata maneant predicta » vel sic: « que omnia dictus Titius per se suosque heredes ipsi Lutio tutorio nomine pro dictis suis pupillis et idem tutor tutorio nomine ipsi Titio ad invicem servare promiserunt sub tali pena, et ea soluta maneant predicta, et se dictus tutor facturum et curaturum quod dicti pupilli ratum habeant », et eodem modo debet promittere facere omnes qui nomine alieno contrahent spetiale vel generale mandatum, vel nisi in rebus minoribus fieret, auctore pretore, ut diximus supra in conditionibus rogationis proprietatis prime huius libri in illo generali quod sic incipit: « Notandum est igitur. »

« Gaius accepit in solidum a Rufo de tali loco unam vel duas vaccas una quarum habeat vitulam, vitulum pretii qualibet X. sol. p. hoc pacto, quod dictus Gaius debet vaccas hinc ad V. annos tenere et custodire bona fide; si culpa vel eius mala custodia vacce vel eorum fetus perierint totum dampnum debet esse Gai; nec cum eis laborare debet, nisi forte in me deferre folias ad domum et scorças quas comedant et finios pro cura claudenda et vitulam iam natura et primum ex alia vacca vitulum vel vitulam oriundam domino pro capu salvo unam tenere deberet. Si vero prima vitula vel vitulus ante finem biennii decesserit ut secundus vel ex qualibet vacca nasciturum tantum pro domino tenere debet, et idem debet facere de tertio, si secundus vitulus vel vitula obierit, et quod supererit in fine termini debet communiter dividi, et pro hoc servando obligavit ei rem talem in tali loco etc. »

« Galiffus de tali loco accepit a Rubino mançam unam sive vaccam in socida pretii XX. sol. imper. hinc ad III.
c. 40, a. vel ad V. annos. Si eius culpa vel mala guardia mança sive vacca vel eius fetus obierit, vel devastata fuerit, dampnum totum debet esse Galiffi, et de primis den. qui fierent de vacca, vel de eius fetu debet capitale deduci, et quod supererit a capitale debet communiter in fine termini dividi. » Et si cum ea debet laborare, dic ut diximus supra in glosa superioris proximi contractus « et pro hoc servando obligavit ei etc. »

« Titius duos boves dedit ad laborandum Rustico hinc ad talem diem cum carro hoc modo, quod debet dictus Rusticus laborare scilicet carigia facere et lingna deferre, medietatem sibi et medietatem Titio; et quicquid de operis bovum acquisierit bona fide domino suam partem dare, et si carrum fuerit devastatum communiter de lucro bovum reficis et bove, suis inpensis pascere, in fine termini boves cum carro domino reddere qualescumque sint, nisi devastasset vel amisisset eos mala custodia, vel sua culpa, in quo casu tantum dampnum debet esse laboratoris » vel sic. « Dedit ad laborandum hoc modo quod debet terras domini quas habet in tali loco bene laborare scilicet arrumpere et remenare et reterçare, et quarta vice arare cum semine, data medietatem vel talem partem fructus domino boum deferre, et invidemus ei cum bubus servire vel tot plaustra letaminis de suo in domini portare terris, vel totum letamen suum; et in fine termini, si dampnum vel lucrum esset in bubus, quarta pars debet esse domini, tertia laboratoris, et carrum debet reddi eiusdem bonitatis cuius erat tempore contractus initti et ferramenta aratri qualescumque sint, cum aratro reddere et pro hoc servando etc. »

« Sempronius dedit Titio ad estirpandum buscum sive nemus quod habet in tali loco hinc ad annos X. hoc pacto, quod debet eum bene extirpare et colere et decimas eius fructus qui sibi fecerint omni anno domino dare et de- c. 40, b.
ferre, et dominus per se vel per alium usque ad finem termini ei auferre non debet. Si placuerit utriusque parti quod laborator plus debeat tenere. Debet eam laborator bene laborare, scilicet arrumpere, remenare et reterciare, et quarta vice cum semine omnibus suis impensis, et medietatem fructus domino bene ad domum eiusdem ferre: que omnia ad invicem servare promiserunt sub tali pena: et ea soluta, rata maneant predicta. »

« Lucadius locavit et dedit Saphyro et Panfilo terram quam habet in tali loco ad plantandum vineam hinc ad X. annos, quam dictus Lucadius per se suosque heredes Saphyro nec eorum heredibus ad dictum terminum auferre sub tali pena quam promisit, et ea soluta, rata maneant predicta. Et quidem dicti conditores promiserunt per se suosque heredes dictum terminum, et omnia que inferius leguntur servare sub predicta pena sol. X., quod in hoc primo vel in sequenti anno tornature tot plantabit vel totum dictum locum plantabunt et in quarto anno elevabunt pilis et perticis et vincis a domino datis, et usque ad annum unum decimas fructuum omnium quos ibi habuerint domino dabunt et in domum eius bene deferent, et abinde omni anno medietatem et duos crupones iniuncemus et tot plaustra letaminis in ea mittet sub obligatione suorum bonorum etc. ».

« Gaius vineam suam de Meloncello laborandi sive colendi causa dedit vel locavit Eufrosino hinc ad tot annos, hoc pacto quod promisit ipsi conditori per se vel per illum dictam vineam usque ad pretaxatum terminum ei non auferre sub tali pena, et ea soluta, rata etc. Et conductor promisit domino predictam vineam bene laborare et colere usque ad finem termini scilicet omni anno bene potare et laborare sine pilis perticis et vincis, et zappare et remenare omnibus suis sumptibus, vel omni

Source : BIU Cujas

suo expendio, vel omnibus suis impensis, vel datis a domino vincis et perticis, vel medietate legaminis a domino vinee, et propaginare, et plantare illud vacamento quod erit in vinea, et ea clausa tenere et fossatum ut expedierit facere, et sepe bene assicurare » vel sic : « et si locator sive dominus voluerit fossata fodiendum, item dabit ei conductor tot operas, vel iuvabit eum per tot dies et medietatem fructus bene ad domum domini deferre, vel sic et duas partes fructuum vinee domino assignabit, sub predicta pena et ea soluta etc. »

Galliffus braidam suam quam habet in tali loco laborandi et colendi causa locavit vel dedit Titio hinc ad tot annos, quam locator per se vel per alium non ei auferre promisit usque ad finem . . . . . .
. . . . . .

Source : BIU Cujas

9700

FACULTÉ DE DROIT
DE
PARIS
BIBLIOTHÈQUE

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

L. 60

120

Source : BIU Cujas